

LUDOVICI WOLZOGENII

Compendium


RELIGIONIS  
CHRISTIANÆ.



I R E N O P O L I

Post annum Domini 1656.

# COMPENDIUM RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

1.  Nter omnes visibiles Dei creaturas nobilissima atque excellentissima est Homo: propterea quod præ cæteris insigni Rationis lumine à Deo creatore suo donatus est. Per rationem enim non solum se existere intelligit, sed vitam quoque suam potiorē ac præstantiorē esse vitæ reliquarum creaturarum. Agnoscit se esse Dominum multarum rerum, quæ potestati ejus subjectæ sunt, ut iis uti pro suo possit arbitrio. Quicquid enim irrationale est, id non est sui causa, sed alterius creatum, nempe in usum & gratiam rei rationalis.

2. Atque in hoc præclaro lumine Rationis consistit imago Dei, ad quam homo creatus est: quod nimirum habeat facultatem super univēsum mundum Dei alicujus instar dominandi. Sic enim Deus ait apud Molen: Faciāmus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram, qui dominetur in pisces maris, & in volucres cæli, & in pecudes, & in universam terram, atque in omnia reptilia reptantia super terram. Gen. 1. 26. Ex quibus verbis clarissime patet, imaginem Dei, quæ est in homine, sitam esse in Ratione, quatenus per eam aptus est Dominari in universam terram, super quam eum Deus constituit Dominum, omniaque, ut loquitur Psaltes Psal. 8. vers. 5, pedibus ejus subjecit. Nimirum Deus subdidit imperio ejus mundum, ut eo non irrationaliter, & ad libitum carnalis naturæ, quæ ipsi cum brutis communis est, sed sapienter & ex sanæ rationis dictamine uteretur, quod bonum est, eligendo, & quod malum est, vitando: inter quæ discrimen fieri non nisi per rationem potest. Nam quæ bruta animantia naturæ suæ instinctu, quem non intelligunt, & ope externorum sensuum suorum, bona vel mala seu noxia sibi esse percipiunt: ad ea cognoscenda ac inter se discriminanda homo ratione utatur necesse est; quā instructus ad discernenda à bonis mala tanto aptior est reliquis animantibus, quanto major est rationis, quam sensuum præstantia.

3. Quia vero homo non protinus à primo ortu suo perfectum Rationis usum habet, ut videmus in infantibus; idcirco eum Deus in hoc mundo aspectabili inter innumerabilia admirandorum ac sapientissimorum operum suorum specimina constituit, ut iis contemplandis rationem suam acueret exerceretque, & per eorum considerationem ad maturitatem ac perfectionem perveniret.

4. Perfectio autem Rationis in sapientia consistit, seu in scientia rerum permultarum, nec non in acri ac recto judicio de rebus, quæ expendenda veniunt. Hanc rationis perfectionem sequitur perfectio voluntatis, quæ in eo est, ut homo velit ac studeat ea facere, quæ Ratio monstrat esse bona atque honesta, seu ut det operam virtutibus, quas sectandas & exercendas esse rationis lumen docet.

5. Hinc jam manifestum est, hominem à natura ad sapientiam esse conditum, & ad sapienter agendum à creatore suo esse ordinatum. Idque quemvis hominem in seipso agnoscere ac sentire, vel ex eo liquet, quod nullus sanæ mentis homo in toto orbe reperitur, qui non ægre ferat, si insipiens aut stultus appelletur. Videlicet ut moleste ferunt homines vitia corporis sibi exprobrari, qualia sunt cæcitas, surditas, claudicatio, gibbositas, &c. ita non minus adverso animo audiunt vitium intellectus seu rationis sibi objici, id est, stultitiam ac imprudentiam tam in scientia, quam in operibus.

6. Inter omnia autem, quæ rationem hominis

possunt perficere, præcipuum est, ut homo cognoscat Deum conditorem suum, qui ipsum & omnia, quæ cernit, produxit atque formavit: ut nimirum e mirabilibus ipsius operibus cognoscat immensam ejus sapientiam atque omnipotentiam; ut pro supremo rerum omnium creatarum Domino eum agnoscat, cui ipse honorem, reverentiam & obsequium debeat; utque proinde voluntatem ejus scire laboret, de ea inquiret, & faciendo eam, illius gratiam demereri studeat. Hæc Dei creatoris cognitio fundamentum est omnis sapientiæ, quo beneposito, reliqua sponte sequuntur, & velut rami ex arbore enascuntur.

7. Homines ejusmodi cognitionem Dei solo lumine naturalis rationis assequi posse, testatur aperte Paulus Apostolus, cum redarguit Ethnicos, quod cum ex rebus creatis Deum cognovissent, eum tamen non sicut Deum glorificaverint. Quia quod cognosci potest de Deo, inquit, manifestum est in illis, id est, Ethnicis, nam Deus manifestavit illis. Invisibilia enim ejus, à creatione mundi operibus cognita conspiciuntur, sempiterna nimirum illius potentia ac divinitas: ad hoc, ut sint inexcusabiles. Ideo quod cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c. Rom. cap. 1. vers. 19, 20.

8. Hanc hominis præstantiam ac dignitatem non intelligunt illi, qui humanæ rationi omnem adiungunt facultatem & aptitudinem aliquid de Deo & rebus divinis intelligendi. Hoc enim utique (ut diximus) est initium ac fundamentum omnis divinæ sapientiæ, ut sciatur, Deum esse eumque esse supremum Dominum ac Rectorem hujus universi, eum omni laude, honore, atque cultu esse dignissimum, ei denique summa cum obedientia esse serviendum. Id quod Ethnicos per lumen rationis suæ scire atque cognoscere potuisse, Paulus dicto loco clare asseruit. Præterea, unum tantum Deum esse, eumque summe sapientem, omnipotentem, justum, sanctum, omniscium, &c. id sapientiores inter Ethnicos sola ope naturalis luminis assecuti sunt: ut eorum scripta testantur. Atque hoc est, quod Paulus loco modo allegato inquit, eos Deum non sicut Deum glorificasse, id est, non ut talem, cujus tam excellentes proprietates ac perfectiones perspectas habebant. Quin etiam hominem à natura intelligere, virtutes esse colendas & honeste vivendam, vitia autem & scelera turpia esse ac fugienda, affirmat idem Apostolus Rom. cap. 2. v. 14, 15. ubi inquit: Cum Gentes Legem non habentes, natura faciunt ea, quæ Legis sunt, (intellige Legem Mosaicam) hi legem non habentes, sibi ipsis sunt lex: qui demonstrant opus legis scriptum in cordibus suis, contestante ipsorum conscientia, & inter se cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. Et revera quicquid Christiana Religio de virtutibus ac vera pietate docet, id non est novum quoddam & hominibus incognitum, sed est illud ipsum, quod naturale lumen rationis cunctis hominibus dicat. Nec alius est Religionis Christianæ scopus, quam homines eo perducere, ut belluinum ac pecuinum vivendi modum, quem contra naturam secuti sunt, deponant, & sicut homines sapientes ac rationales vivant, quales eos Deus in creatione sua esse voluit.

9. Jam quia homo vi rationis suæ intelligit, se tam præstantem creaturam esse, seque esse dominum tam multarum rerum, quibus sapienter dominari potest; ideo etiam amat seipsum ac vitam suam, tanquam rem eximie bonam, abhorretque à morte, quæ tanto bono eum privare ac spoliare potest. Atque ex hujus

rei consideratione exoritur ardens & in extinguibile desiderium immortalitatis ac vitæ æternæ, quod omnibus hominibus à natura insitum est. Cum vita autem conjunctum est indissolubili nexu gaudium: estque illud salis instar ac condimenti, quod vitam suavem & acceptam reddit. Vita enim absque gaudio nihil aliud est quam somnus: & vita cum dolore juncta peior est morte. Quamobrem licet homo pro innata sibi concupiscendi facultate infinita appetat plurima, quæ bona esse censet, tamen primarius & ultimus finis omnium ipsius cupiditatum ac desideriorum est, ut æternum vivere, & frui gaudio perenni queat.

10. Et hoc est summum illud bonum, quod omnes sapientes inter Ethnicos, imò inter omnes nationes terræ quæsierunt, & ad quod omni studio anhelarunt, sed propter summam caliginem & perfectæ cognitionis Dei defectum, ejus consequendi modum ignorarunt. Etsi enim quidam sublimiori ingenio præditi nonnihil hic quasi è longinquo viderunt, dum sapienter ratiocinando affecuti sunt, naturam ipsam hominem ad virtutem finxisse, & scelera detestanda esse, per ipsam conscientiam homines convinci; dum etiam simul cernentes, virtutem in hac vita carere debito sibi præmio, sed potius indignis irrationalium ac brutorum hominum odiis & persecutionibus esse obnoxiam, inde concluderunt, virtuti post mortem repositam esse mercedem: tamen hujus suæ collectionis ac conclusionis nullum aliud fundamentum habuerunt, cui tam firmiter ac secure possent inniti, ut constanti cum spe atque solatio è vita discederent, præter proprias, sapientes tamen, nec omnino vanas, cogitationes suas.

11. Ita orbis terrarum tenebris ignorantiae fuit circumfusus, ut homines nihil certi ac solidi scirent, quo animo suo ad æterna gaudia aspiranti atque erecto satisfacere, eumque tranquillum reddere possent: usque dum apparuit in terris Filius Dei, Dominus ac servator noster, Jesus Christus, qui vitam & incorruptibilitatem in lucem produxit per evangelium. 2 Tim. 1. 10. Is abolevit aculeum mortis, cui omnes homines subiecti sunt, nempe peccatum 1 Corinth. 15. vers. 56. dum mandato Patris sui cœlestis, universalem omnium præditorum peccatorum amnestiam atque perfectam remissionem promulgavit, & hominibus aditum ad Deum, ad participationem omnium cœlestium bonorum, seu ad sempiternam ac beatissimam vitam patefecit. Hoc ergo est *tempus acceptum*, hic est *dies salutis* 2 Cor. 6. 2, nunc est cur omnes homines in orbe terrarum exultent, quod ipsis donatum sit summum illud bonum, quo acquiescere ipsorum animus, & oim quidem reali possessione, nunc verò certa illius spe sese explere potest.

12. In hoc eximio beneficio, quod nobis Christus attulit, consistit inter cætera etiam differentia Veteris & Novi Fœderis, quod nimirum Judaico populo in Lege Mosis nulla aperta promissio vitæ æternæ facta sit. Etenim in tota lege, quæ quinque libris Mosis comprehensa est, ne unus quidem locus ostendi potest, è quo id probari possit. Sed præmium obedientiae ipsorum promissum, consistebat nonnisi in temporalibus bonis, in vita longæva, fertilitate terræ, pace & tranquillitate, ac similibus. Vide Deut. 28. Nondum enim maturuerant tempora, nondum ad tam perfectam ætatem pervenerat mundus, ut tanti boni capax esset. Moses & Prophetæ omnes inidonei erant ad fungendum officio mediatoris in re tam sublimi. Non conveniebat hoc officium servis, quales illi erant, sed Filio Dei unico, per quem Deus his novissimis temporibus locutus est Heb. 1. 1. Hic à Deo præcognitus ac designatus est Mediator Novi Fœderis: præstantiusque sortitus est officium, quam Moses, & tanto præstantioris Fœderis Mediator est, quod præstantioribus promissis sancitum. Hebr. 8. vers. 6. Novum autem Fœdus seu Testamentum præstantioribus promissis sancitum esse quam vetus, dicere non potuisset scriptor iste divinus ad Hebræos, si in Veteri Te-

stamento æque promissa fuit vita æterna, qua nulla præstantior promissimo dari potest, atque in Novo. Hinc etiam Paulus, ut paulò ante audivimus, Christo tribuit, quod ille vitam & incorruptibilitatem in lucem produxerit per evangelium. 2 Tim. 1. 10. Itaque vitam & incorruptibilitatem sub Lege non in luce, sed in tenebris fuisse oportet, id est, eam hominibus non fuisse promissam. Interea tamen omnes pii à condito mundo, atque adeo ii etiam qui sub lege vixerunt, certa spe vitæ æternæ præditi fuerunt, sed spem istam non hauserunt ex clara revelatione aut universali aliqua promissione, verum ex lumine naturalis rationis suæ; cujus opè ea imprimis, quæ Deus ipsis de se, ac potissimum de summa benignitate ac misericordia sua patefecerat, considerando, tantam in Deum fiduciam conceperunt, ut non dubitarent, eum sinceram obedientiam suam longe majori & majestate sua digniori præmio compensaturum, quam quod in hac ærumnosa vita ipsis contigit. Quæ filialis fiducia tanto fuit Deo gravior, quia propria eorum probitate, non ultà expressa promissione nitetur. Idcirco etiam hanc eorum spem spiritu suo in animis eorum obsignavit, ut securi & cum gaudio ex hac vita migrarent. Atque hæc est illa fides, qua iustus etiam sub Veteri Fœdere vixit: qua de re Paulus ex Habacuco Propheta verba citat Rom. 1. 17. Habac. 2. vers. 4. *iustus, ex fide vivet.*

13. Quomodo vero & quo medio tam inæstimabilis thesaurus vitæ æternæ comparari queat, edocet Christus, in sua ad Patrem oratione inquit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Joh. 17. 3. Ex quibus verbis intelligitur, vitam æternam, seu medium adipiscendi vitam æternam, in his duabus rebus consistere; primum in cognitione Dei Patris; & secundo in cognitione Jesu Christi. Estque probe animadvertendum, Christum neque Deum Patrem suum, neque se simpliciter ac nude nominare, sed non sine emphatica descriptione. Patrem suum describit ira, quod sit *solus verus Deus*: se autem, quod sit ille, quem Pater misit.

14. Ex hac utriusque descriptione patet, solum Patrem Domini nostri Jesu Christi, esse verum atque altissimum Deum: hoc enim Christus hinc disertis asserit verbis. Cum ergo Christus Iesus Pater ille non sit, (siquidem est illius filius ac legatus) consequitur necessario, eum non esse illum verum Deum altissimum, qui est Pater. Idem etiam de Spiritu sancto statuendum est, quod cum Pater non sit, verus ille Deus altissimus non sit; ut pote cum solus Pater talis sit. Verum hoc idem etiam alia ratione tam de Christo, quam de Spiritu sancto ex his verbis Christi probari potest. De Christo quidem ex eo, quod seipsum dicat esse missum ab illo solo vero Deo. Legatus autem non potest esse ille ipse, à quo missus est. De Spiritu sancto autem hoc modo, quod cum Christus enumeret personas, in quarum cognitione vita æterna consistit, Patrem solum & se nominet, omisso prorsus Spiritu sancto. Si Spiritus sanctus etiam Deus foret altissimus, utique vita æterna etiam in ejus cognitione consisteret, non minus quam in cognitione Patris & Jesu Christi, neque ejus mentionem Christus ullo pacto potuisset omittere. Imò indecorum fuisset, legati Dei potius, qualis Christus est, quam Spiritus sancti meminisse.

15. Quod igitur primum cognitionem Dei attinet, sciendum est, ad consequendam vitam æternam non præcise omnia esse scitu necessaria, quæ ullâ ratione de natura ejus, essentia & attributis sciri possunt: sed ea tantum, sine quorum scientia in Deum vera fiducia collocari, & obedientia talis, qualem ille à nobis postulat, præstari nequit. Quare quod attributa Dei spectat, scire sufficit, unum esse Deum, qui Deitatem à nullo alio acceperit, eum esse æternum, omnipotentem, sanctum, iustum, misericordem, veracem, omniscium, & quæ similes perfectiones Deo clarissimis verbis in sacrâ scripturâ tribuuntur.



16. Deum autem ita unum esse, ut nonnisi una persona sit, ex eodem paulò antè producto Joh. 17. 3, loco constat. Cùm enim Pater Domini nostri Jesu Christi sit solus ille verus Deus altissimus, Pater autem non sit nisi unica persona, consequens est, Deum altissimum nonnisi unicam personam esse.

17. Unde clarissime efficitur, summum Deum non esse trinum in personis: ut vulgo creditur. Quod hoc ipso confirmatur, quòd vulgaris sententia, quæ hodie inter Christianos obtinet, Deum scilicet illum altissimum esse unum in essentia & trinum in personis, & has personas tres esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nusquam in tota sacra scriptura reperiatur. Fit quidem mentio Patris, Filii, & Spiritus Sancti Matth. 28. vs. 19. Sed hos tres esse tres distinctas personas, & tamen nonnisi unam numero habere divinam essentiam, de eo altissimum est in Sacris Literis silentium. Et illi, qui omnem movent lapidem, ut id ex Sacris Literis probent, nihil aliud agunt, quàm quod sacram scripturam torqueant, & falsis, longe petitis, ac neque in scriptura, neque in ratione fundatis consequentiis seipsum & alios deludant. Neque sane fieri potest, ut hæc sententia in scriptura extet, cum illa tam clare atque expresse testetur, Deum nonnisi unum esse, eumque non alium esse, quam Patrem Domini nostri Jesu Christi. Si Deus altissimus non una persona foret, sed tres personæ, utique etiam non unus Deus, sed tres Dii forent. Persona enim nihil aliud est, quam suppositum seu substantia prima completa intelligens. Ergo ubi sunt tres distinctæ personæ, ibi sunt tria supposita, seu tres distinctæ substantiæ intelligentes. Tres autem substantiæ distinctæ, quarum quælibet Deus dicitur, sunt tres distincti Dii. Eam enim ipsam ob causam vulgò docetur, tres distinctas personas tantum unam divinam essentiam habere, quia creditur, tres distinctas essentias seu substantias divinas tres distinctos Deos facere. Quandò numerantur personæ, acciditur, Pater est persona, filius est persona, Spiritus sanctus est persona, inde inferitur, tres personas esse, quia tres personæ numeratæ sunt. Si igitur etiam dicatur, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, nulla causa est, cur non æque inferri debeat, tres Deos esse, quia tres numerati sunt. Sed cùm hoc absurdum sit, manet, non esse nisi unum Deum, adeoque tantum unam divinam personam.

18. Quod opera Dei attinet, necessario tenendum est, unum illum Deum summum esse creatorem cœli & terræ. Hinc enim ortum ducit ejus divina potestas in omnes creaturas, & jus eis pro suo arbitrio imperandi ac leges præscribendi, ad quarum observationem omnes obstricti sumus.

19. Deinde nosse de Deo oportet, eum esse primam ac principalem salutis nostræ causam; uti Paulus Apostolus disertissime testatur, cum ait: *Nobis unus est Deus, Pater* (intellige Domini nostri Jesu Christi) *ex quo omnia, & nos in illum*; 1 Corinth. 8. 6. Id est, qui est suprema ac prima causa, ut aliarum rerum omnium, ita inprimis earum, quæ nos Christianos concernunt. (Vocula enim *nobis* indicat, Apostolum tantum ad Christianos respicere.) *Et nos in illum*, id est, ad quem tanquam ultimum finem nos nostram religionem ac cultum dirigere debemus. *Pater igitur Domini nostri Jesu Christi est primus auctor nostræ salutis*, qui ex summa philanthropia seu amore humani generis, nostri misertus est, & per Filium suum Jesum Christum æternam redemptionem nobis præparavit: qua de re, præter modo citatum locum Pauli, sacra scriptura plena testimoniorum est.

20. Hic observandum est, nos iterum clarissimum habere argumentum, ejus rei, quod solus Pater Jesu Christi sit unus ille Deus summus, à quo tanquam prima causa salus nostra habet originem. Ait enim Apostolus: *nobis unus est Deus*; & mox declarans quis ille sit, dicit; *Pater*. Unde perspicuum est, Christum non esse illum Deum summum, quia non est Pater. Atque ideo eum etiam Apostolus ibidem ma-

nifeste distinguit ab illo uno Deo, cum addit: *& unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, & nos per eum*; id est, qui est media causa, per quam Deus ille unus, nempe Pater, omnia ad salutem nostram spectantia perficit: *& nos per illum*, id est, per quem nos Deum colimus atq; adoramus. Sed de his plura postea.

21. Ad Christi cognitionem, (quæ est res altera, in qua consistit via salutis ac vitæ æternæ) requiritur primo, ut sciatur & credatur, eum esse verum hominem, quem Deus vi sanctissimi spiritus sui in utero purissimæ ac immaculatæ virginis formavit ac produxit, ex qua is verus homo, verum humanum corpus & veram humanam animam habens, natus est. Hic revera non credunt illi, neque intelligunt, qui Christum secundam Trinitatis personam, adeoque Deum illum unum summum esse statuunt. Hæc enim sententia postulat, ut in Christo non sit nisi una persona, secunda videlicet persona trinitatis, quæ humanam naturam sibi addiderit. Unde necesse est id quicquid in Christo humanum est, humanam personam non esse (alioquin enim duæ personæ in Christo forent, divina & humana) sed tantum naturam humanam. At humana natura homo non est, imò non est res per se subsistens, sed attributum quoddam in re alia per se subsistente innærens. Cum autem Christus sit verus homo, ut Sacra Scriptura aperte testatur 1 Tim. cap. 2. vers. 5. *Unus est Deus, & unus Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus*: sequitur omnino, eum esse humanam personam. Et, si est humana persona, sequitur, eum non esse secundam Trinitatis personam, quia alias duo in eo personæ forent: quod absurdum est. Quòd verò verus homo, & humana persona, unum & idem sint, tam clarum ac evidens est, ut ne unicum quidem exemplum in toto mundo monstrari queat ullius veri hominis, qui non sit humana persona. Si quis dicat, aliam esse Christi rationem, qui prorsus singularis persona sit & extraordinaria, de qua idem, quod de aliis hominibus prædicatur, dici nequeat: is nihil aliud dicit, quam Christum non esse verum hominem. Nam verus homo, quales nos omnes sumus, est humana persona; Christus autem juxta hanc sententiam humana persona non est. Quomodo ergo carnis & sanguinis nostri factus est particeps? Quomodo nos appellat fratres suos? Quomodo est filius Davidis? An etiam David potest habere filium, qui non sit humana persona? Quare illi, qui Christum Deum altissimum esse opinantur, viustius opinionis id ipsum ac Christo negant, quod scriptura clare de eo attestatur, & in quo maximum solatium nostrum continetur, quod nimirum Deus verum hominem, nobis in natura per omnia similem, ducem ac principem salutis nostræ constituerit.

22. Deinde ad cognitionem Christi pertinet, quod sit unigenitus Dei filius. Causæ autem, ob quas Christus filius Dei vocetur, copiosissime quatuor in Sacris Literis afferuntur. Primam expressit Angelus Gabriel Luc. 1. 35, ubi Mariam Virginem sic inter alia alloquitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; propterea etiam, quod ex te nascetur, sanctum vocabitur filius Dei*. Quibus verbis docemur, Christum ideo filium Dei esse, quia non à viro, sed à Deo virtute & operatione Spiritus sancti genitus sit, atque adeò nullum alium, quàm Deum, habuerit patrem. Probe hic notandum est, Angelum non dixisse Mariæ: Deus ipse altissimus secunda nimirum Trinitatis persona, de cœlo descendet, inque tuum uterum descendet, & in eo naturam humanam, assumet, atque ex te nascetur, & sic natus filius Dei vocabitur. Equidem si res ad eum se habuisset modum, Angelus id Mariam non celasset, sed aperte indicasset. Hæc enim esset vera causa, ob quam sanctissimus hic foetus filius Dei vocandus esset.

23. Altera causa, ob quam Christus filius Dei nuncupetur allata est ab ipso Christo Joh. 10. 34, 35, 36. Cum enim Judæi Christum accusarent blasphemie, quod homo existens seipsum Deum faceret, quia Deum Patrem suum



suum vocaverat, dixeratque, se & Patrem unum esse; respondit eis Jesus hoc modo: *Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi, vos Dii estis? Si illos dixit Deus, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura: cur me, quem Pater sanctificavit & in mundum misit, dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum? Quibus verbis Christus ostendit causam, ob quam multo meliori jure se Filium Dei vocaverit, quam olim Judices supremi ac Reges Dii sunt appellati: nempe quod à Patre sanctificatus & in mundum missus sit. Ex qua causa rursus elucet, Christum non ejusmodi Filium Dei esse, qui sit ipse Deus altissimus. Deus enim altissimus ut ab aliquo sanctificetur, opus non est. Quicquid à Deo sanctificatur, id accipit sanctitatem, quacunque tandem in re illa consistat. Deus autem nullam habet sanctitatem, quam ab alio acceperit. Quocirca Christus, quatenus Filius Dei est, Deus altissimus non est. Neque etiam Deus altissimus à Deo mitti potest, ut unicuique per se patet.*

24. Tertia causa, ob quam Christus Filius Dei dicitur, est resuscitatio ejus à mortuis, & quidem ad vitam æternam ac immortalem. Idcirco enim *primogenitus ex mortuis* appellatur Col. 1. 18. Apoc. 1. 5. Cujus autem alius primogenitus dicitur, quam Dei? Vide etiam Rom. 1. 4.

25. Cum hac causa conjuncta est & quarta, quæ est potissima, cur Christus Filius Dei appelletur; illa verò est ejus Exaltatio ad Regiam & Sacerdotalem in cœlis dignitatem. De resuscitatione Christi, quatenus ei mox consecuta exaltatio annexa est, præclarum habemus locum Actor. 13. vers. 32, 33. ubi Paulus Apostolus ait: *Annuntiamus vobis promissionem, quæ patribus nostris facta est, quod Deus impleverit cum filiis illorum, nobis, resuscitato Jesu, ut etiam in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* In his verbis, ut patet, Apostolus locum Psalmi explicat de resuscitatione Christi, quasi Deus Christum tunc, cum eum excitavit à mortuis, genuerit. Unde clarè cernitur, in eo collocari causam, cur Christus Filius Dei vocetur, quòd eum Deus à mortuis suscitavit. *Resuscitatio enim Christi, & eam consecuta glorificatio, & ad Regium ac sacerdotale munus evectio, est quasi generatio ex Deo, ob quam merito Filius Dei dicitur. Qui enim mortuus est, desiit esse, & qui resuscitatur, transit à non esse ad esse, non secus atque is, qui nascitur, antea nihil erat, per generationem autem demum incipit esse.* De exaltatione autem Christi, ad Regiam sublimitatem, quod regenerationi sit non ablimilis, nemo dubitabit, qui perpendet, Reges, principes, summos magistratus à Deo ipso vocari tum *Deos*, tum *Dei Filios*, idque propter solam eorum sublimem potestatem atque imperium, ad quod à Deo evecti sunt. Vide Psal. 82. 6. Ita de Davide quoque dicit Deus: *Constituam eum primogenitum, excelsum inter Reges terræ.* Psal. 89. 28. Eo ipso nimirum constituit illum Deus primogenitum suum, dum eum excelsum fecit inter omnes Reges terræ. Huc faciunt etiam verba illa Psalmi secundi, quæ Paulus supra applicavit ad resuscitationem Christi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cum enim Deus dixisset, *Regem meum constitui in Sione monte sanctitatis meæ*, subicit David, ut sonant verba in Hebræo: *Enarrabo decretum Jehovæ.* Nempe illud ipsum decretum, de quo ceperat loqui, quod eum Deus regem constituerit in Sione monte suo. Quænam verò sunt verba istius decreti divini? Ecce addit: *Jehova dixit mihi, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sciendum enim est, verba hæc literari sensu ad Davidem typum Christi, prolata esse, mystico autem ad Christum referri. Cum enim Deus olim Davidem è multis calamitatibus atque adversis, in d & ex faucibus mortis eripuit, atque Regem populi sui creavit, hæc ratione eum veluti genuit ac filium suum effecit, & quidem talem filium,

qui cum aliis Regibus terrenis comparatus, potestate ac dignitate *primogenitus* ipsius esset. Psalmi 89. 28. Si proinde David propter suam exaltationem ad terrestrem gloriam Dei filius appellatus est: quanto magis hic titulus competit Christo, quem Deus è mortuis suscitatum collocavit ad dexteram suam in cœlis, supra omnes principatus, potestates, virtutes, dominationes, & omne, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; omniaque subiecit pedibus ejus, eumque constituit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, complementum ejus qui omnia in omnibus adimplet. Ephes. 1. vers. 20, 21. Respectu hujus generationis Christi, quæ per ejus exaltationem facta est, accommodat etiam Auctor Epistolæ ad Hebræos hæc verba Psalmi secundi ad ejus Regiam dignitatem, cum inquit cap. 1. 3, 4, 5. *Christus consedit ad dexteram majestatis ejus in excelsis, tanto præstantior effectus Angelis, quanto excellentius præ illis sortitus est nomen.* Nam cui dixit unquam Angelorum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et cap. 5. vers. 5. hæc eadem verba trahit ad sacerdotalem Christi eminentiam, sic scribens: *Ita & Christus non ipse sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed is qui dixit ei, filius meus es tu, ego hodie genui te.*

26. Hæc sunt causæ, quæ in Sacris Scripturis reperiuntur, ob quas Christus Filius Dei dicitur. Nihil autem sublimius & excellentius de Christo affirmari potest, quam quod sit Dei Filius, si proinde alia adhuc insignior causa daretur istius filiationis, præter has quatuor modo enumeratas, scriptura sacra eam sine dubio silentio non rexisset. Quapropter illi, qui asserunt, Christum ideo vocari Filium Dei, quia ab æterno ex essentia Patris genitus est, rem affirmant ejusmodi, quam nullo è Sacris Literis argumento comprobare possunt.

27. Cæterum hic ipse præstantissimus titulus filii Dei, non uno modo arguit, Christum talem Dei filium non esse, qui ab æterno sit ex essentia Dei generatus, ac porro sit ipse Deus altissimus. Primum quia dum filius Dei appellatur Christus, hac appellatione à Deo manifeste distinguitur. Nemo enim potestis ipse esse, cujus est filius: alioquin enim sui ipsius filius foret. Si igitur Christus est ipse Deus altissimus, & est Dei altissimi filius, tum sequetur, eum esse suipsum filium: quod seipsum evertit. Neque juvat effugium illud, quod Christus sit tantum Patris, qui prima trinitatis persona est, filius, non totius trinitatis. Vulgo enim existimatur, tres personas trinitatis unam tantum essentiam divinam habere: si enim quælibet persona peculiarem essentiam divinam haberet, tres Dii forent. Jam si essentia Patris est etiam essentia filii, & filius ex essentia Patris generatus est, sequitur manifestissime, filium ex sua ipsius essentia generatum, adeoque sui ipsius filium esse: quod, ut diximus, seipsum aperta contradictione conficit. Secundo, ex eo, quod Christus sit filius Dei, sequitur Patrem superiorem ac præstantiorem esse filio, adeoque filium Patre minorem. Longe enim major ac præstantior is est, qui essentiam suam & omnia quæ habet, à seipso habet, quam is, qui & essentiam, & omnia quæ ex essentia ejus profluunt, & quæcunque habet, ab alio accepit. Jam verò est in confesso apud omnes, Deum Patrem suam essentiam, omniaque quæ habet à seipso & ex seipso habere: & nisi ex seipso haberet, sed ab alio, summus Deus non esset, sed alius alterius quoque filius vel creatura foret. Filius autem propter hoc ipsum, quod filius est, habet essentiam suam, & quæcunque ad eam pertinent, à Patre. Evidens proinde est, Patrem esse præstantiorem filio, atque aded filium non esse Deum summum. Hoc Christus quoque ipse confirmat proprio ore suo, dum ait: *Pater major me est.* Joh. 14. 28. Tertio constat patrem unumquemque semper esse tempore priorem filio. Generatio enim dicitur, quando id quod non fuerat antea, per generationem fit aliquid. Necessè igitur est, ut quod generatum est, antequam

generaretur, non fuerit, utque adeo Pater, à quo id generatum est, prius extiterit. Unde sequitur, Christum quatenus est Dei filius, non esse Deum summum, quia summus Deus semper extitit, & nunquam generatus id est, ex nihilo aliquid factus est. Profecto aliquid ab æterno natum esse, manifeste adeo contradictionem implicat, ut id etiam homines indoctissimi facile intelligant. Cum itaque neque in sacro codice usquam scriptum extet, Christum ab æterno ex essentia Patris natum, ac porro ipsum Deum supremum esse; cum etiam talis generatio contradictionibus innumeris scateat, concludendum est, Christum quatenus filius Dei est, summum Deum non esse. Si verò Christus eatenus Deus summus non est, quatenus est Dei filius, certe non est ulla alia ratione. Nihil enim sublimius, ut jam supra innuimus, de eo dici potest, quam quod sit unigenitus filius Dei viventis. Hinc Petrus etiam nomine omnium Apostolorum confessionem edens non poterat quicquam excellentius de eo profiteri, quam: *Tu es Christus Dei viventis filius*. Matth. 16. 16.

28. Quærere autem aliquis posset: si Christus non est Deus summus, cur nihilominus expresse Deus appellatur in Sacris Literis; ut cum Thomas ad eum dicit: *Dominus meus, & Deus meus*. Joh. 20. 28. Vide etiam Joh. 1. 1. Rom. 9. 5. Responso in promptu est, attendendum est, quod antea diximus, quod nihil præstantius ac sublimius de Christo dici queat, quam quod sit filius Dei; nam & illi, qui Christum pro summo Deo agnoscunt, eum eatenus tantum pro tali habent, quatenus ex essentia Patris ab æterno est genitus, adeoque est Dei filius. Quocirca inter hæc duo nomina Christi, *filius Dei*, & *Deus*, quod dignitatem attinet, nulla est differentia, sed æque late patent. Demonstravimus quoque, Christum quatenus est Dei filius, Deum summum esse non posse: unde sequitur, Christum, quando Deus in sacrâ scripturâ dicitur, non illum Deum summum esse indicari, qui Pater est. Cur ergo Deus vocatur, si non est Deus summus? an ergo sunt duo Dii? quæreret aliquis. Sed qui sic quærît, deberet prius quærere, cur supremi iudices ac Magistratus Dii vocentur in Sacris Literis? Ita enim Deus loquitur Psal. 82. 6. *Ego dixi, vos Dii estis, & filii altissimi omnes*. Et in ipso hujus Psalmi initio scriptum est: *Deus stetit in congregatione Deorum, & iudex est inter Deos*; id est, inter Iudices ac Magistratus populi sui. Nimirum Dii appellantur non aliam ob causam, quam propter suam auctoritatem, quæ a Deo ad populum regendum ac iudicandum ipsis concessa est. Quærere itidem deberet; cur Angeli Dii appellantur? Ita enim habetur scriptum Psal. 97. 7. *Adorent eum omnes Dii*: ubi per Deos intelligendos esse Angelos, explicat auctor epistolæ ad Hebræos, qui hæc verba Psalmi ita allegat: *Adorent eum omnes Angeli Dei*. Hebr. 1. 6. Quærere quoque deberet; cur Moses Aaronis Deus dictus sit: *Ille erit os tuum, & tu eris Deus ipsius*. Exod. 4. 16. Nimirum Aaron debet loqui, Moses autem mandatis eum instruere, quæ loqueretur. Jam si Angeli, Magistratus, Moses, Dii vocati sunt propter exiguam potestatem, quam a Deo acceperant; multo iustius nomen Dei Christo tribuitur, & potiori iure vocatur *Deus benedictus in secula*. Rom. 9. 5, quandoquidem ipsi a Deo supremo data est omnis potestas in cælo & in terrâ: Matth. cap. 28. 18, ipsum *Deus resuscitavit à mortuis & collocavit ad dextram suam in cælis, supra omnes principatus, potestates, virtutes, dominationes, & quicquid nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, omniaque subiecit pedibus ejus, eumque constituit caput super omnia Ecclesiæ*. Eph. 1. 20, 21, 22, ipsum Deus propterea, quod fuit obediens usque ad mortem, & quidem mortem crucis, supra modum exaltavit, & donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur, omne genu, celestium, terrestrium & inferorum, utque omnis lingua confiteatur, *Jesum Christum esse Dominum ad gloriam Dei Patris*. Phil. 2. 9, 10, 11. Quid aliud est nomen istud, quod est supra omne nomen, quam nomen Dei?

Nullum sane sublimius nomen fingi potest. Hoc nomen autem Christus non ab æterno habuit; sed Deus id ei donavit, propter ipsius obedientiam, quam præstitit usque ad mortem crucis. Quanquam per istud nomen non nudus intelligitur titulus, sed etiam res ipsa nomini isti conveniens; quæ nihil aliud est, quam divina potestas atque imperium cum summa sapientiâ ac potentiâ conjuncta. Huc spectat quoque insignis ille locus, Joh. 5. 22, ubi Christus ipse ait: *Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem*. Objiciet quisiam: Ergo sunt duo Dii, quibus honor ac cultus divinus à nobis exhibendus est? Respondeo: si per vocem Dei intelligatur Deus altissimus, qui potestatem suam à nemine accepit, nonnisi unus talis Deus est: ut supra ex Paulo Apostolo demonstravimus, qui inquit: *Nobis, intellige Christianis, unus est Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum*. 1 Cor. 8. 6. At si voce Dei intelligatur talis, qui divinam aliquam potestatem habet & imperium super alios a Deo altissimo sibi communicatum, tum dicit Apostolus eodem illo loco, *multos Deos esse*. Et si sunt, inquit, qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra (sicut sunt multi Dii & Domini multi.) Nimirum in cælo sunt Angeli Dei, & in terris, Magistratus ac Reges. Nos autem Christiani inter tantam multitudinem Deorum non deferimus cultum divinum nisi duobus: Deo Patri scilicet, qui est ille unus Deus, ex quo omnia, & nos in illum; & uni Domino, Jesu Christo, per quem omnia, & nos per illum. 1 Cor. 8. 6, 7, id est, per quem Deus omnia regit ac gubernat, quæ ad salutem nostram spectant, & per quem nos etiam Deo cultum nostrum exhibemus. Nomen enim Domini, quod Apostolus hîc Christo tribuit, non aliud est, nec aliud significat, quam nomen Dei, quo alibi Christus insignitur. Atque hoc, quod Christus talis Deus ac Dominus sit, per quem sunt omnia, discernit eum ab illo uno Deo, Patre, ex quo sunt omnia. Est quidem Christus Deus, sed non ille unus, ex quo omnia; sicut & Pater, est etiam Dominus, sed non ille, per quem omnia. Ex quo porro liquet, Christum ejusmodi Dominum ac Deum esse, qui alium Deum se superiorem habeat. Hinc scriptor ad Hebræos illa verba Psal. 45. ad Christum applicat: *propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ supra consortes tuos*. Heb. 1. 9. ubi Christum appellat Deum, dicitque Deum illius unxisse eum oleo lætitiæ. Unde colligitur, Christum etiam quia Deus est, non esse Deum summum. Deus enim summus ab alio Deo ut ungatur, opus non habet. Sic ipse quoque Christus appellat Patrem Deum suum: Joh. 20. 17. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum*. Et in Apocalypsi Johannis Christus in uno versiculo quater vocat Patrem Deum suum: *Qui viceret, inquit, faciam ut sit columna in templo Dei mei, nec foras egredietur amplius, & inscribam ei nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, novæ Hierosolymæ, quæ descendit à Deo meo*. Apoc. 3. vers. 12. sic Christus in agone mortis constitutus exclamavit: *Deus mi, Deus mi, cur de reliquisti me?* Matth. 27. vers. 46. Paulus quoque optat Ephesiis, ut *Deus Domini nostri Jesu Christi det illis spiritum sapientiæ*. Ephes. 1. vers. 17. Huc pertinet, quod Paulus ait, *Deum esse caput Christi*. 1 Cor. XI. vers. 3. Quæ omnia evincunt, Christum etsi sit Deus, talem tamen Deum esse, qui alium se superiorem Deum habeat, à quo suam divinitatem, id est, divinam potestatem, omnipotentiam & omni scientiam accepit. Atque hac in re consistit vera Christi præstantia, quod is quoad naturam suam nonnisi homo existens, propter omnibus numeris absolutam obedientiam suam ad tantum honoris ac dignitatis cælestis fastigium erectus sit, ut ei Deus regimen totius universi & omnem in cælo ac in terris potestatem concesserit, eumque necessariis ad tale regimen donis, nempe divina potentia & divina sapientia repleverit: præcipue autem eum caput ac dominum Ecclesiæ ac fidelium suorum constituerit, salute eorum in manus ipsius

tradita. Quod dominium atque regimen ille administrabit tandiu, donec omnes inimicos suos pedibus suis subjiciat: quorum inimicorum ultimus est mors. Cumque ipsi subiecta fuerint omnia, tunc & ipse subjicietur ei, qui subiecit ipse omnia, ut Deus sit omnia in omnibus. 1 Cor. cap. 15. v. 25, 26, 27, 28. Hæc quoque in re consistit summa nostra consolatio, quod habeamus principem ac ducem salutis nostræ in cœlis eum, qui vere fuit caro & sanguis noster, id est, verus homo, qui possit affici sensu infirmitatum nostrarum, quia fuit tentatus in omnibus similiter ac nos. Hebr. 4. 15. Cum enim divina Majestas nobis posset esse formidabilis, sicut olim Israëlítico populo, qui rogavit Moysen, ne Deus, sed ipse cum eis loqueretur Exod. 20. 19, ad eundem modum Deus nostræ consulens imbecillitati, mediatorem nobis dedit unum ex nostro genere, quem Dominum ac caput nostrum constituit. Consolatio autem hæc nostra valde labefactatur, si Christus est ipse Deus altissimus: uti postea pluribus à nobis declarabitur. Cum igitur Deus Christo communicavit divinam potestatem, ut in omnibus necessitatibus nostris possit nobis opitulari; nec non divinam sapientiam, ut omnia nostra desideria & necessitates etiam abditissimas scire atque intelligere possit; iustissimas habemus causas, ut fiduciam ac spem nostram in eo colloceamus, ipsum adoremus tanquam Dominum ac Deum nostrum, ad eum in omnibus casibus ac necessitatibus confugiamus, honoremque eundem ipsi tribuamus, quem Deo Patri. Ità enim Christus ipse nos docuit, *Patrem dedisse omne iudicium Filio, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem.* Joh. 5. 22.

29. Jam sequitur tertium, quod de Christo nobis tenendum est atque cognoscendum, quod nimirum a Deo missus sit, ad annunciandam hominibus gratioriam voluntatem Dei de redimendo humano genere, seu de remissione omnium peccatorum nostrorum, deque vitæ æternæ, ac rebus quæ his annexæ sunt. Hoc testatur Christus ipse, cum in suprâ allegato loco Joh. cap. 17. 3, vitam æternam collocat in cognitione Patris illius solius veri Dei, & Jesu Christi, quem ille misit. Ità & Paulus ait: *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere.* Gal. cap. 4. v. 4. Ex quo intelligitur, nostri officii esse, Christo, tanquam legato Dei, in omnibus, quæ nobis promisit ac præcepit, perfectissime credere ac sine omni dubitatione ac fluctuatione ipsi confidere.

30. Hinc rursus sequitur, Christum quatenus est Dei filius, Paulus enim dicit, Deum misisse filium suum. Deum altissimum esse non posse. Deus enim altissimus à nemine mitti potest, sed ipse est, qui mittit alios. Neque etiam Deo altissimo convenit mandata ab alio accipere, sed ipse dat mandata iis, quos mittit. Legatus enim quilibet, quatenus legatus est, ab alio mandatis instruitur, omniaque sua dicta & acta legationis suæ tenetur ad alterius voluntatem ac nutum dirigere. Hinc inquit Christus ipse: *Pater quime misit, dedit mihi mandatum, quid faciam & quid loquar.* Joh. 12. 49. Neque est, quod quis objiciat, Christum tantum secundum humanam naturam de se loqui. Expresse enim tanquam legatus Dei, adeoque tanquam persona consideratur. Itaque tota hic persona Christi, seu totus Christus, quantus quantus est, non humana tantum natura ejus, quæ pro persona non habetur, intelligenda est. Vulgò etiam creditur, Patrem ceu primam personam trinitatis, filium ceu secundam personam trinitatis de cœlo misisse in utero Mariæ Virginis. Ità enim habetur in hymno Ecclesiastico: *Dixit Pater ad filium suum dilectissimum, venit tempus misericordiæ exhibendæ, descende in terram, o animi mei corona, si quæ salus pauperum. Filius autem Patri obsequens, venit ad nos in terram, factusque est è purâ ac tenerâ virgine frater meus.* Nempe Deus altissimus fuit Deo altissimo obsequens, & Deus altissimus factus est noster frater. Hinc jam sequitur, Christum, si ejusmodi persona trinitatis foret, ea ipsa de causa, quod à prima persona missus sit, non posse esse Deum altissimum: cum, sicut dictum est, Deus altissimus à nemi-

ne mitti, mandataque accipere possit. Quin etiam sequeretur, quia Deus Christum misit, Christum etiam seipsum misisse, si ille ipse, qui misit, Deus esset.

31. Porro Christi munus in terris peragendum, ob quod missus est fuit, ut voluntatem Dei hominibus patefaceret, ac promulgaret, ut Novum Fœdus inter Deum & homines, tanquam mediator, sanciret, adeoque totum opus redemptionis nostræ perficeret. Et huc spectat posterior pars loci Pauli supra citati 1 Cor. 8. 6. *Nobis unus est Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per illum.* E quibus verbis ultimis patet, quod sicut Pater est Deus ille unus, à quo omnia tanquam à prima ac summa causa proveniunt, quæ nos Christianos & salutem nostram tangunt; ita Christus Jesus sit unus Dominus, per quem tanquam per mediatorem seu mediam causam omnia à prima ac summa causa administrantur ac perficiuntur. Christus itaque hic dicitur Dominus unus, respectu muneris sui mediatorii. Nam *unus est mediator Dei & hominum.* 1 Tim. 2. 5. Ad hanc dignitatem autem, ut sit unus Dominus, per quem omnia, tunc pervenit, cum eum Deus exaltavit ad dexteram suam, atque sic Dominum & Christum effecit. Actor. 2. 36. Qua de re jam supra quoque nonnihil diximus.

32. Summa verò voluntatis divinæ, quam Christus promulgavit, quæque Novo Fœdere continetur, hæc est. quod Deus hominibus omnia præterita peccata perfectè condonare, eosque æternæ salutis participes facere velit, sed hac lege atque conditione, ut in Christum credant, id est, eum pro vero Dei legato agnoscant, ideoque doctrinam ejus tanquam divinam recipiant & amplectantur. In eo enim consistit fides, quæ adhibetur legato, ut non solum is ipse pro vero legato agnoscatur, sed ut quoque id, quod ille nomine legantis proponit, pro vero ac fide digno habeatur & recipiatur. Ex quo efficitur, in omnibus istis Christo obtemperandum esse, quæ ille nobis Dei nomine ac loco præcepit. Hæc autem fides in Christum complectitur non ea solum, quæ Christus ipse docuit, cum in terris versaretur, sed etiam ea, quæ per Apostolos, quos admiranda vi Spiritus Sancti instruxit, nobis annunciari curavit. Apostolorum enim doctrina nihil aliud est, quàm Christi doctrina, quam illi à Christo per Spiritum Sanctum, qui eos deduxit in omnem veritatem Joh. 16. 13, acceperunt.

33. Exinde manifestum est, veram salvificam fidem omnino in se obedientiam ac pietatem includere. Cum enim doctrina Christi necessario a nobis postulet, ut pie sancteque vivamus, id est, ut præceptis Dei pareamus; necesse est, si veram fidem habere volumus, ut credamus, verum esse, quod doctrina Christi id à nobis postulet & exigit. Si autem credamus, nos non obligari ad vitæ sanctimoniam, tum utique non credimus, doctrinam Christi id à nobis postulare, atque sic veram fidem non habemus. Si verò credimus, nos necessario teneri pie vivere, id est, mandata Christi servare, necesse quoque est, ut id faciamus, si divinis promissis potiri cupimus.

34. Quod autem doctrina Christi veram pietatem atque obedientiam mandatorum ejus exigit, tam clarum & certum est, ut vix pagina aliqua in sacro codice Novi Testamenti reperiatur, in qua non aliquod ejus rei indicium atque argumentum extet. Nam præter longum illum catalogum virtutum, quos Christus, in concione sua Matth. 5. recenset, ubi jubet inter alia, potius dextrum oculum erui, & dextram manum vel pedem amputari atque abjici, quàm ut scandalum committatur, diserte dixit Christus juveni illi diviti Matth. 19. 17. *Si vis ingredi in vitam, serva mandata.* Cui ignotum est, quàm serio Christus charitatem, quæ est lex regia Jacob. 2. 8. & omnium mandatorum compendium Matth. 22. 37, 38, 39. Rom. 13. 9. discipulis suis inculcarit, & hoc præceptum suum novum præceptum vocarit; quia nimirum nunquam in tanta perfectione ab hominibus fuit exactum? Novum præ-



ceptum, (inquit Christus ad discipulos suos,) *do vobis, ut diligatis alii alios, sicut ego dilexi vos, ut & vos alii alios diligatis. Ex hoc cognoscent omnes, vos esse meos discipulos, si charitatem habueritis alii adversus alios.* Joh. 13. vers. 34, 35. Ita quid clarius de pietate dici potest, quam quod dicit Paulus Apostolus: *ne regnet peccatum in mortali corpore vestro, ut auscultetis ei in concupiscentiis carnis; neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato, sed sistite vos Deo, tanquam ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo.* Rom. 6. 12, 13. Idem in 1 ad Corinth. 6. 9. *An ignoratis justos non esse hæreditatem regni Dei possessuros? Ne errate: neque scortatores, neque idololatæ, neque adulteri, neque molles, neque drauci, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque conviviatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt.* Et alibi: *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt: adulterium, scortatio, impuritas, lascivia, idololatria, veneficium, inimicitia, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, dissidia, sectæ, invidia, homicidia, ebrietates, comestationes, & his similia; quæ prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quod qui talia faciunt, regni Dei hæreditatem non obtinebunt.* Gal. 5. 19, 20, 21. Et ad Ephesios scribit: *ipsius (Dei) sumus opus, conditi in Christo Jesu, ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus.* Ephes. 2. 10. Et Colossensibus optat Paulus, *ut ambulent digne Domino, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in cognitione Dei.* Coloss. 1. 10. Et ad Titum scribit: *illuxit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & juste, & pie vivamus in presenti seculo.* Tit. 2. vers. 11, 12. Sic Petrus etiam monet: *Ut filii obedientiæ, ne configuretis vos pristinis in ignorantia vestra cupiditatibus, sed sicut is qui vos vocavit Sanctus est, ipsi quoque Sancti in omni conversatione sitis. Quoniam scriptum est: Sancti estote, nam ego Sanctus sum.* 1 Petr. 1. 14, 15, 16. Similiter inquit Apostolus Johannes: *Per hoc scimus, quod ipsam novimus, si præcepta ejus observemus. Qui dicit, Novi eum, & præcepta ejus non observat, mendax est, & veritas in eo non est.* 1 Joh. 2. 3, 4. Probè notandum est, quod ait scriptor ad Hebræos: *Christus consummatus, (id est, postquam ad gloriam coelestem evectus est) factus est auctor salutis æternæ omnibus, qui obediunt ipsi.* Hebr. 5. 9. Nota, omnibus qui obediunt. Huc pertinet etiam, quod Christus dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Matth. 7. 21. Et quod scribit Apostolus ad Romanos: *Deus reddet unicuique secundum opera ipsius. Illis quidem, qui per perseverantiam in bono opere quaerunt gloriam, & honorem, & in corruptibilitatem, vitam æternam.* Rom. 2. 6, 7. Et alibi: *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecit, pro eo, ac fecit, sive bonum, sive malum.* 2 Cor. 5. 10. Et Johannes in Apocalypsi: *Et judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. Et reddidit mare mortuos, quos habebat; mors quoque & infernus reddiderunt mortuos, quos habebant, & judicati sunt unusquisque secundum opera ipsorum.* Apoc. 20. 12, 13. Et quis omnia loca enumeret, quorum plena est sacra scriptura?

Ex his jam liquet, eorum summè erroneam ac perniciosam doctrinam esse, qui statuunt, bona opera ad salutem non esse necessaria, id est, qui obedientiam & pietatem à salvificâ fide rescant, adeoque sterilem ac mortuam fidem homines edocent. Fides enim in Christum requirit, ut hoc quoque credamus, quod obedientia à nobis exigatur: prout suprà ostendimus.

35. Etiam hæc doctrina perversa ac noxia est, quâ persuaderetur hominibus eos carere libero arbitrio, & facultate omni ad aliquid boni agendum, sed oportere, ut Deus solus omnia vi quâdam arcanâ in eis operetur. An enim homines sunt velut trunci, aut bruta animantia? Nonnè illis Deus rationem concessit, per quam apti sunt ad hoc ingens Dei beneficium agnoscendum, & ad frenandas per talem agnitionem concupiscentias suas? Quid amplius Deus potest facere ad

movendos homines quàm quod eis veniam largiatur omnium præteritorum peccatorum, quodque inæstimabili præmio proposito eos invitet ad faciendam voluntatem suam? Quid non homines lucri causâ faciunt, vel ob res alias temporales? si spes sit acquirendæ pecuniæ ac opum vel honorum, non desunt eis vires & animus ad res etiam arduas ac difficillimas patrandum: ecurr igitur easdem vires & eundem animum habere nequeant ad res Deo gratas perficiendum? Nullum est peccatum, de quo possit quispiam bonâ conscientia dicere, se ad id vi quâdam cogi, cui resistere non possit. Ipsa conscientia unum quemque convincit, & judicat, poruisse cum a peccando abstinere, si seriò atque ex animo voluisset. Hoc ita esse, homines ipsi experiuntur & testantur in communi vitâ. Nemo enim committit peccatum aliquod, si sciat, id sibi periculum præbens, vel insignem ignominiam allaturum. Quis alienam uxorem polluere tentabit, præsentem marito illius? quis in conspectu hominum scortari sustinebit? quis furabitur spectante rei Domino? quis fallere audeat ita palam ita, ut fraus facile pelluceat? quis genio indulgebit, quando res gravissimi momenti præ manibus habet, in quibus ebrietas ipsi irreparabile damnum afferre possit? quis mentiatur impudenter coram eo, qui certò scit rem falsam esse? Atque ad hunc modum se res habet etiam in aliis omnibus peccatis, ut ab iis homines planè abstinere queant, quando volunt; neque est quisquam, qui queritur, se vi arcanâ ad peccandum adigi, vel se a Deo derelictum esse. Nimirum ratio ipsa, si damnum vel ignominiam è peccato proventuram consideret, satis habet virium, ad cohibendos affectuum ac cupiditatum impetus, & has vires hominibus suppeditare potest. Cur igitur hæc eadem ratio non possit eis multò majores suppeditare vires ad reprimendos affectus, si considerent in æstimabile damnum atque jacturam æternæ salutis, & maximum opprobrium ac ignominiam coram Deo & omnibus electis ac sanctis Angelis Dei, quorum in conspectu aliquandò judicabuntur? Videlicet ideò ratio eorum hic invalida est ac torpet, quia falsâ opinionem imbuta est, quod non sit necessarium, ut homo pie vivat: atque hinc fit, ut affectus prævaleant ac prædominentur rationi, hominesque captivos ad peccata ducant. Et si verum esset, homines nullas ad bene agendum habere vires, sed Dei internâ ac invictâ operatione opus esset, quomodò posset Deus homines judicare? Nonnè id summa foret injustitia, ac tyrannis, si Deus hominem propterea condemnaret, quod non fecerit id, quod facere nullo modo poterat, imò quod Deus ipse noluit, ut faceret? Nam si Deus voluisset, ut id faceret, dedisset ei vires sufficientes ad id præstandum, quas ille absque Deo habere non poterat, vel ipse bonum illud in eo operatus fuisset, quod ille sine Deo operari non poterat. Ità Orbis terrarum tenebris perditissimarum doctrinarum refertus ac circumfusus est; quò fit, ut homines à via salutis aberrant, & catervatim ac citato cursu in tempiternam damnationem ferantur.

36. Amplius Deus nihil ex suâ parte desiderari posset eorum, quæcunque ullâ ratione conducere poterant ad promovendum salutis nostræ opus. Itaque ut nobis vera & salutaris fides inseri posset, tribus modis validissimis Novum Fœdus confirmavit & obsignavit: Primùm maximis & inauditis Christi miraculis; secundò vitæ ejusdem sanctimoniâ atque innocentia perfectissima; tertio morte ejus truculentissima. Quæ tria confirmationis media Johannes breviter complexus est illis verbis: *Tres sunt qui testantur (nempe Jesum esse Christum Dei Filium) spiritus, Aqua, & sanguis.* 1 Joh. 5. 8. Ubi per spiritum intelligit virtutem divinam in Christo, per quam edebat miracula: per aquam vitæ ipsius puritatem ac innocentiam: per sanguinem, ejusdem mortem.

37. Quod igitur primum confirmationis modum, id est, miracula Christi, attinet, ea magnam vim habere doctrinam Christi, adeoque Novum Fœdus confirmandi, id Christus ipse testatur apud Johannem:

*Opera, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, illa testantur de me, quod me miserit Pater. Joh. 5. vers. 36. Et iterum: Opera, quæ facio in nomine Patris mei, testantur de me. Joh. cap. 10. vers. 25. Quod autem Cunctis miracula ista non propriis ac naturalibus viribus fecerit, sed vim ea faciendi à Patre suo cœlesti acceperit, ipse rursus non uno loco proficitur. Ut cum inter alia dicit: Amen Amen dico vobis, non potest Filius facere quicquam à seipso, nisi viderit Patrem facientem. Quod enim illi facit, id Filius etiam similiter facit. Pater diligit Filium, & monstrat ipsi omnia, quæ facit, & majora his demonstrabit ei, ut vos miremini. Joh. cap. 5. vers. 19, 20. Item: Pater, qui in me habitat, (intellige per virtutem ac Spiritum suum) facit hæc opera. Joh. 14. vs. 10. Iterum: si non facio opera Patris mei, ne credatis mihi: sed si facio, si mihi non creditis, saltem operibus credite. Joh. cap. 14. vers. 37. Ità etiam Christus Lazarum resuscitaturus inquit. Pater, gratias ago tibi, quod me audieris. Ego verò sciebam, me semper à te audiri: sed propter turbam circumstantem hoc dixi, ut credant me à te missum esse. Joh. cap. xi. vers. 41. Ex quo loco elucet, id quod Christus Lazarum resuscitavit, aliaque miracula ediderit, inde profectum esse, quod eum Pater exaudiverit, & vim miracula patranda ipsi largitus fuerit. Huc faciunt etiam verba Petri in primâ ipsius concione: Jesum Nazarenum virum à Deo inter vos miraculis, prodigiis & signis approbatum, quæ fecit Deus per ipsum, eum vos accepistis. Act. cap. 2. vers. 22. Et cap. x. vers. 38. ait idem Petrus: Quomodo Deus hunc Jesum Nazarenum unxit Spiritu sancto & virtute, qui obambulavit beneficiis afficiens, & salvans omnes sub Diaboli potestatem redactos, quoniam Deus erat cum eo.*

38. Hinc rursus res ipsa loquitur, Christum non esse Deum supremum. Cur enim alioqui vellet vim faciendi miracula, prorsus alteri personæ, nempe Patri, adscribere, si ipse ut pote secunda Deitatis persona vim talem in se habuisset? Quid item unctione Spiritus sancti indiguisset, si in se manentem habuisset totam divinitatem? Quin ne humana quidem natura unctione ista eguisset, si Deus supremus cum ea per unionem hypostaticam fuisset conjunctus. Cur etiam Petrus in ultimò citatis verbis Act. x. 38, hanc attulisset causam, cur Christus tanta miracula fecerit, quia Deus erat cum illo? Cur non potius dixit: Quia ipse erat Deus summus; Vel: ipse habebat in se divinam essentiam? Vel cur non alio modo supremam Christi Deitatem expressit?

38. Secundum confirmationis Novi Fœderis modum quod attinet, Christi scilicet vitam sanctissimam & immaculatam, voluit ille suo ipsius exemplo id demonstrare, omnino hanc esse Dei voluntatem, ut faciamus ea, quæ nobis præcepit, dum ipse omnia exactissimè implevit, & Deo perfectissimè obedivit ratione.

40. Tertia confirmatio Novi Fœderis est mors ejus ignominiosissima, quæ est unum ex mirabilibus & maximis Dei operibus, quæ Deus salutis humanæ causa edidit. Christus enim morte sua non modò Novum Fœdus confirmavit & sanxit, verum etiam peccata nostra abolevit, & totum salutis nostræ negotium consummavit. Quocirca operæ pretium est, ut investigemus veras causas, propter quas Deus Filium suum unigenitum, dilectissimum, obedientissimum, ac innocentissimum, in tam acerbam ac diram mortem dederit.

41. Prima causa mortis Christi est, ut remissionem omnium peccatorum nostrorum consequeremur. Et si enim Deus hominibus omnia ipsorum delicta ex mera gratia & absque omni satisfactione perfectè condonavit ac remisit, tamen pro libera voluntate sua & infinita sapientia hanc adjunxit conditionem, ut mors innocentissimi filii sui interveniret, utque

hæc esset sacrificium expiatorium pro peccatis nostris, sine quo remissio eorum non fuisset consecuta. Hoc testatur scriptura, quandò inquit, Christum sanguinem suum effudisse pro multis in remissionem peccatorum Matth. 26. 28. Christum traditum esse propter peccata nostra Rom. cap. 4. vers. 25. Nos Deo reconciliatos esse per mortem Filii ejus. Rom. cap. 5. vers. 10. Christum peccato esse mortuum Rom. cap. 6. vers. 10. Nos habere redemptionem per fidem in sanguine ejus. Rom. 3. 25. Christum esse Pascha nostrum, quod pro nobis mactatum est. 1 Cor. 5. 7. Christum mortuum esse pro peccatis nostris 1 Cor. 15. 3. Deum fuisse in Christo, & reconciliasse sibi mundum, non imputando eis peccata eorum. 2 Cor. 5. 19. Christum seipsum pro peccatis nostris tradidisse. Gal. 1. 4: & 2. 9. Nos habere redemptionem per sanguinem ejus, nempe remissionem peccatorum. Eph. 1. 7. Col. 1. 14. Mortem Christi ad redemptionem transgressionum intercessisse. Hebr. 9. 15. atque alia his similia.

42. Abolet autem mors Christi reatum ac poenam peccatorum nostrorum eodem modo, quo olim victimæ Veteris Fœderis, quæ Christi typus fuere, peccata expiabant. Id verò fiebat in hunc modum. Sumebantur duo hirci, quorum unus vivus coram populo sistebatur, cui Pontifex summus ambas imponebat manus, & super eum confitebatur peccata populi, eaque in caput ejus quasi devolvebat: postea hircus iste in desertum ejiciebatur. Qua ceremonia repræsentabatur remissio peccatorum populi, perinde ac si hircus ille peccata populi universa tecum in desertum abstulisset. Alter hircus verò mactabatur & offerebatur Domino in holocaustum pro peccatis, atque isto sacrificio peccata populi expiabantur. Vide descriptionem hujus ceremoniæ Levit. 16. Hic uterque hircus fuit typus Christi eumque figurabat. Ad priorem respicit Petrus Apostolus, inquit; Christum sustulisse peccata nostra in corpore suo in lignum. 1 Pet. 2. 24. Nimirum sicut hircus ille emissarius populi peccata in suo capite asportabat in desertum, ita Christus totius mundi peccata in corpore suo in lignum crucis detulit. Alter verò hircus, qui mactabatur, figura Christi fuit, quatenus est victima propitiatoria, quæ mactata est pro peccatis nostris. 1 Cor. 5. 7.

Ex quo perspicuum est, quanta gratia & amore ineffabili Deus humanum genus complexus sit, dum eis non solum peccata omnia gratiose remisit, sed etiam eorum causa impendit pretiosissimum sanguinem dilectissimi Filii sui. Quem Dei amorem ac charitatem erga humanum genus Christus ipse deprædicat, cum ait: sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, puta in mortem. Joh. 3. 16. Et Johannes Apostolus: In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris. 1 Joh. 4. 10. Quapropter hæc conditio mortis Christi, gratiæ divinæ, quæ nobis in remissione peccatorum nostrorum exhibita est, nihil detrahit, sed eam potius gloriosiore reddit, quod eam non nobis, sed Filio suo onerosam conditionem imponere voluerit.

43. Si quis interroget, cur Deus non simpliciter absque hac conditione innocentis victimæ nobis peccata remittere voluerit; is deberet nobis prius causas explicare, cur Deus sub Veteri Fœdere noluerit peccata remittere, nisi cum conditione mactationis innocentium pecudum. Verum quicquid sit de victimis Veteris Fœderis, hoc facile patet, Christi mactationem non sine gravissimis causis factam esse. Primo enim Deus voluit, ut nos ad Christum, tanquam ad victimam nostram expiatoriam confugeremus. Summa enim charitas Christi, quam ille erga nos demonstravit, dum vitam suam pro nobis posuit. 1 Joh. 3. 16. Nobis vicissim ingenerat talem charitatem erga ipsum, & fiduciam, ut in omnibus nostris necessitatibus secure ad eum nos recipiamus, spesque nostras in eo collocemus. Hinc ipse Christus dixit: Quando exaltatus fuero à terra (nempe in crucem) omnes ad me traham. Joh. 12. 32. indicans, mortem suam eam vim habituram, ut omnes homines ad fidem in ipsum trahat, & ad fiduciam in se collocandam

candam adducat. Voluit enim Deus, ut Christus esset princeps ac dux salutis fidelium liberorum suorum. Quos non potuit illi magis & validius obstringere, quam per hoc difficillimum opus dirissimæ mortis ejus, quam ipsorum causâ illi imponit. Deinde voluit Deus morte Filii sui ostendere, quid nos peccatis nostris commeriti fuerimus, si rigore juris sui adversus nos uti voluisset: & quam horrendum judicium illis omnibus expectandum sit, qui postquam semel inestimabili sanguine Christi à peccatis redempti fuerint, redeunt ad peccatorum suorum volutabrum, atque ita sanguinem Christi pedibus conculcant, & profanum ducunt. Atque hoc est, quod Christus ait: *si hoc fit in viridi ligno, quid fiet in arido?* Luc. 23. 31. id est, si ipse innocentissimus tantos cruciatus & afflictiones sustinere debuit, quanto magis hominibus impiis ac peccatoribus gravissima tormenta ac supplicia expectanda sunt?

44. Causa altera mortis Christi est, ut eâ Novum Fœdus confirmaretur ac sanciretur. Quâ in re mortem Christi adumbravit victima illa, perquam Vetus Fœdus consecratum fuit. Exod. 24. 8. Hebr. 9. 19. Ob quam causam sanguis Christi sanguis Novi Fœderis, seu Novi Testamenti nuncupatur. Matth. 26. 28. Hoc pacto autem Novum Fœdus morte Christi confirmatur, quod ex eâ intelligatur, eum verè à Deo missum esse, eumque non fuisse seductorem. Cur enim ille propter falsam doctrinam vitam suam ponere voluisset?

45. Tertia causa mortis Christi, quæ ex secundâ fuit, & gravissima ac validissima est, in eo sita est, ut nos per eam non solum à reatu ac poenâ peccatorum, sed etiam ab ipsis peccatis liberaremur, ne illa amplius regnent in mortali corpore nostro. Dum enim Christus Novum Fœdus sanguine suo confirmavit, per id reddimur certi, ea omnia vera esse, quæ nobis Dei nomine annuntiavit. Undè fit, ut de æterna salute nostra, quam ille nobis promisit, ne minimum quidem dubitemus, sed firma spe eam apprehendamus. Quæ spes facit, ut nos ipsos purificemus à peccatis, Deoque in sanctitate & omni cum obedientiâ serviamus. Id quod Johannes expresse affirmat, dum ait: *Quisquis habet hanc spem in eo (nempe in Deo) is purificat seipsum, sicut & ille purus est.* 1 Joh. 3. 3. Vide etiam Hebr. 9. 13, 14.

46. Quarta causa mortis Christi est, ut fieret fidelis ac misericors Pontifex, utque per eam consequeretur potestatem nos re ipsa à poenis peccatorum liberandi, ac vitâ æternâ beandi. Ac prius quidem expressit Auctor Epistolæ ad Hebræos, cum sic scribit: *Habentes igitur Pontificem magnum, qui transiit caelos, Jesum Filium Dei, retineamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter ac nos absque peccato. Accedamus itaque parrhesiâ ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Hebr. 4. 14, 15, 16. Confer etiam Cap. 2. 17, 18. Posterius indicavit Christus ipse illis verbis: *Nonne sic oportuit Christum pati & intrare in gloriam suam?* Luc. 24. 26. Et Apostolus Paulus: *Ad hoc Christus & mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & vivis dominetur.* Rom. 14. 9. Quibus accedit, quod Christus nobis per passionibus ac morte suâ exemplum præbuerit, nos quoque non aliter quàm per multas afflictiones & per viam terribilissimæ mortis ad gloriam ingredi posse, neque id nobis novum ac peregrinum videri debere, cum eadem via ingressus sit Princeps nostræ salutis. *Decebat enim ut ipse propter quem sunt omnia, & per quem sunt omnia, multos filios in gloriam adducendo, principem salutis ipsorum per perpassiones consummaret.* Hebr. 2. 10. Hinc Paulus inquit: *Oportere nos per multas afflictiones ingredi in regnum Dei.* Act. 14. 22. Et ad Romanos: *Quod si sumus filii, etiam sumus hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si modo unâ patimur, ut etiam unâ glorificemur.* Rom. 8. 17.

47. Quinta mortis Christi causa est, ut per glorio-

sam resurrectionem ejus nostra spes confirmaretur, nosque securi redderemur, nos in morte non remanuros, sed aliquandò ad vitam æternam resuscitandos esse. Atque hoc est, quod Paulus ait: *Si mortui non resuscitantur, Christus quoque non est suscitatus. Quod si Christus non est suscitatus, vana est fides vestra &c. Nunc autem Christus suscitatus est ex mortuis, & primitiæ eorum, qui obdormierunt, factus est.* 1 Cor. 15. 16, 17, 20. Et Petrus Apostolus: *Deus Christum excitavit ex mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides & spes nostra sit in Deo.* 1 Pet. 1. 21.

48. Hoc eximium opus nostræ Redemptionis à peccatis, quæ per mortem Christi facta est, non intelligunt illi, qui doceant, Christum propterea mortuum fuisse, ut plenariam satisfactionem ac solutionem pro omnibus præteritis, præsentibus, ac futuris peccatis nostris Deo Patri suo ioco nostri præstaret; eò quod justitia Dei nullo modo permiserit, ut peccata ita simpliciter absque omni solutione remitterentur, ideoque Deum Filii sui sanguinem pro solutione recepisse. Ubi verò scriptum est primùm, talem esse in Deo justitiam, quæ eum cogat necessariò peccata punire, quaque obitante non potuerit absque solutione peccata remittere? Hoc sensu vox *Justitiæ* nunquam in sacrâ scripturâ usurpatur. Est quidem justum & æquum, sanctitasque Dei id etiam postulat, ut malitia hominum, si modum excedat, puniatur, ne Deus videatur eâ delectari. Verùm hoc jus vel justitia non stringit liberam Dei voluntatem ita, ut non possit etiam gravissima peccata condonare, quandò vult divitiis gratiæ suæ ac misericordiæ hominibus notas facere. Deinde si talis est in Deo justitia, quæ non patitur, ut Deus ulla peccata impunita dimittat, non habebit in eo ulla misericordia locum: uti videmus in iudiciis Rerum publicarum, qui absque misericordiâ secundum leges ac statuta, quæ ipsis à supremo Magistratu præscripta sunt, in peccata animadvertere coguntur. Quocirca isti, qui talem justitiam Deo attribuant, ei præstantissimam & nobis gratissimam proprietatem, misericordiam scilicet, eripiunt, eumque ex Patre misericordiæ, severum ac immisericordem & nihil nisi ultionem ac iras spirantem iudicem faciunt. Tertio in Sacris Literis proliùs alia causa, quæ Deum moverit ad Christum in mortem tradendum, indicatur, talis, inquam, causa, quæ nihil commune habet cum istiusmodi justitiâ: ea verò summus Dei amor ac charitas. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Joh. 3. 16. *Commendat suam erga nos charitatem Deus, quod cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus sit.* Rom. 5. 8. *In eo est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ille dilexerit nos, & miserit filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris.* 1 Joh. 4. 10. Quapropter gravissime errant, Sacræque Scripturæ in os contradicunt, qui causam impulsivam mortis Christi statuunt esse iram Dei, quam ille in innocentissimum genus suum effuderit, cum alioqui eam in humanum ire nequeunt. Si Deus filium suum ex amore dedit in mortem, certè eum non dedit ex ira. Imò nusquam in Sacris Literis legere est, Deum à nobis placatum vel reconciliatum fuisse; sed Deum nos sibi reconciliasse. Nos fuimus ipsius inimici, non ipse fuit noster inimicus: nos adversus eum iras gessimus, & aversum animum ab eo habuimus, non ille à nobis. Hinc ait Paulus: *Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.* Rom. 5. 10. Et alibi: *Oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.* 2 Cor. 5. 20. Et rursus: *Nunc Christus reconciliavit vos (intellige Deo) in corpore carnis suæ per mortem.* Col. 1. 22. Quartò solutio ejusmodi, qualis fingitur, nullo modo cum vera peccatorum remissione, quæ est fundamentum gratiæ divinæ nobis exhibitæ, & summa gratia Novi Fœderis, consistere potest. Contraria enim sunt inter se, & adversa fronte pugnant, condonare seu remittere & solutionem accipere. Neque ad rem quicquam facit, si dicatur,



dirent, manibusque eum suis contrectarent? Certe si primus, cui Christus panem porrexit, ipsum Christum comedisset, jam eum reliqui non vidissent, nec reliquis potuisset ulterius panem distribuere. Quia igitur sensus testati sunt, Christum in huius ritus administratione nullo modo ex oculis ipsorum disparuisse, id sufficienter arguit, eos corpus Christi non manducasse, neque sanguinem ejusbibisse. Quod si discipuli Christi eum non manducarunt, certum utique est, nec alios post illos ipsum manducare. Cæna enim Domini, quam nos usurpamus, hæc in parte à cæna illa, quam Christus cum suis discipulis celebravit, nihil differt.

55. Locus hic quoque postulat, ut nonnihil de confessione addamus, quæ hodie usitata est inter Christianos. Est sane res laudabilis, quando Christianus, si sentiat conscientiam suam gravari aliquo peccato, id effundit in sinum alicujus pii fratris sui, ut eum precibus suis ad Deum fufis adjuvet. Communis enim & unanimes oratio fidelium magnam vim habet ad impetrandam à Deo peccatorum veniam. Vide Jac. cap. 5. v. 16. Sed quod aliqui certi homines sibi jus & auctoritatem arrogant, omnibus ad se cum confessione peccatorum suorum accedentibus, Dei nomine peccata remittendi, & quidem accepto pretio, id nihil aliud est, quam ingens abusus & fæda nundinatio. Quis enim eis hoc jus & auctoritatem dedit, remittendi peccata, quæ an Deus remittat, nesciunt? Apostoli quidem à Christo mandatum acceperant, ut omnibus hominibus in toto orbe terrarum universalem remissionem omnium peccatorum prædicarent, qui modo fidem in Christum amplecterentur. Eo enim spectant verba Christi, cum afflans eos, dixit: *Accipite Spiritum sanctum. Quorumcunque peccata remiseritis, erunt illis remissa; & quorumcunque peccata retinueritis erunt retenta.* Joh. 20. 22, 23. Pro ista auctoritate ac potestate sua Apostoli omnibus in Christum credentibus, remissionem peccatorum annunciarunt; incredulis autem ac contumacibus retentionem peccatorum, quæ æternam damnationem post se trahit, prædicarunt. Hanc autem remissionem peccatorum, post Apostolos, nunc postquam foedus gratiæ jam ob signatum est, Christianorum quilibet annunciare potest, si Clericus sit, si laticus, ut nimirum alicui sese ad Christianam religionem convertenti dicat, Christianam religionem seu Foedus gratiæ hoc summum beneficium unicuique promittere ac offerre, si vera cum fide & resipiscencia ad Christum convertatur, omnia ipsius peccata esse remissa: quemadmodum etiam quilibet Christianus hominem nondum conversum in omnibus Christianæ religionis partibus atque articulis instituere ac erudire potest. Non remittit ei peccata, sed annunciat ei tantum beneficium Novi Foederis, quod omnibus credentibus veniam peccatorum pollicetur. Cæterum Apostolos unicuique qui post acceptam veritatis notitiam iterum, tertio & pluries ad pristina peccata relapsus est, semper de novo peccata remisisse, vel eos in Ecclesia Domini sacerdotes, qui essent à confessionibus, instituisse, nullo scripturæ testimonio probari potest. Confessio ista & absolutio sacerdotibus quidem marsupia implet, sed regnum Dei minime propagat. Dum enim miseri homines sibi persuadent, peccata sua esse remissa, quæ à Deo ipsis revera remissa non sunt, dum nulla vera poenitentia, quæ in emendatione vitæ consistit, consequitur; seipsos vehementer decipiunt, imo à suis sacerdotibus eos absolventibus decipiuntur. Securi sunt ac bono animo, cum interim sint in misero ac miserando statu. Ità per hanc illegitimam à peccatis absolutionem ac peccatorum remissionem innumeri mortales in sempiternæ damnationis abyssum præcipitantur, è quibus multi servari potuissent, si magis ipsis necessitas emendandæ vitæ, quam solatium de remissione peccatorum inculcatum fuisset.

55. Quod autem universæ Christianæ Ecclesiæ, potestatem attinet, quam ei dedit Christus illis verbis: *Si quis non audierit Ecclesiam sit tibi tanquam Ethnicus*

& publicamus. Amen dico vobis, quicquid ligaveritis in terris, erit ligatum in cælis, & quicquid solveritis in terris, erit solutum in cælis. Matth. 18. 17, 18. Illa in eo consistit, quod Ecclesia eos qui inordinate ac scandalose vivunt, nec ullis monitis se ad frugem reduci patiuntur, possit tanquam putrida membra per excommunicationem à suo consortio rescare; & rursus eos, qui veram agunt poenitentiam (non ore tantum, ut in confessionibus fieri solet, sed totam vitam suam mutando in melius, de quo ex aliorum, inter quos degunt, testimonio constare debet) possit in gremium suum postliminiò recipere. Atque hoc Ecclesiæ judicium tanti fore promisit Christus, ut id in cælis quoque ratum futurum sit: ità, ut qui propter vitam scandalosam ab Ecclesia fuerit segregatus, etiam in cælis à gratia Dei rejiciendus sit; & contra, qui propter vere actam poenitentiam in gratiam ab Ecclesia receptus fuerit, etiam à Deo in gratiam sit recipiendus. Præter hanc ligationem ac solutionem nulla est alia potestas remittendi peccata penes Ecclesiam Christi: neque etiam alia confessio in ea locum habet, quam ut is, qui recipi in gratiam cupit, sua delicta coram Ecclesia confiteatur & agnoscat, utque Ecclesiam, quàm vita sua improba offendit ac contristavit, deprecetur, & ut pro se ad Deum intercedat, roget: si nimirum peccata ejus fuerint aperta & omnibus nota. Ecclesia autem ei condonat peccata, non ea, quibus Deum offendit, sed quibus Ecclesiam læsit & offendit. Remissio peccatorum adversus Deum ad missorum ipsa per se sequitur veram poenitentiam, quod unusquisque novit etiam absque annunciatione Ecclesiæ, qui modò aliquid de religione Christiana degustavit. Insuper hoc quoque notandum est, ligationem ac solutionem istam non ab uno aut altero duntaxit in Ecclesia (puta à Pastoribus ac Antistitibus Ecclesiæ) fieri debere, sed à tota Ecclesia simul congregata. Itaque quando qui peccavit vel agit poenitentiam se sistit coram Ecclesia, jus habent singuli fratres, qui adsunt, sententiam suam de eo dicendi: & ex consensu majoris partis fit conclusio.

56. Hactenus egimus de cognitione Dei Patris, & de cognitione Jesu Christi, quem ille misit. Nunc nobis etiam paucis de Spiritu sancto disserendum est. Vulgò obtinet sententia, Spiritum sanctum esse tertiam personam Trinitatis, unius essentiae cum Patre & Filio, ideoque non minus Deum Altissimum, quàm est Pater ac Filius.

57. Sed doctrinam hanc esse erroneam, exinde patet. Primò quia Spiritus sanctus nusquam in tota sacra scriptura expresse Deus dicitur: quod non potuisset non saltem semel fieri, si is Deus Altissimus esset. Quod enim allegari solet locus Act. 5. vers. 3, 5. ubi dicit Petrus ad Ananiam: *Mentitus es Spiritui Sancto*, & mox: *Mentitus es non hominibus, sed Deo*; ex hoc loco neutiquam liquet, Spiritum sanctum Deum appellari. Argumentum enim istud est pessime contritutum: Ananias mentitus est Spiritui sancto. Ananias mentitus est Deo. Ergo Spiritus sanctus est Deus. Potest enim aliquis duobus simul mentiri, nempe uni per alterum. Eodem modo etiam dicitur, eos qui persequuntur fideles, persequi Christum ipsum: qui Apostolos audiunt, eos audire ipsum Christum: qui recipiunt Apostolos, eos ipsum Christum recipere: qui Apostolos spernunt, eos Christum ipsum spernere. Matth. 10. vers. 40. Luc. x. v. 16. An vero inde aliquis legitime posset concludere: Ergo fideles, vel Apostoli sunt Christus ipse? Quapropter etiam de Spiritu sancto male concluditur, eum esse Deum ipsum, ex eo, quod qui Spiritui sancto mentitur, etiam simul Deo mentitur. Hoc modo vero argumentum recte procedit, & sic concludendum est: Ananias mentitus est Spiritui sancto. Ananias mentitus est Deo. Ergo quidam qui mentitus est Spiritui sancto, mentitus est etiam Deo. Secundo quod Spiritus sanctus non

fit Deus Altissimus hinc constat, quod diserte & aperte à Deo Altissimo distinguatur, dum vocatur *Spiritus Dei, virtus Dei, digitus Dei, donum Dei*. Matth. cap. 3. v. 16. & cap. 10. v. 20. Eph. 4. 30. Luc. 1. 35. Luc. XI. 20. Act. 8. 20. Spiritus autem Dei non potest esse ipse Deus: alioquin enim sui ipsius Spiritus foret. Terriò nusquam in Sacris Literis mandatur, ut Spiritum sanctum adoremus vel invocemus; neque etiam ullum adorationis aut invocationis istius exemplum invenitur. Quartò in plurimis Scripturæ locis Spiritus sancti mentio omittitur, ubi ejus merito facienda esset mentio, si sit Deus Altissimus: ut cum Christus vitam æternam statuit in cognitione Patris, tanquam solius veri Dei, & in cognitione Iesu Christi, quem ille misit. Ioh. 17. 3. An fieri ulla ratione potest, ut ad consequendam vitam æternam non etiam necessaria sit cognitio Spiritus sancti, si is æque ac Pater & Filius est Deus Altissimus? Iohannes Apostolus scribit: *Communionem nostram esse cum Patre & Filio ejus Jesu Christo*. 1 Ioh. 1. 3. Cur non addit, etiam cum Spiritu sancto, si ipse quoque est Deus summus? Item: *Si in vobis maneat, quod audivistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis*. 1 Ioh. 2. 24. Cur non etiam in Spiritu sancto? In Apocalypsi Iohannis dicitur, omnes creaturas, quæ unquam fuerunt, dixisse; *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum*. Apoc. 5. 13. Cur non dictum: Patri & Filio & spiritui sancto: uti hodie in templis cantari solet? Vide etiam Apoc. XI. 2. XII. 10. XIV. 4. xx. 6. XXI. 22, 23. Quintò Christus inquit: *Nemo novit Filium, nisi Pater: & nemo novit Patrem, nisi Filius*. Matth. XI. 27. Cur verò Patrem & Filium non novit etiam Spiritus sanctus, si est quoque persona supremæ Deitatis? Sextò, imò quod Spiritus sanctus ne quidem persona omnino sit, præter alia documenta, vel ex eo satis intelligitur, quod alioqui Christus Spiritus sancti Filius, & Spiritus sanctus Christi Pater foret. Quando enim persona generatur à persona, tum hæc illius est filius. Atqui Christus est à Spiritu sancto generatus. Matth. 1. 20. Luc. 1. 35. Quare necesse est, ut Christus sit Spiritus sancti filius, si ille est persona. Ita si quis filium generet non ipse per se, sed per aliam personam, tum persona ista, per quam filius generatur, est illius pater. Atqui Deus Christum non ipse per se, sed per aliam personam, nempe Spiritum sanctum, genuit. Ergo juxta hanc sententiam, Spiritus sanctus est proximus & proprie dictus pater Christi. Sed cum hoc tanquam absurdum aures Christianæ respiciant, sequitur, Spiritum sanctum personam nequaquam esse, adeoque nec Deum Altissimum.

57. Quid autem Spiritus sanctus revera sit, de eo nihil aliud scire possumus, quam quod nobis in Sacris Literis revelatum est: quod nimirum sit *virtus Dei*. Id quod constat ex verbis Angeli ad Mariam: Luc. 1. vers. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Ubi verba, *virtus Altissimi* nihil aliud sunt, quam declaratio, quid sit Spiritus sanctus. Ita Christus à discipulis suis discessurus præcipit eis, ut maneant in urbe Hierosolyma, *donec induantur virtute ex alto*, id est, donec accipiant Spiritum Sanctum. Luc. 24. 49. Vide etiam Act. 1. 8. Vocatur autem Spiritus iste Sanctus, quia fideles per eum sanctificantur, & quia Deus per eum sanctissima & excellentissima opera peragere solet.

58. Tandem qui ad hunc modum, ut hætenus descripsimus, in Christiana religione instituti sunt, ut hæc omnia intelligant ac credant, illi per sacrum Baptismi ritum Ecclesiæ Christi inseruntur: quo ipsi tanquam visibili signo palam testantur, & Deo ac Domino Jesu Christo spondent, quod sicut corpora ipsorum aqua abluuntur in baptismo, ita conscientias quoque suas sint à mortuis operibus repurgaturi, Deoque & Christo in omni sanctitate servituri. Quem Baptismi finem ac scopum Paulus Apostolus expressit illis ad Romanos verbis: *An nescitis, nos quotquot baptisati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptisatos? Consepulti sumus igitur ei per baptismum in mortem, ut*

*sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Rom. 6. 3, 4. Quibus verbis hoc sibi vult Apostolus, quod in Baptismo proponatur figura mortis ac resurrectionis Christi. Nimirum sicut Christus postquam est mortuus, sepultus ac reconditus fuit sub terram, per resurrectionem autem rursus è terra emerfit ac prodiit ad vitam novam ac immortalem: Ita etiam nos dum in Baptismo in aquam immergimur, significamus ac profiteamur hoc signo, nos peccatis morituros; & dum ex aqua emergimus, nos novam ac piam vitam imposterum acturos esse.

59. Ex istis verbis autem Apostoli animadvertere, licet, eos hanc Baptismi adumbrationem ac figuram non recte exprimere, adeoque perperam eos Baptismum administrare, qui hunc ritum pauculæ aquæ asperzione perficiunt. Debent enim, qui baptisantur, omnino toti in aqua tingi atque demergi, ad significandum, se per baptismum cum Christo consepultos esse in mortem. Certe Johannes Baptista, & omnes Apostoli non aliter baptisaverunt; etiam in primitivis Ecclesiis post Apostolorum tempora aliquot seculis mos iste baptisandi per immersionem viguit. Hinc legimus de Christo, eum cum baptisatus esset, confestim ex aqua ascendisse. Matth. 3. 16. Nam prius in aquam descenderat, ut baptisari posset. Idem cernimus in exemplo illius Thesaurarii Reginæ Æthiopum, qui cum ad aquam ventum esset, dixit Philippo: *Ecce aqua, quid prohibet me baptisari?* Et postea tradit historia: *Fussitque sisti currum, ac descenderunt ambo in aquam Philippus simul & Eunuchus; & baptisavit eum*. Act. 8. 36, 38. Si Eunuchus iste baptisari asperzione paucillæ aquæ potuisset, non opus fuisset, ut ambo in aquam descenderent.

60. Hunc Baptismi scopum, quod nimirum sit publica quædam professio fidei in Christum ac religionis Christianæ, non intelligunt quoque ii, qui recens natos infantes baptisant. Quæ ipsorum actio prorsus vana est ac puerilis, cum infantes religionis Christianæ plane rudes ac incapaces sint, multo minus fidem habeant, adeoque nullam professionem per baptismum edere queant. Nam quod susceptores infantum interrogantur loco infantis: Visne baptisari? renunciasne Diabolo, & ejus operibus? credisne in Deum Patrem? & plura ejusmodi; susceptores autem infantis vice respondent, se velle baptisari, se renuntiare, se credere: id revera nihil aliud est, quam sanctissimum & gravissimum ritum in ludibrium & histrioniam quandam convertere. Unde enim norunt susceptores isti, infantem id ipsum velle & approbare, quod illi nomine ejus affirmant aut pollicentur? Quomodo sciunt, infantem quicquam intelligere eorum, de quibus interrogatur? Qui norunt etiam iidem susceptores ac sponsores, qualis futurus sit infans, & utrum ubi adoleverit, Religionem Christianam amplexurus, ejusque studiosus futurus sit? Unde constat etiam, baptismum ad hunc modum ritè & secundum Christi institutionem administrari. Baptismus & fides debent pari passu ambulare, nec invicem divelli. Ideo Christus non dixit solum: *Qui baptisatus fuerit; sed Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvabitur*. Marc. 16. 16. Fides præcedere debet, baptismus sequi. Addit autem ibidem Christus: *Qui non crediderit, damnabitur*. Ubi solus fidei, & non etiam baptismi fit mentio: quia incredulitas sola, etiam si baptismus adsit, sufficit ad hominem damnandum; è contrario autem baptismus solus absque fide haud sufficit ad hominem salvandum. Quod vero vulgo asseritur, infantes credere, seu fidem habere, eo vix quicquam absurdius ac insulsius in mundo excogitari potest. Quomodo enim id vel ex sacra scriptura, vel ex sana ratione probari potest? Fides requirit assensum, assensus autem requirit intellectum. Quomodo enim quispiam credere potest id, cui non assentitur? & quomodo assentiri potest ei, quod non intelligit? Quomodo autem infans intelligere potest quicquam earum rerum, quæ credendæ sunt, cum usu rationis atque intellectus adhuc

careat? cum nunquam quicquam de religione Christiana audiverit? si quis dicat, arcanam quandam vim esse in infantibus, ex operatione Spiritus sancti, promanantem: quomodo id probabit? si habent ejusmodi vim ac facultatem internam intelligendi & credendi, cur igitur non prius in Christiana religione instituuntur? cur non illis Catechelis prælegitur? Verum hic foret secundus actus hujus Comœdiæ. Præterea quomodo dici potest, aliquem nondum renatum, qui adhuc labe originalis peccati (ut vulgaris fert sententia) inquinatus & diabolo mancipatus est, veram habere fidem? Creditur vulgo, Baptismum esse medium ac instrumentum regenerationis. Si igitur infantes per baptismum primum regenerantur, tum utique ante baptismum fidem nondum habent. In fide enim regeneratio consistit; qui credit, ac vera fide præditus est, is jam est regegnus. Baptismus autem tantum ejus signum est & publica professio, quod quis impossibile sit vitam regeneratione dignam acturus.

61. Ad probandam puerilem puerorum baptismum adduci solet, quod Paulus scribit, se Stephanæ domum baptizasse 1 Cor. 1. 16. Unde inferunt, cum sine dubio etiam pueri ac infantes in domo illa fuerint, infantes quoque baptizatos esse. Sed Apostolus per domum intelligit familiam, seu domesticos jam adultos, quibus infantes accenseret non solent. Nec ullum argumentum omnino dari potest, in domo Stephanæ istius aliquem fuisse infantem: tantum hoc divinando affirmatur, & ex incerta conjectura supponitur. Ad rem etiam non facit locus ille Marc. 10. 14, 16, qui etiam allegari solet; ubi Christus dicit: *finite parvulos venire ad me, neque prohibete illos; quoniam talium est regnum celorum.* Christus enim non propterea eos jussit ad se venire, ut ab eo baptizarentur: sed ut manuum tantum illis imponeret & benediceret eis. Ita enim mox subjicit Marcus: *Et cum suscepisset eos in ulnas, impositis in eos manibus, benedixit eis.* Cum igitur Pædobaptismus nullum omnino fundamentum habeat in Sacra Scriptura, laudabilis mos fuit Veteris Ecclesiæ, ut non ante baptizaretur quisquam, quam in Christiana religione esset eruditus, rationemque fidei suæ reddere posset: qui mos multis seculis inter Christianos post Apostolorum decreta obtinuit. Hinc Tertullianus antiquus Ecclesiæ Doctor, qui circa annum post Christum natum 200. vixit, reprehendit quosdam, qui liberos suos adhuc immaturos ad baptismum afferebant, antequam intelligere possent, quid hic ritus & hæc actio sibi velit.

62. Quæret autem quispiam: Quid futurum sit illis infantibus, qui absque baptismo moriuntur? Ad hoc respondeo, sanctorum parentum liberos etiam sanctos esse. Quod nos docet Paulus Apostolus 1 Cor. 7. 14. ubi inquit: *Maritus infidelis sanctificatus est per uxorem; & uxor infidelis sanctificata est per virum: alioqui liberi vestri impuri essent; nunc autem sancti sunt.* Videlicet infantes participes fiunt sanctitatis parentum suorum, & sancti parentes liberos suos piis precibus Deo commendant. Præclara est etiam illa consuetudo, quæ adhibetur in nonnullis Ecclesiis vere Christianis, ut infantes recens editi afferantur in Ecclesiam, & senio-

res Ecclesiæ manus eis imponant, atque sic per preces universæ Ecclesiæ Deo consecrentur, & quasi novæ plantæ Ecclesiæ Christi inferantur. Si igitur ejusmodi infantes in sua adhuc immatura ætate decedant, etiam si baptizati non fuerint, de salute tamen eorum nequam est dubitandum.

63. Addendum nobis adhuc aliquid est ad id, quod superius paucis tantum delibavimus. Docetur scilicet hodie, infantes per baptismum regenerari. Equidem facillima hæc foret via perveniendi in cælum, si vel aqua ipsa per se talem vim haberet, vel Deus ita seipsum obligasset, ut simul ac alicui caput aqua aspersum aut perfusum fuerit, & simul ac pronunciata fuerint hæc verba: In nomine Dei Patris, & Filii & Spiritus sancti; statim eum miraculosa virtute sua immutatus ac regegnum hominem effecturus sit. Sed regeneratio non est res ejusmodi, quæ tam facile & in momento effici possit. Requiritur ad eam lucta & certamen, exiendusque est vetus homo, ac novus induendus. Crucifigenda est caro cum affectibus ac concupiscentiis: quæ res tam ardua est, ut ad eam perficiendam ferme toto vitæ spatio desudandum sit. Hocne igitur paucillum aquæ posset efficere? Et ubi, quæso, Deus in verbo suo declaravit, se talem virtutem per baptismum esse communicaturum? Præterea si baptismus est medium Regenerationis, qui sit, quod infantes baptizati, postquam ad paulo adultiore ætatem venerint, nulla præbeant ullius regenerationis signa? Nihil sane sunt probiores aut rerum divinarum scientiores, quam non baptizati liberi Judæorum aut Turcarum: & nisi bona educatio & Christiana institutio parentum accederet, plerique evaderent profligatissimi mortalium. Similiter sumatur aliquis adultus homo impius, nondum baptizatus, ac baptizetur: facile apparebit, an baptismus vim istam regenerationis in eo exerturus sit, si cæteroquin aliud nihil accedat. Si autem infantes per baptismum regenerantur, nulla causa est, cur non baptismus eandem vim in adultis habere debeat. *Lavacrum regenerationis*, de quo loquitur Paulus Tit. 3. 5. est aliud lavacrum, quam baptismi: nimirum est nihil aliud, quam *renovatio Spiritus sancti*, ut mox Apostolus explicationis gratia addit. Regeneratio & renovatio Spiritus sancti baptismum præcedere debet. Non decet enim ullo modo, ut homo irregennus, id est, qui vel non intelligit religionem Christianam, vel vitam suam secundum voluntatem Dei non instituit, per baptismum Ecclesiæ Christi inferatur. Frustra etiam suum errorem homines defendere satagunt illis Christi verbis Joh. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Verba enim ista, *aqua & Spiritus*, phrasi Hebræa denotant nihil aliud, quam spiritualem aquam. Aqua autem ista est Spiritus sanctus, qui per doctrinam Euangelii animos hominum à peccati inquinamento mundat, non secus ac aqua corporis immundities tollitur. Similis loquendi modus est Joh. 1. 17. *gratia & veritas*, id est, vera gratia. Et aliæ similes locutiones, unicuique diligenter legenti Sacras Literas, facile occurrent.

Laus & gloria sit Deo ac Domino nostro Jesu Christo.

Amen.



# DECLARATIO

*Duarum contrariarum sententiarum de  
Natura & Essentia unius  
Dei summi:*

*quæ sunt*

I. De Uno Deo Patre.

&

II. De Uno Deo in una essentia  
& tribus personis.



## CHRISTIANE LECTOR.



Cripto hoc, quod vides, res haud exigui momenti tibi proponuntur, quæ nimirum agunt de Natura & essentia unius summi ac Veri Dei, in cujus cognitione Christus ipse vitam æternam sitam esse docet Joh. 17. 3. quæque si rectè percipias animo, ad rem altius indagandam animam atque occasionem tibi præbere possunt. Proba omnia, ut monet Apostolus 1 Thess. 5. 21. & considera in timore Domini, abjectis præjudiciis, unius veritatis amore flagrans, bonumque, quod tibi intellectus tuus & Conscientia monstraverit, tene. Quæcunque verò sententia ex his, quæ tibi Scripto isto ob oculos ponuntur, ariserit, eam tibi serva in pace & charitate, absque odio, absque acerbitate, absque contentu & averfatione eorum, qui alteram, & forsitan simpliciorum cumque intellectu ipsorum congruentiorem sententiam amplecti maluerint. Deus enim est charitas, 1 Joh. 4. 8. & ad charitatem vocati sumus, quin & secundùm charitatem aliquando judicabimur, non secundùm scientiam, quæ sine charitate nihil valet. 1 Cor. 13. 2.

Vale.

# Declaratio duarum contrariarum sententiarum de Natura & Essentia unius Dei Altissimi.



On esse nisi unum æternum, & summum Deum, qui divinitatem suam à nullo alio accepit, sed eam totam à se & ex seipso habet; omnes Christiani tanquam rem clarā & in Sacris Literis testatissimam uno ore fatentur. Ita enim ait Moses: *Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus est.* Deut. 4. 6. Et Esaias: *Sic dicit Dominus, Rex Israël, & Redemptor ejus, Dominus exercituum. Ego sum primus & novissimus, & præter me nullus est Deus.* Cap. 44. 6. Ita & Paulus Apostolus: *Nullus est Deus alius, nisi unus.* 1 Cor. 8. 4.

Tamet si vero res ita se habeat, quod non solum Sacra Scriptura, sed sana quoque omnium hominum ratio, ac lumen naturæ testetur, Deum nonnisi unum esse, atque ita, quod verba ipsa attinet, totius Christiani orbis unanimis sit hac in parte concentus: magna tamen hodie lis atque controversia est inter Christianos de Natura & Essentia unius Dei, ut & de Persona Christi, deque Sancto spiritu. Videlicet de his quæstionibus acriter disputatur:

1. *An unus ille Deus Altissimus sit simpliciter Unus, an etiam Trinus?*

Id est:

*An unus ille Deus Altissimus sit una tantum persona, an tres personæ?*

Et

2. *An Christus & Spiritus sanctus etiam personæ supremæ Deitatis, adeoque ille unus summus Deus sint?*

Super has Quæstiones hodie Christianus Orbis præcipue in duas partes divisus est, quarum una credit, Unum illum Altissimum Deum, creatorem cæli & terræ, esse tantum unam personam, eamque non aliam esse, quam Patrem Domini nostri Jesu Christi; nec dubitat hanc sententiam suam clarissimis verbis Sacrarum Literarum, & analogiæ fidei Christianæ esse apprimè conformem.

Reliqua potior pars Christianorum pro alterâ sententia stat ac pugnat: quod *Deus Altissimus sit Trinus.* Seu: Tres esse distinctas in Deitate personas, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum sanctum. Quam sententiam priores illi tanquam falsam & tam in Sacra Scriptura minime fundatam, quam manifestæ veritati, quam Deus humanæ rationi in sevit, contrariam ac repugnantem rejiciunt.

Ut verò tota controversia tanto melius & exactius percipiat, utramque sententiam paulò fufius & accuratius declarabimus.

## C A P. I.

Declaratio sententiæ eorum, qui statuunt, Deum summum tantum unam personam esse, nempe Patrem.

Primum, quando isti cum Sacra Scriptura ajunt, Unum tantum Deum esse, intelligunt id quam simplicissimè, & sensu id accipiunt ejusmodi, qui omnibus hominibus est intellectu facilis, ac sine ullo elaborato discursu optime notus; quemadmodum etiam credunt illi, Deum ea, quæ de se ac natura sua hominibus scitu credituque necessaria revelavit in verbo suo, simplicibus & vulgò inter homines notis vocibus expressisse atque enunciaffe. Jam verò nemini ignotum est, quid significet vox *Unus*, quando nomini, quod personam significat apponitur. Cum enim dico, Non habemus nisi unum Cæsarem; vel, Nos habemus tantum unum Regem: nullus homo sana mente præditus est, qui dictum hoc aliter intelli-

gat, quam quod una tantum sit Cæsaris vel Regis persona. Similiter cum dico: Unus tantum est Pater Domini nostri Jesu Christi; vel, Unus tantum est Filius Dei: Christianorum nemo tam absurdus est, qui id aliter interpretetur, quam quod Pater Jesu Christi, sit una duntaxat persona, & Filius Dei sit una persona. Etiam cum scriptura ait, *Unus est Spiritus* 1 Cor. 12. 4. Ephes. 4. 5, ne ipsa quidem adversa pars credit, Spiritum sanctum plures personas esse, quam unam. Et de Filio Dei Jesu Christo, etsi sentiat, eum simul Deum esse & hominem, nequaquam tamen hoc sibi vult, eum duas esse personas, divinam & humanam; sed dicere mavult, eum habere duas naturas, quæ simul junctæ unam personam constituunt. Vident enim, nimis absurdum fore, si unus Filius Dei, vel unus Christus plures personæ, quam una esse statuatur. Cum igitur nomen *Deus* non minus, quam nomen *Pater*, *Filius*, *Christus* ac similia, personæ nomen sit, ideò illi, qui unam tantum personam in Deo ponunt, quam simplicissimè credunt, Deum illum unum nonnisi unam divinam personam esse. Et sane rationalium hominum nemo est, præter eos, quorum intellectum præconcepta opinio hac in parte obnubilavit, qui aliter id intelligat.

Secundo quando isti suam mentem atque sententiam porro declarant, & explicant, quis sit ille unus Deus, vel illa una persona Altissimæ Deitatis; inquirunt, eam esse *Patrem Domini nostri Jesu Christi*. Quod sumunt inter alia testimonia è claris ipsius Domini Jesu Christi verbis, qui in sua precatione Patrem suum ita alloquitur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Pater) illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* Joh. 17. 3. Quibus verbis Patrem solum verum Deum vocat, atque adeò alias personas, quæ Pater ipsius non sunt, à vera seu Altissima Deitate excludit. Item ex verbis Pauli Apostoli, qui ait: *Nobis unus est Deus Pater ille, ex quo omnia.* 1 Cor. cap. 8. vers. 6. De isto Patre Domini nostri Jesu Christi ajunt, eum esse illum ipsum Deum, qui cælum & terram creavit, ita ut creator cœliat terræ, & Pater Domini nostri Jesu Christi tantum unus idemque Deus sit. Quod inter alia probant verbis illis Apostolorum, quibus Deum invocantes, eum ita describunt: *Domine, tu es Deus ille, qui fecisti cælum ac terram, mare, & omnia quæ in eis sunt;* & postea vocant *Jesum sanctum Filium ejus.* Act. 4. 25, 27, 30. Cum proinde firmiter teneant, Patrem Domini nostri Jesu Christi unam tantum esse personam, is autem est idem Deus, qui creator est cœli & terræ; utique aliter credere nequeunt, quam quod creator cœli & terræ etiam nonnisi una persona sit.

Tertio quando homines isti sententiam suam de Domino Jesu, quis ille sit, declarant, dicunt, eum esse Filium Dei viventis Matth. 16. 16. Joh. 10. 32, seu Filium creatoris cœli & terræ Act. 4. 25, 27, 30. idque non vulgari aliqua ratione, qua etiam Angeli Job. 1. 6. c. 2. 1. xxxviii. 7. & non pauci homines Psal. 82. 1. 6. atque inprimis fideles, Dei Filii vel liberi appellantur Joh. 1. 12. Rom. 8. 16. 1x. 26, sed modo prorsus singulari atque excellentissimo, ita ut ei ante omnes alios Dei Filios titulus *Unigeniti* Filii Dei Joh. 3. 16, ac proprii Rom. 8. 32, competat, imò omnes alii cum Christo comparati, vix digni sint, ut filiorum Dei nomine censeantur.

Causas autem, ob quas Christus sit Filius Dei, ipsa scriptura dictante, potissimum quatuor agnoscunt. Prima est, quia absque opera viri, à Deo solo, virtute Spiritus sancti, in utero Virginis Mariæ conceptus ac productus est, adeoque nullum alium Patrem quam Deum habuit. Quam causam allegat Angelus, qui



Mariam Virginem hisce affutas est verbis: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea etiam id, quod ex te nascetur, Sanctum vocabitur Filius Dei* Luc. 1. 35. Altera est quia à Patre sanctificatus & in mundum missus est. Quam causam adducit Christus ipse apud Johannem cap. 10. vers. 35, 36, 37, dum Judæos, qui eum blasphemiam infimulabant, quod se ipsum Deo Deum æqualem faceret, sic refutat: *filios (Deus) dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura; mene, quem Pater sanctificavit & in mundum misit, vos dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum?* Hac enim sanctificatione ac missione in mundum Deus eum sibi ipsi in sanctitate, sapientia, ac potestate similem effecit, & eum designavit, ut suo nomine & quasi sui loco Evangelium summa cum potestate ac virtute hominibus annuntiaret. Qua in re etiam singularis & plane paterna Dei dilectio erga eum elucet. Tertia est, quia eum Deus à mortuis suscitavit, & sic eum ad vitam æternam veluti denuò genuit. Quæ causa à Paulo Apostolo indicatur in illa præclara concione, quam habuit Antiochiæ Act. 13. 32, 33. *Et nos vobis annunciamus promissionem illam, quæ Patribus facta est, quoniam hanc Deus implevit filiis eorum, nobis, resuscitans Jesum: ut etiam in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quo in loco Apostolus verba Psalms secundi attulit ad probandum, quod Christus per resurrectionem ex mortuis Filius Dei evaserit. Vide quoque Rom. 1. 4. Atque hanc ob causam etiam primogenitus ex mortuis dicitur Col. 1. 18. Apoc. 1. 5. Quarta est, quia eum Deus sibi ipsi non tantum immortalitate, sed & potestate ac dominatione similem reddidit, dum eum collocavit ad dextram suam Hebr. 1. 3. donavit ei nomen, quod est supra omne nomen Phil. 2. 9, 10. nempe divinam potestatem in coelo & in terra Matt. 28. 18. supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominatum, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro Eph. 1. 21. atque ita eum constituit coelestem Regem Joh. 18. 36. qui sit super omnes Reges Apoc. 17. 14. & Caput Ecclesiæ Eph. 1. 21. Col. 1. 18. & Judicem vivorum ac mortuorum Joh. 5. 23. Actor. 10. 42. Propter quam divinam majestatem ac similitudinem cum Deo ajunt, eum perfectissima ratione ac summo in gradu Dei Filium factum esse Actor. 13. 32, 33. Hebr. 1. 5. & 5. 5. eumque adeò dignum esse, ut non modo Dei Filius, sed & Deus nuncupetur Joh. 1. 1. Heb. 1. 8, 9. non minus, imò infinitis partibus magis, quam Magistratus ac Judices in terris supremos Psal. 82. 1, 7. aut Angelos Dei, Psal. 97. 7. qui etiam propter sublime officium suum, quod à Deo acceperunt, non solum Dei Filii, verum Di. quoque in Sacris Literis appellantur. Ut ita ore atque animo confiteantur, Christum dono & gratiâ Patris sui Phil. 2. 9, esse Deum super omnes benedictum in secula Rom. 9. 5.*

Quartò de Spiritu sancto dicunt ac profitentur homines isti, eum esse Virtutem Dei Luc. 1. 35. xxiv. 43. Rom. 15. 13. Illam nimirum virtutem, per quam Deus omni tempore fideles suos sanctificat ac divinis donis replet, per quam etiam Filium suum in utero Virginis Mariæ formavit Matth. 1. 18. Luc. 1. 35. eum ad munus ejus sanctificavit Joh. x. 36. Matth. cap. 3. 16. xii. 18. unxit Luc. 4. 18. Act. x. 38. eique divinam potestatem atque sapientiam communicavit Esai. xli. 2. Matth. 12. 28. Quam deinceps Christus jam exaltatus rursus in suos Apostolos Actor. cap. 2. 3. & seqq. 9. 18. & per eos in reliquos fideles effudit Act. 8. 15, 18. ix. 6. eosque supernaturalibus donis sapientiæ, scientiæ ac potentiæ exornavit: per quam etiam hodiè adhuc fideles suos ad sua servitia sanctificat Rom. 15. 16. 1 Pet. 1. 2. & eorum corda regit Gal. 5. 18. per quam Deus in illis habitat Rom. cap. 8. 9, 11. 1 Cor. 3. 16. Eos in spe salutis confirmat & obsignat 2 Cor. 1. 21, 22. Ephes. 1. 14. & per quam aliquando à Christo suscitabuntur à mortuis, atque ad immortalitatem regenerabuntur Rom. 8. vers. 11.

Hæc confessio atque declaratio illorum sententiæ de uno Deo Patre, de Jesu Christo Filio ejus, & de Spiritu sancto, non solum evidentissimis Sacræ Scripturæ testimoniis confirmatur, sed etiam prorsus consentit cum publica ac pervulgata Fidei confessione, quæ Symbolum Apostolicum, vel Christiana fides nuncupatur, cum qua confessione, tanquam sufficiente ad salutem, fideles omnibus temporibus sunt in Ecclesiam Christi recepti, ac per baptismum initiati. Quæ confessio seu symbolum ita sonat:

Credo in Deum Patrem, Omnipotentem, creatorem coeli & terræ.

Et in Jesum Christum, filium ejus unigenitum, Dominum nostrum, qui conceptus est ex Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit in infernum, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei Patris, Omnipotentis. Unde venturus est judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Universalem, sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, & vitam æternam.

In hac Apostolica Fidei Confessione Pater appellatur Deus, Omnipotens, Creator coeli & terræ. Christus autem non Deus Omnipotens, non Creator coeli & terræ, sed ejus Filius vocatur, & quidem talis Filius, qui non ab æterno ex essentia Patris sit generatus, de quo ne unico quidem verbo sit mentio, sed qui conceptus sit ex Spiritu sancto, & natus ex Maria Virgine &c. & in sequentibus talia Christo attribuuntur, quæ non nisi vero homini competunt, nullaque ratione de ejusmodi Filio Dei, qui ipsemet summus Deus sit, prædicari queunt, quod nimirum passus sit, mortuus, ac sepultus &c.

Quod tertium Articulum attinet de Spiritu sancto, posset aliquis forte illis objicere, sententiam eorum hac in parte cum isto Apostolico Symbolo haud consonare; cum illi Spiritum sanctum non tantum non pro summo Deo, sed ne pro persona quidem, verum pro virtute Dei tantum habeant: hinc vero omnino indicari, quod Spiritus sanctus sit Deus Altissimus, quia dicitur, *Credo in Spiritum sanctum*. Non posse enim, nec debere in quenquam credi, quàm in Deum Altissimum. Sed ad hoc illis in promptu est responsio. Primo, inquit, vis verborum id nullo modo postulat: quod ex eo intelligitur, quod Sacra Scriptura etiam dicat, Israëlitas credidisse in Moysen Exod. 14. 31. De quo tamen nemo dixerit, eum esse Deum Altissimum. Etiam alibi in Sacris Literis fidei in restales, quæ personæ non sunt, fit mentio: ut quod Israëlitas in miracula Dei crediderint Psal. 78. 32. quod non crediderint in verba Dei Psal. 96. 24. Ubi manifestum est, neque miracula, neque verba Dei esse Deum Altissimum. Deinde tertius iste articulus apud Ecclesiasticæ historiæ scriptorem antiquum \* Socratem ita legitur: *Credimus in Spiritum sanctum, & in carnis resurrectionem, & in vitam venturi seculi, & in regnum cælorum, & in unam Catholicam Dei Ecclesiam*. Eundem verò articulum † Theodoretus ita refert: *Confitemur & unum Spiritum sanctum, qui innovavit & Veteris Testamenti sanctos homines, & ejus, quod Novum appellatur, divinos doctores; unam & solam universalem Ecclesiam Dei* &c. Ex quo patet, hoc loquendi modo, *Credo in Spiritum sanctum*, nihil aliud significari, quàm si dictum esset, *Credo Spiritum sanctum*, id est, credo dari seu existere Spiritum sanctum, dari Ecclesiam Universalem, dari communionem Sanctorum &c. prout etiam omnino statuendum est, in prioribus duobus Articulis eundem esse sensum, quasi dictum esset: Credo esse Deum, qui Pater est, omnipotens, creator coeli & terræ. Et in secundo Articulo: Credo, Jesum Christum esse ejus unigenitum Filium, nostrum Dominum, qui conceptus est ex Spiritu Sancto, &c. Terriò si ex symbolo isto colligi deberet, Spiritum sanctum esse Deum summum, aut saltem personam aliquam, debuisset in spe-

\* Hist. Eccles. lib. 1. cap. 26. † Hist. Eccles. lib. 1. cap. 4.

cie fides ista in Spiritum sanctum, quid de eo credendum sit, declarari, quemadmodum circa duas personas Patrem & Filium factum est, & non iis rebus accenseri, quæ personæ non sunt, atque inter eas reponi. Quarto incredibile plane est, rem tanti momenti & ad salutem necessariam non clarius proponendam fuisse, ut saltem *Dei* nomen adjiceretur, hoc modo: *credo in Deum Spiritum sanctum*. Certum siquidem est, confessionem hanc potissimum propter rudiores ac simplices esse compositam, ut summam integræ fidei suæ, & compendium omnium ad salutem necessariorum fidei articulorum hic comprehensum haberent, quod ediscerent, & de eo rogati, memoriter respondere possent. Cui verò unquam idiotæ ac indocto (ne de multis doctis nunc quicquam dicam) in mentem veniet, in his verbis, *credo in Spiritum sanctum*, contineri hoc dogma, quod Spiritus Sanctus sit Deus summus, si id aliunde prius non audierit? præsertim si hunc loquendi modum in sacra Scriptura etiam de aliis personis, quin & de rebus, quæ personæ non sunt, usurpari legat: qualia Paulo ante attulimus exempla in medium. Quapropter ex fide in Spiritum Sanctum nullo pacto concludi potest, eum esse Deum altissimum, imo ne quidem eum esse personam.

Ex iis, quæ hucusque exposuimus, perspicuum est, hanc sententiam, de uno Deo Patre, de Jesu Christo ejus Filio, & de Spiritu sancto, non solum cum sacra Scriptura, (cujus mens ferme verbis illa proponitur) sed etiam cum Apostolico & universali symbolo plane consentire, ut adeo de veritate ejus dubitandum sit minime.

## C A P. I I.

### Declaratio sententia de Trinitate.

**N**unc ad adversæ partis sententiam declarandam promovendus nobis est gradus, quæ statuit, in uno Deo altissimo esse Trinitatem. Hæc est vulgaris, & à plerisque Christianis hodie recepta sententia de uno summo Deo, quod sentiant, unum illum Deum summum, qui potestatem suam nemini fert acceptam, esse tres personas, scilicet Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Quæ tres personæ simul sumptæ vocantur Trinitas, vel Triunitas. Quæ posterior vox Trinitas hoc sensu, quo ipsi eam accipiunt, admodum male & absurde sonat, perinde ac si quis diceret, Quadriduplicitas, vel Sexquinitas, vel Octi septimitas.

Pater, ajunt, genuit filium ab æterno ex sua essentia; & Spiritus sanctus emanat ab æterno à Patre & Filio, vel (ut Græca Ecclesia docet) à Patre per filium.

Affirmant Patrem esse personam, Filium esse personam, & quidem prorsus aliam ac diversam à Patre & Spiritu sancto; Spiritum sanctum etiam esse personam, pariterque distinctam à Patre & Filio. Etenim nullo modo permittunt personas inter se confundi, vel unam pro altera sumi, ut nimirum dicatur, Pater est Filius, vel Filius est Pater, vel Pater est Spiritus sanctus, vel Spiritus sanctus est Filius &c. Patrem dicunt esse primam personam Trinitatis, Filium secundam, Spiritum sanctum tertiam: omnes vero tres junctim dicunt esse unum illum Deum Altissimum, vel Trinitatem.

Non hoc autem sibi volunt, quod tres illæ personæ eo modo unus Deus sint, quo, exempli gratia, tres senatores unum senatum efficiunt, ubi de unoquoque seorsim dici nequit, eum esse senatum; cum singuli seorsim tantum pars sint totius senatus, qui ex tribus senatoribus constat: sed talem in Deo Trinitatem asserunt, ut tamen vera Unitas non tollatur. Itaque volunt, tres illas Deitatis personas omnes simul ita esse unum illum æternum Deum, ut quælibet seorsim totam divinam essentiam habeat, & de qualibet separatim dici queat, eam esse (ut ita dicam) totum illum unum Deum. Nimirum hoc pacto: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus (ille scilicet

unus atque æternus) & tamen non sunt tres Dii, sed tantum unus Deus. Quod cum humanæ rationi sit imperceptibile, ut nihilominus aliqua ratione intelligi possit, hanc Trinitatem in unitate, seu hanc Trinitatem ita explicant, ut dicant: Deus est unus in essentia, & trinus in personis, id est, in Altissima Deitate sunt tres distinctæ personæ, illæ autem simul omnes habent tantum unam eandemque essentiam. Porro asserunt, Patrem misisse Filium de cœlo in utero Mariæ Virginis, in quo is humanam induit naturam, atque ex ea verus homo natus est, ita quidem, ut Christus ex duabus naturis compositus sit, ex divina, secundum quam est secunda persona Trinitatis, & ex humana, secundum quam verus quidem homo est, at non est humana persona.

De Spiritu sancto dicunt, eum esse tertiam Trinitatis personam, quæ ab omni æternitate à Patre & Filio processerit, ut quemadmodum Filius per æternam generationem essentiam suam ac personam à Patre accepit, ita Spiritum sanctum per æternam processione, etiam suam essentiam à Patre & filio accepit. Cur autem malint dicere, Spiritum sanctum à Patre & filio processisse, quam generatum esse, cum tamen essentiam suam perinde ab iis habeat, atque filius habet à Patre, & cur non similiter eum Patris filium, aut etiam (quandoquidem etiam suam à Filio quoque habet) nepotem, vel filii filium vocent, de eo non nihil infra suo loco dicitur.

Hanc tertiam Trinitatis personam, ajunt, adhibuit Pater, cum Jesum Filium suum in utero Virginis Mariæ genuit. Quod, ut recte percipiatur, ita concipi debet, quod Pater Spiritum sanctum cum Filio unà de cœlis demiserit in uterum Mariæ, & ita Virgo Maria Filium Dei à Spiritu sancto in utero suum receperit atque conceperit. Quæ res si proprie & ex vi hujus sententiæ enuntianda sit, dicendum est, Deum unum genuisse Deum unum per Deum unum in utero Mariæ, id est, Patrem genuisse Filium per Spiritum sanctum, quorum quilibet seorsim, & tamen etiam omnes tres simul juncti sunt unus Deus.

Atque hæc est genuina sententia de trino & tamen Uno Deo, quam hodie maxima pars Christiani orbis profitetur. Quam nihil habere commune cum supra posita antiquissima fidei confessione, seu Symbolo, ut dicitur, Apostolico, facile unusquisque per se animadvertit.

Producunt vero illi, qui sententiam hanc foveant, etiam vetus quoddam symbolum seu fidei confessionem, in qua hæc eorum sententia clare expressa continetur. Quod symbolum creditur ab eis ferme concorditer, auctorem habere Athanasium Episcopum Alexandrinum, qui id in Concilio Romano Anno Christi 340. post Nicenum Concilium 15. exhibuerit. Quanquam \* nonnulli docti viri ex iis, qui alioqui sententiæ huic addicti sunt, evidentissime demonstrant, Athanasium Symboli istius auctorem non esse, idque inter cætera pro argumento afferunt, quod ferme trecentis annis demum post memoratum Romanum concilium illud in lucem prodierit, cum antea prorsus fuerit orbi ignotum. Inde est, quod etiam inter scripta reliqua Athanasii id non reperiatur.

### Symbolum autem istud ita sonat:

**Q**uicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem: *quam nisi quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.*

*Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patris, & Filii & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.*

*Qualis Pater, talis Filius, talis etiam Spiritus sanctus. Increatus est Pater, increatus est filius, increatus est*

\* Vide Vossium de symbolis dissert. 2.

*Spiritus sanctus. Imensus Pater, imensus Filius, imensus Spiritus sanctus. Aternus Pater, aternus Filius, aternus Spiritus sanctus. Et tamen non sunt tres aeterni, sed unus aternus; sicut etiam non tres increati, non tres immensi, sed unus tantum increatus & immensus. Ita Pater est Omnipotens, Filius Omnipotens, Spiritus sanctus Omnipotens; & tamen non sunt tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens.*

*Ita Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus; & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus.*

*Ita Pater est Dominus, Filius est Dominus, Spiritus sanctus est Dominus, & tamen non sunt tres Domini, sed unus Dominus.*

*Nam sicut Christiana veritas nos cogit fateri, quamlibet personam seorsim esse Deum & Dominum: ita etiam Catholica fides non permittit, ut tres Deos & tres Dominos confiteamur.*

*Pater à nullo est neque factus, neque creatus, neque genitus. Filius à Patre neque factus est, neque creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre & Filio neque factus est, neque creatus, neque genitus, sed procedens. Itaque unus est Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus Sancti.*

*Atque in hac Triade nihil est prius, nihil posterius, nihil majus, vel minus, sed omnes tres personæ sunt æque æternæ, & æqualis dignitatis. Quare omnino ut dictum est, debet Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate honorari. Quicumque igitur vult salvus fieri, oportet ut ita sentiat de Trinitate.*

*Necessarium autem ad æternam salutem est ut etiam incarnatio Domini nostri Jesu Christi vere credatur. Est vero hæc vera fides, ut credamus & profiteamur Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei esse Deum & Hominem. Deus est ex essentia Patris ante omnia secula natus, perfectus Deus & perfectus Homo, ex anima rationali & humano corpore constans, qui Patri æqualis est secundum Deitatem, minor autem patre secundum humanitatem.*

*Qui etsi sit Deus & Homo, non est tamen duo, sed unus Christus, non conversione Deitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: unus Christus, non confusione naturarum sed unitate personæ. Quemadmodum enim anima rationalis & corpus unus est homo: ita Deus & Homo est unus Christus. Qui passus est propter nostram salutem, descendit ad inferos, tertio die resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris & Dei Omnipotentis; unde venturus est ad judicandum vivos & mortuos. In cujus adventu omnes homines in propriis corporibus resurgent, & suorum factorum ac operum rationem reddent, quique bona fecerint, ingredientur in vitam æternam, qui autem mala egerint, abibunt in ignem æternum.*

*Hæc est fides Catholica, quam nisi quis fideliter teneat, salvus fieri nequit.*

Hoc est Symbolum quod vulgo Athanasii vocatur, de Deo Patre, & Filio ejus Jesu Christo & de Spiritu sancto, quod hodie à maximo Christianorum numero pro immota ac necessaria Fidei salutaris Norma habetur. Quod etsi sit multo prolixius illo, quod Apostolis adscribitur, non omnia tamen in eo comprehensa sunt, quæ ad perfectam intelligentiam, explicationem ac defensionem hujus sententiæ requiruntur. Cum enim illa neque ex Sacris Literis, neque ex naturali lumine humanæ rationis sufficienter & evidenter demonstrari queat, idcirco ut ejus patroni præterea instructi sint omnis generis distinctionibus, interpretationibus, inusitatis significationibus, novis & scripturæ ignotis locutionibus ac phrasibus, opus est, ad hanc sententiam, ne concidat, & seipsam evertat, fulciendam. Quocirca ut Christianus lector rectum judicium de firmitate vel infirmitate hujus dogmatis ferre queat, eam clarius & explicatius adhuc proponemus, idque ita, ut præcipua capita, quæ ad explicationem ac defensionem hujus sententiæ pertinent, paulò accuratius excutiamus, & quantum propositi nostri ratio feret, ad lydiū lapidem veritatis, qui unicus est scopus nostræ scriptionis ad Dei gloriam, examinemus.

## CAP. III.

Fusior Declaratio sententiæ de Trinitate, & examen præcipuorum Capitulorum, quæ ad verum intellectum ac declarationem ejus spectant.

**S**ententiam istam de Trinitate habent ejus Defensores pro summo Mysterio, quo nullum in universa religione Christiana sit sanctius; & cum rationi humanæ videatur absonum, impossibile ac falsum, ut tres distinctæ personæ Deitatis sint unum tantum Deus, idcirco rationem captivare jubent, & simpliciter mysterium hoc credi, non rimari volunt.

Tam impenetrabile ac imperceptibile, imo rationi omni contrarium mysterium, quod hominibus sub amissione salutis necessario credendum est (quale hoc de Trinitate esse putatur) merito deberet tam clare & expresse in Sacris Literis contineri, ut ad id effereudum & declarandum nullis aliis vocibus ac phrasibus, quam quibus id ipsa Sacra scriptura expressit, opus esset. Quod enim in scriptura claris & evidentibus verbis non extat, id si ex ea nihilominus discendum est, oportet ut per legitimam ratiocinationem & consequentias ex ea eliciatur. At in rebus, quæ sunt contra rationem, non potest ratio ullam certam & legitimam formare consequentiam. Quicquid autem neque verbis apertis & expressis, neque per ratiocinationem bonam è Sacris Literis probari nequit, id neutiquam pro mysterio ad salutem necessario est habendum. Neque etiam res rationi contraria potest aliter quam irrationalibus verbis ac locutionibus proferri & explicari. Irrationalia verò & absurda verba ac phrasæ nemo hominum rationalium tenetur recipere, nisi forte expresse, & quidem in eadem absurda significatione in Sacris Literis monstrari queant: sed hoc ut fieri possit, prorsus est incredibile. Quare si hæc de Trinitate sententia tam sublime atque ad salutem omnino necessarium mysterium foret, æquum esset, ut id tam disertis ac claris verbis, qualibus homines isti utuntur, in Sacra scriptura extaret explicatum: atque tum nemo Christianorum, qui sacram scripturam pro infallibili Dei verbo agnoscit, haberet causam ei contradicendi, sed cogeretur id quivis tanquam mysterium, quod humani intellectus capacitatem excedit, recipere. At quam longe abest, ut Sacra scriptura de uno Deo, ut & de Filio ejus Jesu Christo, nec non de Spiritu sancto, ejusmodi locutionibus utatur, quales in paulò ante exposito Athanasii symbolo continentur? Ubi enim in Sacris Literis habetur, debere nos Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate venerari? Ubi in Sacro codice extant ista verba: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus? Pater est æternus, Filius est æternus, Spiritus sanctus est æternus; & tamen non sunt tres æterni, sed unus æternus? Ubi legitur, Filium ex essentia Patris ante omnia secula esse natum? Deum de cælo descendisse in uterum Mariæ Virginis, in eoque hominem factum esse? unum illum Deum Altissimum genuisse in foeminae utero unum Deum Altissimum per unum Deum Altissimum? humanitatem in Deum susceptam esse? Ubi scriptum est, Spiritum sanctum esse Deum summum? imo ostendatur vel unicus locus, in quo expresse Deus vocetur, vel præcipiatur, ut una cum Patre & Filio adoretur; aut saltem exemplum proferatur, quod unquam ab aliquo fuerit adoratus. Verum ut non solum de hoc supra memorato symbolo Athanasii, verum & de toto Trinitatis dogmate, omnes qui veritatem amant, tanto melius judicare queant, paulo propius id inspiciemus, & potissimas hujus sententiæ partes, quibus illa tanquam immotabilibus ac columnis innititur, pensulatius considerabimus.



## CAP. IV.

## De Distinctione inter Essentiam &amp; Personas divinas.

**P**rimum distinguere solent inter Essentiam & Personas, cum dicunt, Deum esse unum in essentia, & trinum in personis. Quæ distinctio sane fundamentum principale est hujus sententiæ de uno Deo in tribus personis, sed revera arenosum est ac ruinosum valde fundamentum. Ansam autem & occasionem sic distinguendi inde sumserunt, quia dicunt: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus Sanctus est persona; atque hinc concludunt tres esse personas, cum tres numero personas numeraverint ac nominaverint. Ne igitur ad eundem modum aliquis ex eorum sententia concludere possit, tres esse Deos, quia nimirum similiter dicunt: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus; vel ne quis concludat, tres litas personas esse tantum unam personam, quemadmodum tantum pro uno Deo etiam habentur, etsi quælibet seorsim Deus appelletur: propterea ut hunc vel illum ex his erroribus evitent, ajunt, has tres distinctas personas unius tantum esse essentiæ, atque ita Deum esse unum in essentia, trinum vero in personis, seu in Deo unam tantum esse divinam essentiam, tres autem distinctas personas. Neque vero contendunt divinam essentiam ita esse omnibus tribus personis communem, ut unaquæque persona partem, videlicet tertiam ejus possideat, sed volunt, singulas personas habere in se totam divinam essentiam, & nihilominus distinctas personas esse.

Intelleximus paulo superius, quam homines isti articulum de Trinitate pro maximo mysterio habeant, quod nullus hominum queat mente comprehendere, nedum lingua effari: & tamen videmus, eos ipsos non vereri tot verba de eo facere, & significanter explicare, quo pacto fieri queat, ut tres distinctæ personæ, quarum quælibet sigillatim Deus sit, non tres Dii, sed unus duntaxat Deus sint. Verum si secundum veritatem instituat judicium, nequitiam res tam difficilis ac incomprehensibilis ista distinctione explicatur, sed implicatur potius, ita ut homo indoctus, qui antea nonnihil de Deo ex hac sententia intellexerat, jam audita hac inter essentiam & personas distinctione, si eam intelligere conetur, omnem intellectum prorsus amittat, ut tandem nihil omnino intelligat. Si distinctio ista essentiæ ac personarum saltem in naturali lumine sanæ rationis aliquid haberet fundamentum, etsi disertis verbis in scriptura non reperiatur, aliquomodo tamen excusari posset: sed tale quippiam supponere pro fundamento rei tam gravis ac necessariæ, quod non solum in Sacra scriptura non habetur, sed etiam à sana ratione tanquam absurdum damnatur, idque tanquam mysterium sacrosanctum, quod mirandum sit, non rimandum, obtrudere, & qui id suscipere renuunt, eos Diabolo ad æternam damnationem tradere; hoc sane coram Deo & coram piis, intelligentibus & præjudicio haud occæcatis Christianis nulla ratione est excusabile. Isti enim homines non tantum id pro inexplicabili ac impervestigabili mysterio habent, quod Deus Altissimus unus simul ac trinus sit, quod censent in Sacris Literis contineri scriptum (etsi nullum locum expressum producere possint, sed demum ex multis diversis locis inter se collatis per longe petitas easque falsas consequentias id colligere conentur) verum hoc quoque nominatim, quod Deus sit unus in essentia, & trinus in personis: quod tamen probe sciunt, in Sacris Literis non extare. Si quis enim objiciat eis, impossibile esse & absurdum, ut tres distinctæ personæ unam tantum habeant essentiam, illico respondent, mysterium esse, quod rationem superet. Quo jure verò possent illi hoc aliis velut mysterium obtrudere, de quo & in scripturis est altissimum silentium, & quod unanimi judicio omnium sanæ rationis hominum disconvenit? Adde, quod etsi concederetur, (quod tamen

nequaquam concedi potest) probari ex scripturis posse, quod in uno Deo aliquid trinum sit, cur nihilominus necessario credendum esset, vel quæ causa cogeret statuere, tres personas esse in una essentia? Quid si quis in alias peculiare speculationes abreptus dicat, in Deo unam tantum esse personam & tres essentias? quo modo vel qua veri specie ei potest contradici? Vel si dicat, etsi in Deo sint tres personæ, nihilominus tamen eas simul junctas constituere tantum unam personam? Cum enim homines isti non dubitent ita loqui: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus; eccur non etiam alii alicui, liceat ad hunc modum loqui: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus Sanctus est persona, & tamen non sunt tres personæ, sed una persona? Quomodo id refutabunt? An dicent, impossibile esse, & contrarium omnium hominum rationi, ut tres personæ sint una tantum persona? At ille ad idem, ad quod ipsi solent, asylum confugiet, ac respondebit, mysterium esse, de quo ratio judicare nequeat.

Verum ut clarius adhuc pateat, quam absurda sit hæc inter essentiam ac personas divinitatis distinctio, quamque illi, qui eam ad suæ sententiæ defensionem adhibent, nequeant gravissimum errorem, qui ex eorum de Trinitate sententia nascitur, evitare, quod nimirum tres sint summi Dii; propriam ac genuinam harum vocum Essentiæ & Personæ significationem, adeoque & distinctionem istam, quam inter has duas voces faciunt, exactius perpendemus.

Primo essentia rei cujusque est id quod est, vel per quam una quæque res est, ac dicitur esse id, quod est, nihilque est aliud, quam propria rei natura, è qua constat. In exemplo, id propter quod hoc lignum lignum vocatur, est ligni istius essentia, & id propter quod hoc ferrum ferrum vocatur, est ferri istius essentia. Ita etiam hoc, cujus gratia hic vel ille homo (puta Petrus aut Paulus) homo est, hominis istius est essentia, idque nihil aliud est, quam humana ejus natura, per quam consistit. Simili modo quoque essentia Dei Altissimi nihil est aliud, quam divina ejus natura, per quam Deus est. Hinc igitur liquet primum, essentiam rei alicujus nihil aliud esse quam ipsam rem, nullamque adeo rem absque ejus essentia considerari posse, & vicissim, nullam essentiam dari posse, quæ non alicujus certæ rei essentia sit. Deinde liquet, unamquamque rem, quæ vere est, suam propriam ac peculiarem essentiam habere, & plures res distinctas ac singulares, etiam plures distinctas habere essentias, vel plures distinctas res non posse unam tantum habere essentiam, & vicissim unam essentiam non posse esse plurium distinctarum rerum essentiam. Alioquin enim dici posset, hæc res est illa res, hoc lignum est illud ferrum, hic panis est illa caro, vel hoc lignum est illud lignum, hic homo est ille homo. Si enim hoc lignum plane eandem numero essentiam haberet, quam habet illud lignum, vel hic homo Petrus haberet eandem numero essentiam, quam alter homo Paulus; dici utique posset, hoc lignum est illud lignum, hic homo Petrus est ille homo Paulus. Cum autem id nemo non agnoscat esse absurdum, manifestum est, unam essentiam non posse pluribus distinctis rebus esse communem.

Secundo Persona describitur ita, quod sit substantia prima intelligens. Bos quidem & asinus est substantia prima, sed non est intelligens, seu non habet rationalem ac intelligentem essentiam: ideo etiam bos ac asinus persona non est. Homo autem est substantia intelligens ac rationalis: ergo est persona. Sic Angeli quoque, tam mali quam boni, personæ iunt, quia sunt intellectu præditæ substantiæ. Pari modo etiam dicimus, Deum Altissimum esse personam, quia est substantia summe intelligens. Hinc perspicitur, primo, ubi sunt plures distinctæ personæ, ibi etiam revera plures distinctas substantias seu essentias esse. Nam si una persona est substantia intelligens, juxta supra positam personæ definitionem, clarum sane est, duas personas esse duas substantias intelligentes, & tres per-

personas tres substantias intelligentes, & sic porro. Et quomodo quisquam sibi fingere possit personam, quæ non habeat propriam essentiam? Quicquid enim propriam singularem essentiam non habet, id vel nihil est ac non est, vel accidens tantum est entis. Persona autem accidens non est, sed est perfecta substantia, habetque ideo perfectam ac completam essentiam. Cum igitur hi homines statuunt, in Deo esse tres distinctas personas, videre potest quilibet, etiam in Deo necessario esse tres distinctas essentias: præsertim cum urgeant, singulas personas non partem tantum aliquam divinæ essentiae, sed totam divinam essentiam habere; ac proinde eos, dum tres distinctas personas in Deo ponunt, revera divinas multiplicare essentias, & tres efficere. Si autem sint tres distinctæ divinæ essentiae, ipsimet fatentur, tres Deos esse. Ideo enim asserunt, tres personas Deitatis tantum unam habere essentiam, ne, si tres divinas essentias crederent, objici eis posset, eos tres Deos esse credere. Deinde ex supra dicta definitione personæ apertum est, quod ubi tantum una est substantia intelligens, ibi una etiam tantum persona sit. Si enim plures personæ forent, plures etiam forent substantiæ intelligentes; aut dici posset, unam personam esse alteram: quod prorsus absurdum est. Revera si Pater, ut illi volunt, eandem habet essentiam, quam habet Filius, sequitur, Patrem esse eandem illam personam, quæ est Filius; & contra, Filium esse eandem personam, quæ Pater est. Eodem modo se res habet cum Spiritu sancto, si is, ut creditur, persona est, & eandem essentiam habet, quam Pater & Filius habent. Atqui nolunt ipsi, personas confundi, ut superius in declaratione sententiæ eorum vidimus.

Scio quidem, illos homines respondere solere, quod non sit res ista metienda humanæ rationis decempeđa, quod de Deo ejusque essentia non sit judicandum ex natura rerum creatarum. In rebus creatis quidem ajunt ita se rem habere, ut plures distinctæ personæ etiam plures sint distinctæ substantiæ intelligentes, & contra, una substantia intelligens sit tantum una persona: at in Deo, cujus natura atque essentia est infinita, ideoque humanæ rationis judicio neutiquam subjecta, longe aliter se rem habere. Verum unde norunt isti, rem hac in parte aliter se habere in Deo ejusque natura seu essentia? Si id in sacra scriptura legerunt: proferant locum, ubi id scriptum sit. Sin aliud nihil sunt nisi humanæ cogitationes, certe nullo jure id ulli homini cordato ac intelligenti queunt obtrudere, quod omnium hominum sana ratio agnoscit esse absurdissimum. Ecce vero ipsi hanc distinctionem inter essentiam & personas excogitarunt? Cur nolunt ipsi concedere, tres distinctas personas in Deo tres distinctas divinas essentias habere? Cur malunt unam tantum essentiam credere? nimirum ideo, quia alioqui juxta exemplum omnium aliarum rerum concedere cogerentur, tres Deos esse. Nam sicut tres humanæ personæ sunt tres homines, & tres personæ Angelicæ sunt tres Angeli, quia unaquæque persona habet suam propriam essentiam; ita etiam tres divinæ personæ tres Dii forent, si concederent, quamvis personam suam propriam habere essentiam. Cur non hic quoque dicunt: in Deo, cujus natura & essentia infinita est, quæque ratione comprehendi nequit, tres divinæ essentiae non sunt tres Dii, sed tantum unus Deus. Et si quis vellet dicere, Deum esse trinum in essentia, & unum in Deitate, idque infinitate & incomprehensibilitate naturæ divinæ defenderet; quomodo eum refutarent? Quare si distinctio ista inter essentiam & personas ratione examinanda non sit, si non inquirendum, an cum immotis veritatis principiis queat consistere, oportet ut eam in Sacris Literis expressam monstrent, atque ita ex scriptura evincant, ita se rem habere in infinita Dei essentia, ut illi prætendunt. Aliter nemo tenetur nudas assertiones probatione destitutas pro mysterio recipere, & pro alieno arbitrio ac beneplacito credere.

Atque hæc est prima, eaque præcipua columna,

cui magnum istud mysterium (ut id appellare amant ejus defensores) de tribus distinctis personis in unica Deitate inædificatum est. Hac distinctione inter essentiam & personas nititur totum id, quod ex sacra scriptura ad hujus sententiæ defensionem ac confirmationem afferri solet. Omnia enim eorum argumenta ex scriptura petita eo tendunt, ut ostendant unum illum Deum Altissimum esse tres personas, & Filium ac Spiritum sanctum esse non minus quam Patrem illum unum Altissimum Deum. Si verò hac distinctione inter personas & essentiam carerent, tandem (etiam si illis omnia quæ ex scripturis depremont ultro concederentur) nihil aliud concludere possent, quam vel in altissima Deitate tres esse distinctas personas ac simul tres distinctas divinas essentias, quæ junctim consideratæ unus Deus vocentur; quo modo tres senatores unus tantum sunt senatus; quem errorem olim hæretici, Tritheitæ dicti, defenderunt: vel unum illum Deum Altissimum esse unam tantum personam, quæ se modo tanquam Pater, modo tanquam Filius, modò tanquam Spiritus sanctus manifestarit; quem errorem olim docuit Sabellius, & propterea est ab Ecclesia hæreseos condemnatus. Horum igitur duorum errorum scopulus ut evitaretur, excogitata est hæc falsa & neque in Scriptura neque in sana ratione fundata distinctio inter essentiam & personas, atque ad hos errores, qui alioquin ex hac opinione omnino sequuntur, incrustandos quæsit inventaque est.

An verò hac ratione hic vel ille error evitari queat, ex dictis quivis sana mente præditus facile judicabit.

#### C A P. V.

#### De Dei trinâ existentia, seu triplici modo subsistendi.

**H**oc loco præterire non possumus quoddam nimis absurdum commentum, quod non pauci viri docti ex patronis sententiæ de Trinitate, etiam pro firma sententiæ suæ columna habent; quod quid solidi in se habeat, interest disquirere.

Superiori Capite intelleximus, quid proprie sit persona, & quomodo definiatur, quod nimirum persona sit substantia prima seu per se subsistens essentia intelligens. Quæ definitio uti legitima est; & cum definito omni ex parte convenit, ita etiam omni retro tempore ab omnibus sine controversia fuit recepta. Sed cum successu temporis vis veritatis plurimis assertoribus Trinitatis aperuisset oculos, ut agnoscerent, si hæc definitio personæ admittatur, sequi necessario, quod tres personæ in Deo (id est, tres substantiæ primæ seu per se subsistentes essentiae intelligentes) tres Dii sint: novum quoddam & supra quam dici potest absurdum figmentum commenti sunt, ut scilicet dicant, tres personas in Deo non esse tres per se subsistentes essentias intelligentes, sed esse tantum trinam existentiam, seu triplicem modum subsistendi unius divinæ essentiae, id est, Deum Altissimum, qui unam duntaxat divinam essentiam habet, esse trino modo Deum Altissimum, primò tanquam Patrem, secundo tanquam Filium, tertio tanquam Spiritum sanctum, atque has tres subsistentias seu subsistendi modos esse tres distinctas personas altissimæ Deitatis. Quod reliquas omnes res creatas attinet, quæ sunt extra Deum, fatentur illi, & ratio quoque docet etiam simplicissimos, unamquamque rem per se subsistentem, quoad essentiam suam, & uno tempore consideratam, ut semel tantum, ita etiam uno tantum modo, id esse quod est, fierique nullo modo posse, ut una res sæpius quàm semel, & uno modo existat. Et si res una sæpius quàm semel vel pluribus modis existeret, jam non esset una res, sed plures res, totidem scilicet, quoties & quot modis illa existit. Gabriël Angelus non est nisi semel & uno modo Angelus Gabriël; Apostolus Paulus est tantum semel & uno modo Paulus Apostolus, non bis vel ter, non duobus

aut tribus simul modis: hic unus lapis & hoc unum lignum est tantum semel & uno modo hic lapis & hoc lignum. In Deo autem, cujus essentia finita & creata non est, ajunt homines isti res se secus habere: unam enim divinam essentiam esse in Deo non tantum uno modo, sed triplici modo, adeoque Deum Altissimum non semel, sed ter esse unum Deum Altissimum.

Hoc commentum tam est simile sententiæ Sabellii (quam tamen homines isti ut hæreticam rejiciunt) quam est ovum ovo simile. Sabellius enim, ut præcedenti capite vidimus, censuit, Deum Altissimum esse tantum unam personam, quæ se autem triplici modo manifestarit, nempe tanquam Pater, tanquam Filius, & tanquam Spir. S. Quod si vero id Sabelliano modo intelligendum non sit (uti sane à Sabelliana sententia homines isti summopere abhorrent) tum equidem est tenebricosissimum effugium, imo tam absolum figmentum, ut nullis verbis enunciari aut describi queat. Nec operæ pretium esset, usufruisci labor refellendi hujus commenti, quia tam crassum est ac enorme, ut multi etiam, & fere plerique eorum, qui cæteroquin in sententia de Trinitate cū illis consentiunt, id ferre nequeant, ideoque id asserere verentur, imo prorsus rejiciunt. Sed tamen ut appareat, quantam confusionem isti homines in claram ac simplicem Dei cognitionem invehant, dum tanto molimine præconceptę opinioni uæ patrocinantur, paucis id ad obrussam veritatis exigendum ducimus. Velim igitur scire, quomodo ii qui hoc commentum in lucem protulerunt, possint vel umbra aliqua rationis probare, rem ad eum modum se in Deo habere, ut nimirum unica Dei essentia, quam ipsimet simplicissimam esse fatentur, sæpius quam semel Deus sit, & quidem non bis aut quater, sed nominatim ter tantum? An Scriptura ita alicubi loquitur? an Deus se in verbo suo ita revelavit? an lumen naturale humane rationis id dicat? Cum ipsi agnoscant, omnes res alias extra Deum existentes in cælo & in terra, in essentia sua & uno tempore consideratas singulas semel tantum esse; quod potest habere fundamentum ratio humana, ut aliud de Deo credat aut statuatur? An ideo res aliter in Deo est, quia divina essentia est increata & infinita? at quæ est ratio ita colligendi: Essentia Dei est increata & infinita. Ergo ter vel trino modo existit? Quomodo probabitur hæc consequentia? imo contrarium potius concludi posset, quod etsi in aliis rebus fieri posset, ut quædam ex iis pluries quam semel existeret, Deus tamen nonnisi semel & uno modo non sæpius existere possit, eo quod essentia ejus sit increata ac infinita, Deusque omnia quæ ad summam ejus perfectionem requiruntur, uno tantum subsistendi modo habere possit, atque ita non opus sit, ut sæpius aut pluribus modis subsistat. Deinde si Deus propter infinitatem suæ essentia sæpius quam semel potest subsistere, nulla causa est, cur ter tantum, & non pluries, imo infinities subsisteret. Imo cum quælibet persona Trinitatis, ut illi sentiunt, sit unus ille Deus summus, & totam essentiam divinam habeat, nulla causa est, cur quælibet persona non etiam sæpius quam semel, imo infinities subsistat. Quæ infinitæ subsistentiæ trium personarum etiam personæ Deitatis forent, quarum quælibet totam divinam essentiam haberet; & rursus quælibet infinities subsisteret: foret itaque secundum hanc opinionem Deus non semel tantum infinities, sed infinitis vicibus infinities Deus. Quæ infinities infinitæ existentia omnes personæ Deitatis forent. Præterea hoc effugio devitari non potest, id, cujus devitandi causa potissimum quæsitum est hoc commentum, ne scilicet ex eorum sententia de tribus distinctis personis in Deitate, sequatur, tres Deos esse. Etenim si Deus revera tribus distinctis vicibus, seu tribus distinctis modis subsistit, estque tres personæ, quarum quælibet totam divinam essentiam habet, & quarum quælibet potest ac debet Deus dici, utique Deus est tres Dii. Quando enim res ter aut terno modo est, non est una res, sed tres res. Ut adeo secundum rei veritatem idem prorsus sit, sive dicam *Deus est ter*, vel *tribus modis*, sive etiam *tres sunt Dii*. Hoc tantum interest, quod istud

*tres sunt Dii*, verbis intelligilibus efferatur; illud autem, *Deus est ter*, sit locutio absurda, nec intelligibilis, cujus neque in Scriptura neque in communi loquendi ratione ullum datur exemplum.

Cæterum ex hoc inutili commento, ista tamen promanat utilitas ad confirmandam veritatem, quod qui id primum invenerunt, egregium testimonium coprebeant, non immerito ex ipsorum doctrina de tribus in Deo personis colligi, tres Deos esse. Nullam enim illi aliam causam habuerunt hoc commentum ita fabricandi, quam quod vi veritatis compulsi fuerint fateri, quod si persona in Deo esset per se subsistens essentia seu substantia intelligens, (quæ, ut diximus, verissima personæ definitio est) necessario sequeretur, tres personas divinas esse tres Deos. Quia vero plurimi eorum consortes, & ferme plerique hoc ipsorum commentum de triplici Dei substantia repudiant, veteremque personæ definitionem retinent; propterea isti novi inventores hujus commenti perhibent nobis testimonium, quod plerique ex illis ipsorum consortibus revera tres Deos esse credant.

## C A P. VI.

De mutua & tamen impermixta immanentia seu in existentia distinctarum personarum Trinitatis.

Cum ex sententia de Trinitate id omnino sequatur, quod omnes tres personæ Deitatis nonnisi unam & eandem essentiam habeant, & nihilominus tres distinctæ personæ sint; non potest homo sanæ mentis, qui id non cæca ac bruta fide, sed rationali cognitione vult assequi, aliter id concipere ac intelligere, quam quod divina essentia in tres partes divisa sit, quodque quælibet personarum tertiam partem ejus habeat. Ex quo porro sequeretur, non quamlibet personam seorsim, ut hæc sententia postulat, sed omnes tres personas simul junctas esse unum Deum summum; singulas autem personas esse tantum partes unius illius Dei summi. Huic errori ut occurratur, aliud adhuc supra modum sublime mysterium tenendum est, & absq; omni rationis scrupulo credendum. Istud ab his hominibus vocatur \* Græce περιχώρησις, Latine *circumincepsio*, *immanentia*, seu mutua & penetrans personarum inter se in existentia.

Cum Christus Joh. 20. 26. Ad discipulos suos veniret, cum clausæ essent fores, plurimi id ita factum putant, ut non fores ipsæ coram eo se aperuerint, sed quod clausæ manserint. Nolunt autem Christum per rimam aut per foramen aliquod forte transivisse: sic enim naturale corpus ejus, quod ex carne & ossibus constabat, extensum fuisset in longitudinem instar fili, vel in latitudinem instar loci; neque etiam volunt corpus Christi factum esse instar retis aut cribri, quod per aquam ducitur, ubi aqua in tot partes dividitur, quot sunt in reti vel cribro foramina. Sed volunt corpus Christi integrum ac indivisum, quin & sine immutatione externæ figuræ suæ, per fores penetrasse, fores quoque integras & indivisas permanisse. Quemadmodum igitur secundum hanc sententiam intelligendum est, tunc temporis cum Christus in loco januæ esset, corpus ejus in janua, & janua in corpore Christi fuisse, & hæsisse, idque ita, ut etiam minima pars januæ, quæ modo concipi potest, in omnium minima parte corporis Christi, & contra minima pars corporis Christi in minima parte januæ in existeret, neque tamen vel corpus Christi, vel janua in minutas particulas divisa fuerit: eodem plane modo concipiendum est dogma mutua personarum in existentia, quod nimirum etiam tres personæ Deitatis aliæ in aliis indivisæ existant, & unam ab altera totam contineri ac comprehendere. Quod sublime, & omnes humanas cogitationes transcendens mysterium Doctor celeberrimus † Augustinus ita describit & declarat: *singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus. Unum omnia*. Quod ita intelligendum est. Primo *singula personæ sunt in singulis personis*, id est, Pater est in Filio & Spiritu sancto; Filius

\* Vide Gerhardi locos Theolog. tom. 1. de tribus Elohim: cap. 6. sect. 29.

† lib. 6. de Trin. cap. ult.



est in Patre & Spiritu sancto; Spiritus sanctus est in Patre & Filio. Deinde *omnes personæ sunt in singulis*, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, seu tota Trinitas est in singulis personis. Tertiò *singule personæ sunt in omnibus*, id est, quælibet persona est in tota Trinitate. Quartò *Omnes personæ sunt in omnibus*, id est, tota Trinitas est in tota Trinitate. Quintò *Omnia sunt unum*, id est, omnes personæ habent unam tantum essentiam.

Hoc autem totum intelligendum est ita, ut \* Damascenus monet, *absque contractione, commixtione, confusione*, id est, ne in hac circuminceptione personæ putentur contrahi & compingi, uti fieri solet, quando rerum duarum æqualis magnitudinis una in alteram intruditur & vi inferitur; neve personæ permisceantur ac confundantur, ut nimirum Pater fiat Filius, vel Filius Pater.

Quomodo jam homo intellectu præditus, qui oculos rationis in capite suo gerit, cui Deus sanos sensus ac cerebrum concessit, se ex hoc immani labyrintho, in quo ex uno absurdo aliud nascitur, extricare possit, velim judicent homines incorrupti iudicii. Primum enim, difficile, imo impossibile est intellectu, quomodo persona una possit vere & essentialiter in altera esse, & altera rursus possit esse in prima: sed adhuc multo difficilius est intellectu, quomodo una persona sit in secunda & tertia; & secunda persona ac tertia rursus sit in prima; item tertia & prima sit in secunda, quin omnes tres personæ sint in singulis & simul quoque in omnibus. Potest quidem capi, quomodo (ut exemplo simplici & obvio rem illustremus) butyrum sit in pultibus, & pultes in butyro. Grana enim pultium natant in butyro, butyrum autem non est in granis, sed inter grana & circa grana existit. Quomodo autem vinum in cantharo, & vicissim cantharus in vino esse possit, id jam superat omnem rationem. Hæc tamen mirabilis inexistencia mutua personarum multo minus adhuc concipi potest. Deinde quomodo potest intelligi, per hanc personarum inexistenciam personas non confundi, ut scilicet Pater non sit Filius, & vicissim Filius non sit Pater? si verum esset, quod supra memoravimus, Christum integrum per januam penetrasse, facilius concipi posset, quod tunc janua non fuerit corpus Christi, neque corpus Christi fuerit janua (quanquam id quoque intellectu difficillimum est) quia tamen singula, corpus nimirum Christi & janua, peculiarem ac propriam suam essentiam habuerunt. At quod personæ Trinitatis non solum aliæ in aliis conclusæ & comprehensæ sint, sed etiam insuper unam tantum eandem essentiam inter se communem habeant, interea vero neque inter se permixtæ sint, neque essentia sit divisa, sed illæ maneant distinctæ ac peculiare personæ, & hæc maneat indivisa essentia; ad id intelligendum & credendum plusquam Angelico intellectu opus est. Nihilominus, qui talem permixtionem personarum, vel divisionem essentiae in animo suo concipit, is, secundum symboli Athanasiani decretum, in æternum damnabitur. Tertio si in singulis personis est tota Trinitas, ut verba supra ex Augustino allata indicant, sequitur esse tres Trinitates, unam in Patre, alteram in Filio, tertiam in Spiritu Sancto; eruntque adeo novem personæ Deitatis, seu loco Trinitatis Nonitas. Et si rursus hæc novem personæ ita invicem in se existant, ut quemadmodum vult Augustinus, omnes junctim in singulis sint, erunt novies novem, id est, octoginta & una personæ. Imo hac ratione infinitus numerus personarum in Deo efficitur.

Quarto si quælibet persona est in tota Trinitate, & tota Trinitas in tota est Trinitate, & simul etiam in singulis personis, sequitur, etiam Patrem esse in Patre, Filium in Filio, Spiritum sanctum in Spiritu sancto, hoc est, singulas personas in seipsis esse: quæ locutio quid significet, nemo hominum potest intelligere. Quinto si verum esset, quod homines isti firmiter credunt, quod nimirum secunda persona Trinitatis vere de coelo descenderit, & humanam naturam assu-

\* Lib. 1. Orth. fid. cap. 19.

serit, & quod tertia persona, nempe Spiritus sanctus ad Jordanem in specie columbæ super Christo tanquam secunda persona apparuerit, prima autem persona, id est, Pater in coelo remanserit: sequetur personas tunc à se egressas ac disjunctas fuisse, nec amplius alteram alteri inexistisse; sicut janua non amplius fuit in Christi corpore, nec corpus Christi in janua, cum Christus jam introjisset in conclave. Quod si ita est, agnoscere cogentur, isti homines, tunc divinam essentiam, aliqua saltem ex parte, divisam fuisse, adeoque ad Jordanem neque Patrem, qui de coelo locutus est, neque Filium, qui in Jordane stabat, neque Spiritum sanctum, qui super Filium acquievit, tam perfecte, ut alias, unum Deum fuisse, quia singuli non totam divinam essentiam, sed partem tantum in se habuerunt. Eam enim ipsam ob causam docent, Personas tam mirabili ratione invicem esse implexas & innexas, ne si quis forte personas separatas, uti alias personæ esse solent, conciperet, is divisam essentiam quoque simul conciperet, atque hic in æternum damnaretur.

Verum homines isti credunt, hoc mysterium disertis verbis in Sacris Literis expressum esse, dum scilicet Christus Joh. 10. 38. & cap. 14. 10. testatur, se in Patre, & Patrem in se esse. Sed quod Christus in istis verbis nullum ejusmodi mysterium nos docere voluerit, ex eo homines isti merito perspicere possent, quod Christus apud eundem Johannem cap. 17. 20. usque ad 24. etiam de suis discipulis ac omnibus fidelibus eodem genere ac modo loquendi utatur, dum sic in sua oratione ad Patrem ait: *Non tantum pro istis rogo, sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, me à te missum esse. Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus: ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Ita Johannes quoque in sua prima Epistola cap. 3. 24. scribit: *Qui observat præcepta ejus (id est, Christi) ille in eo habitat, & ipse in illo.* Si igitur hujusmodi locutione talis circuminceptio & essentialis personarum inexistencia designaretur, dicendum esset, etiam quamlibet personam Trinitatis, imo totam Trinitatem in singulis & in omnibus fidelibus simul habitare, & quemlibet fidelem seorsim & simul omnes conjunctim esse in qualibet persona Trinitatis, & insuper in tota Trinitate. Quod mysterium tam parum admittitur ab istis hominibus, quam à nobis eorum admittitur. Quare multo satius est & veritati convenientius, ut dicatur, hac loquendi ratione denotari arctam & strictam conjunctionem voluntatis & amoris, quæ intercedit inter Christum & Patrem ejus cælestem, & porro etiam inter Christum & fideles ejus: id quod in aliis Scriptis abunde demonstratum est.

## C A P. VII.

### De distinctione inter Deum Essentialem & Personalem.

Quartum, quod ad rectam intelligentiam doctrinæ de Trinitate facit, & in supra quidem exposito Athanasii Symbolo non habetur, sed in scriptis eorum, qui Trinitatem defensitant, creberrime occurrit; consistit in prodigiosa quadam distinctione & duplici significatione nominis Dei, quatenus Deo Altissimo tribuitur. Affirmant enim, nomen Dei in Sacra scriptura aliquando *essentialiter* sumi, aliquando *personaliter*, id est, quando nomen *Deus* de unaquaque persona sejunctim prædicatur, tum id sumi personaliter, ac significare tantum unam divinam personam, eam scilicet, quæ hoc nomine insignitur: quando vero simpliciter ac sine ulla additione personæ certæ ponitur, tum id sumi essentialiter, ac designare totam divinam essentiam, seu totam Trinitatem. Ut in exemplo, quando scriptura dicit: *Unus tantum est Deus.* Vel: *Deus creavit celum & terram;* tunc volunt illi, De-

Dei nomen, totam divinam essentiam, seu totam Trinitatem, denotare. At cum scriptura inquit, Pater est Deus; nomen Dei tunc ajunt non totam Trinitatem, sed primam tantum personam designare. Ita etiam cum Christus Deus dicitur, negant tunc totam Trinitatem, sed secundam personam duntaxat intelligi. Causa hujus discriminis inde oritur, quod dicant, unam divinam essentiam esse trinam in personis, & tamen simul quoque asserant, singulas personas Trinitatis habere totam divinam essentiam: ex quo sequi vident, quod singulæ personæ trinæ in personis sint. Potest enim ex eorum sententia hæc consequentia formari:

*Unus ille Deus est trinus in personis.*

*Pater est Deus ille unus.*

*Ergo Pater est trinus in personis.*

Quod idem argumentum potest etiam de Filio & Spiritu sancto usurpari. Præterea cum Filius quoque totam essentiam divinam habeat, sequitur, etiam totam divinam essentiam, id est, totam Trinitatem ab æterno genitam esse, item totam Trinitatem de cælo misisse, & humanam naturam assumpsisse. Cum itaque se hoc laqueo irretitos viderent, nec modum alium se expediendi invenirent, excogitarunt hanc admodum absurdam nominis Dei distinctionem.

Sed, ut nunc nihil de eo dicam, quod de hac distinctione ne minima quidem in Sacris Literis fiat mentio, tantum abest, ut homines isti hac ratione se ex supra indicato laqueo extricare queant, ut se magis magisque ea impediunt ac intricent. Nam si, exempli causa, Filius totam divinam essentiam habet, ut volunt, atque ideo unus ille Deus summus vocatur, quia totam habet divinam essentiam; nescio, sane, cur nomen istud Dei, quod Filio tribuitur, non debeat essentialiter sumi eatenus scilicet quatenus totam essentiam divinam designat. Deinde hoc modo symbolum Athanasii prorsus ambiguum, sophisticum ac plenum fallaciarum redditur, ad simpliciores ac rudiores ancipiti significatione nominis Dei decipiendos. Quis enim rudiorum hanc cogitationem in mentem suam admittat, quod nomen Dei nunc in hac, nunc in alia significatione usurpetur? An simpliciorum aliquis credere queat, Patrem Domini nostri Jesu Christi, quando Deus nuncupatur, non esse Deum illum, qui cælum & terram condidit? Si enim Deus, qui condidit cælum & terram, est trinus in personis, Pater autem non sit ille Deus, qui est trinus in personis (nempe Deus essentialiter sumtus, ut isti homines statuunt) utique sequitur, Patrem non esse Deum illum, qui condidit cælum ac terram. Quod tandem omnem religionem ac cultum Dei funditus subvertit. Insuper, quando ajunt, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus; cur addunt hæc verba, & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus? Nonne ideo, ne quis præsertim ex indoctis concludat inde, esse tres Deos? in quonam significatu? nempe in eodem, quo dictum fuerat, *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus*. Revera si nomen Dei alia significatione accipitur, quando dicunt, *Pater est Deus, Filius est Deus* &c. Nullam omnino causam habent addendi, hæc verba, & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus. Nihil enim in eo absurdi foret ex eorum mente, etsi diceretur, tres esse Deos, si nimirum nomen Dei non essentialiter, sed tantum personaliter, id est, in ea significatione, qua non tota essentia divina, sed tantum una persona Deitatis intelligitur, accipitur; prout homines isti id in Sacra scriptura sæpius accipi contendunt. Imo non foret absurdum, etiam si diceretur, quatuor esse Deos, unum essentialem Deum, qui est trinus in personis, & tres personales Deos, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Neque fane scio, quomodo iste refelli possit, qui vi hujus doctrinæ quatuor ejusmodi Deos, ut modo diximus, credere vellet. Pater enim, exempli gratia, non est ille Deus, qui est trinus in personis (alioqui foret is tota Trinitas) oportet ergo, ut Deus iste, qui est trinus in personis, alius sit, quam Pater, & sic etiam alius, quam Filius & Spiritus sanctus.

Sunt proinde quatuor Dii, essentialis unus, qui trinus est in personis, & tres personales, Pater, Filius & Spiritus sanctus, quorum quilibet una tantum persona est.

## C A P. VIII.

### De Distinctione inter essentialem & personalem Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

Solent homines isti, de quibus nobis res est, supra dictam distinctionem non solum ad nomen Dei, verum etiam ad nomen Patris, ut & ad nomen Filii ac Spiritus sancti adhibere. Quando enim clarissimis scripturæ testimoniis, in quibus solus Pater vocatur ille verus Deus, aut Deus ille unus, convincuntur ac constringuntur, nec aliud invenire queunt effugium, hoc tandem arripiunt, ut dicant, nomen Patris in divinis duplici sensu accipi, interdum essentialiter, ut totam Trinitatem significet, interdum personaliter, ut eo sola prima persona Trinitatis designetur.

At præterquam quod nullo exemplo è Sacris Literis probari queat, nomen Patris (ne de Filio & Spiritu sancto nunc quicquam dicam) quomodo de Deo usurpatur, totam Trinitatem denotare, etiam præterea sensus iste nimis est absurdus. Etenim si nomen Patris totam Trinitatem denotaret, utique denotaret etiam Filium. Quam absonum autem id est, ut Patris nomen aliquando etiam Filium denotet? Deinde confideretur, obsecro, in quem labyrinthum rursus rudiores hac distinctione inducantur? Nam supra capite præcedenti dixerunt, hæc nomina *Patris, Filii, & Spiritus sancti* esse signa, è quibus cognoscatur, quando nomen Dei personaliter, & non essentialiter accipiat, quia nimirum horum nominum quodlibet nonnisi personam, & non totam essentiam divinam denotet. At si nomen Patris etiam nonnunquam totam divinam essentiam, vel totam Trinitatem denotet, falsum erit hoc signum, & tum etiam nomen Dei, etsi Patri appositum sit, non personaliter, sed essentialiter accipietur. Quid igitur certi manebit in hac distinctione? Hoc profecto non est, scripturam declarare & explicare, sed potius clarissimum ejus sensum, incertum & ambiguum reddere, simplicioresque sub specie summæ cujusdam sapientiæ in ipso intellectu confundere, imo in summam desperationem salutis eos adducere. Quomodo enim potest homo indoctus certum fidei suæ ac porro etiam salutis fundamentum in Sacra scriptura habere, si Deus cognitionem suam tam ambiguis & obscuris verbis proposuit, quæ modo sic, modo aliter, modo sensu nativo ac usitato, modo prorsus inusitato atque absurdo accipi debeant? qui fieri potest, ut hoc pacto sibi idiota ab errore cavere, ac damnationem effugere valeat? Nam si, verbi causa, legat apud Paulum Apostolum: *Nobis unus est Deus*, (intellige summus) *Pater ille, ex quo sunt omnia*, unde possit ei incidere in mentem, nisi forte supernaturalem aliquam revelationem ponas, quod eo loci nomen Patris non Patrem Domini nostri Jesu Christi, sed totam Trinitatem denotet? Quod si vero hanc significationem istius nominis ignoret, tum credet, Apostolum loqui de solo Patre Domini nostri Jesu Christi, eumque vocare unum illum Deum summum: quod juxta hanc sententiam tantus error est, propter quem is necessario damnandus sit.

## C A P. IX.

### De æterna generatione Filii Dei ex essentia Patris.

Extum, quod ad declarationem sententiæ de Trinitate spectat, est, æterna generatio Filii Dei ex essentia Patris. Qui articulus etiam secundum horum hominum opinionem ac judicium firmiter ac indubitanter credendus est, etsi non intelligatur, nisi quis velit in æternæ damnationis barathrum præcipitari, imo sub amissione salutis non est ratione scrutandus & examinandus, ne infinita rursus dubia & scrupuli

oboriantur. Urgent enim homines isti fortiter, hanc esse proprie dictam ac veram generationem: inde est, quod cum Sacra scriptura generationis Filii Dei meminit, & Christum Dei proprium, ac unigenitum Filium vocat, illi proprie dictam hujus vocis significationem mordicus retinendam esse contendunt, atque ex ea colligant ac concludant, Christum omnino ex essentia Patris esse genitum: quia juxta exemplum humanæ generationis (quod creberrime allegare solent) quilibet Filius ex essentia Patris sui generatur, atque ideo ejusdem est essentia ac naturæ cum suo Patre.

Sed qui hanc sententiam paulo attentius expendit, aliter judicare non potest, quam eam adversus seipsam pugnare, & seipsam evertere. Etenim primo, si Pater, qui omnium confessione est Deus Altissimus, aliam divinam personam vere ex sua essentia genuit, necesse est, ut per hanc generationem alium ac distinctum à se numero Deum produxerit; quemadmodum in humana generatione (quam isti homines, ut dictum, perpetuo crepant) quando Pater Filium ex essentia sua generat, alium utique hominem generat. Quare ad hunc modum per istam generationem divinam loco unius Dei duo Dii fierent; sicut in humana generatione loco unius hominis duo homines fiunt. Quemadmodum enim in humana generatione pater & filius, duas quidem similes & easdem specie, numero autem distinctas essentias habent, ita etiam in divina generatione Filius aliam numero haberet essentiam, quam Pater: cum Pater suam essentiam habeat ex seipso, Filius autem eam per generationem à Patre acceperit. Si verò in Deitate duæ essentia distinctæ statuuntur, duo etiam erunt Dii. Deinde non potest homo rationalis ex hac sententia aliud colligere, quam Filium esse sui ipsius Filium, & etiam sui ipsius Patrem. Hoc enim sibi volunt hi homines, Patrem & Filium habere unam eandemque essentiam, & habere eam utrumque ab omni æternitate, ut adeo essentia Patris sit quoque Filii propria essentia. Hinc proinde sequitur, Filium dum ex Patris essentia generatur, etiam ex sua propria essentia generatum esse. Ex cujus autem essentia quispiam generatur, ejus etiam est Filius. Atqui Christus ut modo dictum, ex sua ipsius essentia generatus est. Ergo Christus est sui ipsius Filius, ac simul etiam sui ipsius Pater. Neque hic regerere possunt homines isti, essentiam Patris, tunc cum Filius generatus est, nondum Filii essentiam fuisse. Ex ipsorum enim mente nulum unquam tempus fuit, quo Filius non fuerit, & Patris essentiam non habuerit; alioqui non esset Deus Altissimus. Tertio quomodo potest ille ab æterno fuisse, qui ab alio vere ac proprie genitus est, aut essentiam suam per veram ac proprie dictam generationem ab alio accepit? Qui enim vere ac proprie genitus est, is aliquando non fuit. Per generationem enim demum incipit esse, & quivis Pater temporis ratione semper prior est suo filio.

Nec est, quod hic obtendant isti homines generationem Filii Dei non esse naturalem, sed supernaturalem, & plane divinam, ideoque id quod modo diximus, ex ea colligi atque inferri non posse. Primum enim, si generatio Filii Dei est supernaturalis, quæ se longe aliter habeat, quam naturalis, eccur illi ipsi hic adeo urgent exemplum generationis humanæ? Ex eo enim sumunt validissimum argumentum, quod Christus ex essentia Patris genitus sit, quia etiam inter homines quilibet filius ex essentia patris sui gignatur: Si igitur divina generatio Filii Dei hac in parte similis est humanæ generationi, certe nullam aliam causam habent, cur etiam in paulò ante enumeratis rebus similitudinem inter eas nolint admittere, quam quod ipsorum opinioni repugnet. Secundo ut taceam, generationem ejusmodi ex essentia generantis non esse supernaturalem, sed mere naturalem, hoc certum est ac irrefragabile, quod in omni generatione, sive naturali sive supernaturali, is qui generatur, aliam essentiam habeat à generante, & sic post absolutam generationem duæ distinctæ essentia sint patris & filii; item quod is qui gignitur, aliquando non fue-

rit, sed per generationem demum esse incipiat, dum essentiam suam tum demum accipit. Equidem si in supernaturali generatione secus se res habent (ut isti autum aut) tum id absurdissime generatio dicitur, & qui de tali generatione loquitur, prorsus peregrina quadam lingua loquitur, quam ipse tam parum, quam quisquam alius hominum intelligit. Scriptura verò Sacra, quando de generatione Filii Dei loquitur, loquitur lingua communi, intelligibili & omnibus etiam idiotis bene nota, idque ideo, ut omnes vim & sententiam verborum intelligere possint, etiam de cætero universum rei modum perfectissimè concipere atque intelligere nequeant: describitque adeo longe aliam generationem, quam isti homines absque ullo fundamento comminiscuntur. Etiam ubi causas indicat, ob quas Christus Dei filius dicatur, nulla earum ita comparata est, ut vel specie ulla quicquam habeat cum ista æterna generatione commune. Oportetque istos nimis lynceos habere oculos, qui generationem talem in Sacris Literis monstrare volunt. Et tamen hoc est unum è præcipuis capitibus doctrinæ de Trinitate, habeturque pro summo & inenarrabili mysterio, quod abjecta omni ratione, cæca prorsus fide amplectendum sit.

Non possumus etiam, quin hic recenseamus, quam mirabiles fuerint Veterum Ecclesiæ Doctorum, qui doctrinam de Trinitate partim procuderunt, partim strenuè urserunt ac propugnarunt, de æterna generatione Filii Dei, ut & de processione Spiritus sancti cogitationes. Cum enim viderent sententiam hanc neque in scriptura fundari, neque in sana ratione, quin imo cum ea adversa fronte pugnare, ut tamen cogitationibus suis, quas mordicus tuendas sibi sumserunt, aliquam veritatis speciem circumdarent, hoc portentosum, quod modo referemus, architectati sunt figmentum. \* Ajunt Patrem genuisse Filium, se ipsum intelligendo & contemplando, Patrem verò & Filium produxisse Spiritum sanctum, dum Pater seipsum & Filium quoque amat. Hoc quo rectius intelligatur, clarius aliquanto ex horum hominum mente explicabimus. Indigent enim tam profundæ istæ speculationes aliqua luce & declaratione. Duæ sunt in Deo potentia, quarum operationes in Deo ipso perficiuntur, & manent, intellectus nimirum & Voluntas. Per intellectum Deus seipsum cognoscit, contemplatur atque intelligit, cumque sit summum bonum, vult etiam & amat seipsum. Ex his duabus potentiis Dei, nempe ex intellectu & voluntate, vel potius ex harum duarum potentiarum operatione (dum scilicet Deus seipsum considerat ac intelligit, & etiam seipsum amat) probant & eliciunt secundam ac tertiam personam Deitatis, hoc modo: Dicunt, quicquid intellectus considerat & intelligit, id eum intelligere ac considerare mediante aliqua imagine. Cum enim res ipsa, quæ intelligitur, in intellectu non sit, necesse est ut intellectus sibi aliquam rei istius imaginem formet, cujus ope rem sibi quodammodo repræsentet, ut eam capere ac intelligere possit. Jam cum Deus seipsum ab æterno cognoverit atque intellexerit, sequitur, eum etiam sibi ab æterno formasse aliquam imaginem, qua mediante seipsum cognoverit ac intellexerit. Hæc verò imago seu effigies necessario est ipse Deus. Quicquid enim in Deo est, ajunt, est Deus ipse; siquidem essentia Dei est simplicissima, neque ex diversis ac distinctis rebus composita, adeoque prorsus omnem multipliciter respuit. Præterea oportet, ut imago illa infinita sit, quandoquidem Deus infinitus est. Oportet etiam distinctam personam esse ab eo, à quo formata est. Alioqui Deus seipsum genuisset ac produxisset. Exinde tandem concludunt, personam istam esse filium Dei, quia & ab alio producta est, & tanquam imago Dei, est Deo similis, uniusque cum eo essentia. Porro quia Deus seipsum & simul etiam imaginem suam, quam cognoscendo & intelligendo seipsum produxit, amat, & ab ea

\* Vide Gerhard. loc. Theol. tom. 1. de tribus Elohim cap. 8. sect. 47. Becanum summ. Theol. schol. pag. 71. quæst. 2. & Keckerman. System. Theol. lib. 1. cap. 3.



vicissim amatur, ideo (dicunt) hic *Amor* (qui ex operatione voluntatis Dei ac imaginis ejus oritur) est tertia persona Deitatis. Amor enim iste est in Deo, & est etiam infinitus, adeoque non minus Deus, quam imago, quæ ab intellectu Dei genita est: est quoque quoad personam à cæteris duabus vere distincta.

Atque hoc est magnum illud *Mysterium* de origine secundæ & tertiæ personæ Trinitatis, quod à Patribus antiquis primum est revelatum, aut potius excogitatum; hodie vero (quod jure mireris) à potissima parte eorum, qui Trinitatem tuentur, summa cum reverentia adoratur, & absque omni inquisitione rationali simpliciter credi jubetur. Hic vero deberent illi, qui indefinenter clamant, rationem in divinis cæcam esse, qui argumentis è ratione desumptis nolunt contra sententiam de Trinitate pugnari, qui verba illa crebro in ore habent: *scrutator majestatis opprimetur à gloria*; hic, inquam, vociferari deberent, rationem esse cæcam in civinis; de talibus deberent dicere, eos audere scrutari divinam majestatem, nec multum à blasphemia abesse, tam alta mysteria, quæ omnium hominum intellectum superant, humana lingua temerare & eloqui tentare. Ubi enim extat usquam vel jota unum de hoc commento in toto Sacro codice? Quam dissonum est istud totum, quam discrepans ab eo, quod clavis & expressis verbis narratur in scriptura Sacra de generatione atque ortu Filii Dei?

Excutiendum nobis tamen est hoc *mysterium*, & quia scriptura de eo tacet, videndum, an saltem in lumine naturalis rationis aliqua nitatur verisimilitudine.

Principio mirum est, homines istos tam absurde agere, ut, cum simplicitatem summam divinæ essentiæ urgeant, asserantque, essentiâ Dei nequaquam ex rebus multis inter se distinctis constare, ita ut quicquid in Deo est, Deus sit; interea tamen in Deo tres distinctas personas, imo si vim sententiæ eorum perpendas, infinitas personas (ut mox ostendemus) introducant. Eo ipso enim simplicitatem essentiæ divinæ tollunt, statuuntque Deum ex infinite multis rebus compositum esse. Quin, quod majus est, tantopere urgent simplicitatem in Deo, omnemque compositionem ac multipliciter à Dei essentiâ excludunt ac remouent, cum tamen scriptura nihil de eo habeat, quia scitu ad salutem id necessarium non est; contra autem illud tollunt, quod scriptura toties ingeminat & inculcat, nempe Deum nonnisi unum esse. Secundo, ista modo exposita narratio de æterna generatione atque origine Filii Dei ac Spiritus sancti inducit eos, qui cum ratione eam expendunt, in talem labyrinthum, ut nihil aliud ex ea queant intelligere, quam quod Filius & Spiritus sanctus seipsos, & alter alterum, & uterque Patrem genuerint ac produxerint, imo quod hæ tres personæ non solum seipsas, sed etiam infinite plures alias personas genuerint. Si enim Patris essentiâ etiam Filii essentiâ est, sequitur necessario, Patris intellectum etiam Filii esse, ac proinde etiam operationes, quæ à Patris intellectu proficiuntur ac perficiuntur, perfici quoque ac proficisci ab intellectu Filii, propterea que non minus Filio quam Patri eas adscribi debere: præsertim cum sapientiores e Trinitatis defensoribus statuunt, in Deo intellectum & operationes intellectus nihil differre, sed omnia unum & idem esse. Si igitur Pater operatione intellectus sui genuit Filium, sequitur, etiam Filium (ut pote cui operatio illa æque competit) seipsum genuisse. Quin etiam Spiritus sanctus genuit Filium Dei, estque adeo Filii pater, & origo suæ originis, quia nimirum Spiritus sanctus eandem essentiâ adeoque eundem intellectum habet, quem habet Pater, omnesque operationes quæ ab intellectu proficiuntur, etiam Spiritui S. necessario sunt adscribendæ.

Quo circa dum Pater seipsum & essentiâ suâ contemplatur atque intelligit, simul etiam Spiritus sanctus suâ essentiâ contemplatur & intelligit, atque sic intelligendo gignit Filium. Et quia dum Pater ac Filius volunt & amant aliquid, etiam Spiritus sanctus, (qui eandem prorsus habet voluntatem, quam illi) idem vult & amat; volendo autem & amando Pater & Filius

Spiritum sanctum produxit: sequitur omnino, etiam Spiritum sanctum seipsum produxisse.

Præterea cum persona quævis & seipsam & cæteras intelligat, easque cupiat & amet, necesse est, ut quævis persona per intellectionem talem & amorem plures Filios & Spiritus sanctos producat. Etenim, ex horum hominum sententiâ, imaginem, per quam Pater seipsum intelligit, diversam personam esse oportet: unde porro sequitur, etiam imagines illas, per quas Filius ac Spiritus sanctus seipsos intelligunt ac simul alias personas, diversas personas esse; nec minus etiam illas imagines, per quas Pater Filium ac Spiritum sanctum intelligit atque cognoscit. Ita habemus jam non amplius tres, sed magnum numerum personarum in divinitate. Cumque istæ personæ omnes seipsas ac simul quoque reliquas cupiant, velint, atque ament, ex ejusmodi amore prodit rursus ingens copia Spirituum sanctorum, qui omnes personæ sunt. Hæ personæ iterum omnes considerant, intelligunt & amant seipsas & cæteras; ex qua consideratione & amore nova personarum propagatio nascitur: atque sic vi hujus sententiæ infinitus ac innumerus numerus personarum in Deo erit. Imo si verum est, quod isti dictitant, quicquid est in Deo, Deum esse, non solum ex tali intellectione ac amore mutuo personarum divinarum inter se, sed & aliunde infinite personæ in Deo gignentur. Cum enim dicant; intellectionem in Deo nonnisi per imaginem fieri, quæ personæ sit; Deus autem intelligit omnia etiam creata à se in tempore; inde sequetur, quot res sunt, quas intelligit, totidem quoque imagines, ac porro totidem personas in Deo existere. Similiter dicunt, per amorem, qui est inter Patrem & Filium, personam Spiritus sancti produci, atqui Deus amat omnes suas creaturas; ergo ex isto amore denuo infinite exorientur personæ, quæ omnes Deus ipse erunt, sola personalitate ab eo distinctæ.

Ex hoc figmento de origine Filii Dei atque æterna generatione, pullulat adhuc alia admodum absurda, & scripturæ ac rationi contraria sententia, quam tamen plurimi ex assertoribus Trinitatis aperte agnoscunt ac consentiunt, eamque ipsissimam esse veritatem ac *mysterium* divinissimum sibi persuadent; in primis ii, qui Deum genuisse Filium suum intelligendo statuunt. Hæc autem sententia est, quod Filius Dei adhuc continuo generetur, & in omnem æternitatem porro generandus sit. Quia enim Deus nunquam definit seipsum intelligere, nunquam etiam definit Filium suum generare. Itaque juxta hanc sententiam Pater ab æterno est in opere generandi Filium, nec in æternum desistit ab hoc opere: imò Deus non potest unquam finem facere istius generationis, quia non potest definire seipsum intelligere. Atqui, qui nondum genitus est, neque in æternum gignetur, de eo dici sane nequit, eum revera in rerum natura existere, aut unquam exiturum. Qui enim nascitur, is per generationem accipit essentiâ suâ; qui autem nondum natus est, nec unquam nascetur, is nunquam essentiâ suâ accipiet, adeoque nunquam erit ac fiet. Sic ergo vi hujus sententiæ una tantum persona Deitatis ab æterno fuit, nec plures unquam erunt. Secunda quippe persona, quam ajunt esse Filium, nunquam generabitur, tertia quoque, Spir. Sanctus, nunquam produceretur, quia amor Dei, ex quo Spiritum Sanctum produci volunt, nunquam cessabit, nec finem habebit. Si autem Filius Dei nondum natus est, nec unquam erit in rerum natura, actum est de nostra spe, quam omnes pereum in Deo collocamus, & tum non Filius Dei, sed alius aliquis Foedus gratiæ Dei nomine nobiscum pepigit, neque Filius Dei nos redemit, suæque morte viam nobis ad vitam æternam munivit.

Alii ut hanc æternam generationem Filii Dei evincant, tale querunt effugium, ut dicant, generationem Filii Dei esse similem generationi earum rerum, quæ per emanationem producantur; quomodo lux aut radii à sole generantur. Finge, inquiunt, solem ab æterno existisse; ab æterno eum lucem ac radios generasse necesse erit. Sol enim perpetuo emittit ex se radios. Sic igitur radii, licet generati à sole, ab æterno tamen existant. Jam vero Dei Filium quidam per ejusmodi emanationem

nationem à Patre genitum ajunt: dum is seipsum intelligit, & sui ipsius concipit imaginem, quæ actio intelligendi perpetuo duret. Verum ut præteream hoc quoque commentum Sacræ scripturæ esse ignotum, animadvertendum est, nobis sermonem esse hoc loco de vera ac proprie dicta generatione; nam & illi ipsi omnino pertendunt, Filium Dei verissime ac propriissime generari. At lucis ac radorum non est proprie dicta generatio; cum hæc sint accidentia. Accidentium autem proprie dicta generatio non est, sed substantiarum tantum. Deinde quæ per emanationem quodammodo generantur, non habent essentiam perfectam ac consistentem, & non simul & semel, sed per partes successive producuntur, ita ut pars quæ producitur, antea non existerit, neque etiam permanent partes istæ, sed transeunt illico, adeo ut tota essentia earum consistat in perpetuo fluxu, & in fieri, ut in scholis loquuntur. Quare etiam lux, quæ e sole emanat, non tota simul, sed per partes alias atque alias producitur, & radii, qui semel à sole prodierunt, non amplius ab eo emanant: radii enim, qui sequuntur, non sunt illi ipsi radii, qui antea emanarunt, sed alii subinde novi; & radii, qui nunc producuntur, antea non existerunt. Alioqui si lux tota simul & semel secundum omnes partes suas à sole fuisset producta, dici non posset, eam per jugem ac continam emanationem produci, sed tanquam res semel perfecte producta, perpetuo conservaretur. Si igitur eadem esset ratio generationis Filii Dei, quæ est emanationis radorum vel lucis solis, dicendum esset, dum sic ab æterno Filius Dei generatur, subinde partem unam in eo evanescere atque interire, alteram succedere, quemadmodum in solis luce fieri diximus: quod quam absurdum sit, quis est, qui non intelligat? Taceo, quod Filius Dei, si per emanationem indefinenter generatur, non foret Deus summus, summus enim Deus non habet partes, secundum quas successive generetur. Mitto etiam, quod quicquid per emanationem sive æternam sive non æternam generatur, ejus essentia ab eo pendeat, à quo emanat. Dei autem summi essentia à nullo alio pendet. Proinde Filius Dei, etiam si ita se haberet ejus generatio, ut volunt isti homines, Deus summus esse non posset.

## C A P. X.

## De operationibus, quæ intra &amp; extra essentiam Dei fiunt.

**A**Ntequam progrediamur à consideratione Trinitatis, qualis in se ipsa est, ad conjunctionem ac unionem Dei cum humana natura, oblivisci non possumus unius adhuc distinctionis, quæ ad perfectam sententiæ istius declarationem pertinet; quæque est septima horum hominum columna. Quanquam distinctio ista per se absurda non est, ab istis tamè hominibus hic valde inepte & absurde usurpatur atque applicatur.

Cum statuunt illi, tres personas Deitatis unicam tantum habere essentiam, ex eo necessario concluditur, quod quicquid una harum trium personarum facit & operatur, hoc idem etiam cæteræ faciant ac operentur. Quæ res enim essentiam communem habent, illæ habent quoque ea omnia inter se communia, quæ ab illa essentia proficiuntur. Quam ob causam etiam homines isti, cum in symbolo, quod Apostolicum vocatur, & in Sacra scriptura Patri creatio coeli & terræ, resuscitatio Christi à mortuis, aliaque divina opera adscribuntur, omnino contendunt, Christum & Spiritum sanctum propter unitatem essentiæ ab ejusmodi operibus non excludi, sed opera ista esse totius Trinitatis, etsi una tantum certa persona nominetur. Sentiunt enim, Christum & Spiritum sanctum non minus quam Patrem esse creatorem coeli & terræ, & Christum una cum Patre ac Spiritu sancto seipsum suscitasse à mortuis. Jam verò si hæc & similia opera divina, ideo omnibus tribus personis sunt communia, quia omnes habent unam eandemque essentiam, sequitur propter eandem unitatem ac indivisibilitatem essentiæ, etiam alia opera, quæ homines isti alioqui nonnisi certis personis

Trinitatis propria esse volunt, omnibus tribus personis communia esse; quale est opus generandi Filium ab æterno ex essentia sua, quod soli Patri tribuitur. Nam cum Filius eandem essentiam habeat, quam Pater, & Pater Filium ex essentia sua genuit, fieri non potest, quin essentia Filii etiam Filium, id est, seipsum ab æterno genuerit. Similiter etiam essentia Spiritus sancti (quæ eadem illa essentia est) Filium & Patrem quoque & seipsum genuit; præterea & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, alter ab altero & omnes à se ipsis emanarunt, adeoque quælibet persona Trinitatis simul est Pater, Filius & Spiritus sanctus.

Cum igitur his se pedicis illaqueatos videant, utuntur talis distinctionis remedio, qua discernunt opera interna, quæ in essentia Dei perficiuntur, ab operibus externis, quæ extra essentiam peraguntur. Opera quæ sunt extra essentiam Dei, ajunt, sunt indivisibiliter omnibus tribus personis Trinitatis communia, ita ut ab omnibus tribus simul perficiantur, etsi una tantum nominetur; at opera quæ exercentur intra Dei essentiam, aliter se habent. In iis enim quælibet persona habet propria ac peculiaria sua opera, quæ non sunt aliis communia. Itaque solus Pater est, qui Filium ex essentia sua genuit, & Filius est solus, qui ex essentia Patris genitus est, & Spiritus sanctus solus est, qui à Patre & Filio emanat ac procedit.

Cur verò aliter se res habeat in operibus externis, quam in internis, ejus rationem nullam aliam asserere possunt, quam quod ipsi ita velint, quodque sic defensionis sententiæ eorum requiratur. Quod autem hoc effugio nihil proficiant, non tantum ex eo, quod nullum habeat in verbo Dei fundamentum, sed exinde quoque patet, quod ex eo sequeretur, respectu operum, quæ intra Dei essentiam perficiuntur, in Deo plures essentias & non unam esse, respectu externorum autem operum, unam tantum esse in Deo essentiam. Quia enim omnes operationes, quæ ab una persona eduntur, ab ejus essentia proficiuntur, Pater autem dum Filium ex sua essentia genuit, talem operationem exercuit, qualem, non exercuit Filius: inde sequitur, operationem istam ab alia essentia, quam ab ea, quæ Filii est, profectam esse. Sunt proinde vi hujus sententiæ plures quam una essentia in Deo, & tamè non est nisi una; quia operationes, quæ extra Dei essentiam exercentur, etiam uni personæ tantum attribuantur, tamen propter unitatem essentiæ sunt omnibus tribus personis communes.

Cæterum istud fulcrum distinctionis hujus inter opera divina non est adhuc tam firmum ut sufficiens sit ad sustentandum totum ædificium, sed indiget rursus alio fulcro. Etsi enim vi modo dictæ distinctionis, opus Creationis, Redemptionis & sanctificationis, tanquam opera, quæ extra essentiam divinam fiunt, toti Trinitati adscribant; agnoscunt tamen ac consentiunt, creationem esse peculiariter Patris proprium opus, & Redemptionem esse proprium Filii, sanctificationem autem Spiritus sancti opus. Istasq; vocant proprietates personales externas. Itaque dicunt, hæc & similia opera esse quidem toti Trinitati communia, sed ita tamè *\* ut ordo & cujusque personæ proprietates servetur*. Ideò totam Trinitatem quidem ajunt creasse coelum & terram, sed in ordine Patris, cujus proprium est Creare; hunc esse creatorem per Filium in Spiritu sancto (cogitet, qui sapit, quid hoc sibi velit, in Spiritu Sancto, ita totam quoque Trinitatem redemisse genus humanum, sed in ordine Filii; totam denique Trinitatem sanctificare homines, sed in ordine Spiritus sancti.

Verum ut taceam, nullum istius rei in Sacris Literis extare vestigium, deberent isti homines suæ confessionis seu symboli meminisse, in quo dicitur, *in Trinitate nihil esse prius, nihil posterius, nihil majus vel minus*. Hoc si ita est, nulla causa est, cur supra dicta opera certo ordine inter divinas personas distribuant, vel etiam si ordo personarum servetur, cur mihi non liceat dicere: Filius est creator per Patrem in Spiritu sancto, aut, Spiritus sanctus est creator per Filium in Patre. Nam certe isti ipsi homines non verentur

\* Vide Gerhard. tom. I. de tribus Elohim cap. 6. sect. 39. & c. 9. sect. 52. Filium

Illud & Spiritum sanctum, æque ac Patrem, creatorem cæli & terræ nuncupare. Deinde quomodo potest qualibet persona suas proprietates habere peculiares, quando omnes unam tantum essentiam habent? Proprietates enim cuiusque rei ex essentia ejus resultant; quæque habent communem essentiam, ea habent quoque communes proprietates, & contra, quæ habent peculiares proprietates, habent etiam peculiarem ac propriam essentiam. Inprimis autem mirum est, eos divinis personis peculiares proprietates attribuere, qui credunt, duas naturas in Christo ita proprietates suas sibi invicem communicasse, ut proprietates unius nature de altera possint prædicari. Si hoc fieri potest propter solam conjunctionem duarum naturarum, ubi tamen distinctæ sunt naturæ, nec inter se permittæ, ut isti volunt, quanto magis possunt ac debent omnes divinæ proprietates promiscue & sine discrimine de unaquaque persona prædicari, cum omnes conjunctim non habeant nisi unam indistinctamque essentiam? Quod recte fieri posse ac debere, viderunt probe ex his hominibus illi, qui Patrem & Filium & Spiritum sanctum vocant *Tres justificantes*, & *Tres auctores nostræ justificationis*. Quo exemplo, nihil causæ est, cur non etiam dicere possint, tres personas divinas esse Tres Creatores, tres Redemptores, & tres sanctificatores. Mere igitur contradictoria loquuntur isti homines, dum dicunt, opera ista creationis, redemptionis & sanctificationis, essetori Trinitati communia, & nihilominus esse personarum singularum propria. Quod enim proprium est, id non potest aliis esse commune.

## C A P. XI.

## De Incarnatione Filii Dei.

Octavum, quod homines isti ad perfectam Dei cognitionem pertinere autumant, est *Incarnatio Filii Dei*, quod nimirum Filius Dei, tanquam secunda Trinitatis persona, mandato Patris de cælo descenderit in uterum Mariæ Virginis, ibique homo factus sit. Hoc ipsa necessitas coëgit istos homines comminisci; alioqui sententia eorum de persona Christi non posset consistere. Cum enim sacra scriptura diserte testetur, Christum dum in terris vixit, fuisse verum hominem, qui verum humanum corpus & humanam animam habuerit; de Deo autem dici nulla ratione potest, quod humanum corpus & animam habeat; necesse est, ut si Christus nihilominus etiam Deus Altissimus esse debeat, is sit aliquid ex Deo & homine compositum. Hanc compositionem igitur illi vocant Incarnationem æterni Filii Dei, vel, Incarnationem Dei.

Vox *Incarnationis* seu Hominificationis non solum in sacra scriptura non invenitur, sed etiam eo sensu, quo eam isti homines usurpant, est prorsus absurda. Quando homo aliquis nascitur & in mundum editur, posset id Hominifatio vocari, quia homo is verè sit, quia antea homo non erat, imò plane nihil erat, aut, si quis velit dicere, cum aliquid ante fuisse, tamen non id amplius est, quod antea fuit. Ita & illud miraculum Domini Jesu, cum in Cana Galilææ aquam in vinum converteret, non absurde posset dici Vinifatio aquæ, quia ibi vere aqua facta fuit vinum, ita ut miraculose permutatio aquæ in vinum facta sit, & aqua desierit esse aqua, merumque vinum remanserit. Hoc modo etiam Hominifatio Dei atque Incarnatio, si propriam vim ac significationem vocis spectes, nihil aliud denotabit, quam Deum desisse esse Deum & à Deo factum esse hominem. Quando enim res fit aliquid aliud, desinit esse id, quod prius fuerat. Aqua, quæ facta est vinum, desinit esse aqua: caro, quæ verminat, desinit esse caro. Posset tamen forte aliquis negare, quod vis verborum necessario hanc significationem postulet. Etenim dici posset, exempli causa, Cæsarem factum esse Regem Bohemiæ: neque tamen significaretur, eum desisse esse Cæsarem. ethi status Regis minor sit statu Cæsaris. Verum ingens discrimen est inter hoc exemplum & Hominificationem Dei. In hoc enim exemplo per

Regem Bohemiæ non proprie persona Regis Bohemiæ, quoad essentiam consideratur, sed tantum status ejus Regius atque officium intelligitur. Alioqui nimis absurde diceretur, essetque prorsus impossibile, si quis diceret, Cæsarem quo id essentiam factum esse personam illam, quæ est Rex Bohemiæ. Sic enim (si modo id fieri posset) Cæsar revera desineret non solum Cæsar, sed etiam homo ille esse, qui erat prius. Sed in Incarnatione seu Hominificatione Dei nolunt homines isti, Deum dum factus est homo, tantum externum statum assumpsisse, sed affirmant, eum factum esse illum ipsum hominem essentialiter, qui ex Virgine Maria natus est. Hinc nonnulli ex ipsis non verentur dicere, \* hanc locutionem, *Deus est homo*, vel, *Deus est h.c. homo*, non modo verissimam esse, sed etiam propriam & usitatam. Unde sequitur, Deum per hanc Incarnationem ac Hominificationem, vi propriæ significationis hujus vocis, desuisse esse Deum: quod etiam quidam ex hominibus istis agnoscunt, sequi nimirum ex modo dicta locutione, † *Deum esse immutatum*. Imò absurdum foret, etiam si diceretur, tantum, Deum quoad externum statum ac conditionem factum esse hominem: multoque absurdus, quam si quis diceret, Cæsarem factum esse Calefactorem fornacis seu Fornacarium, aut Subulcum. Tantum discrimen est inter Deum & hominem. Et revera Deus etiam hac ratione desineret esse Deus, id est, summus Dominus ac Monarcha Mundi; quemadmodum Cæsar non amplius Cæsar esset, si Fornacarius aut Subulcus fieret. Cum autem homines isti pro absurdo & impossibili id habeant ipsi, ut Deus unquam desinat esse Deus, deberent sane agnoscere, quod non tantum haud rectè faciant, dum summum hoc & humanæ menti imperscrutabile mysterium (ut vocant) tam absurdis vocibus efferunt, sed quod etiam fundamentum hujus sententiæ, quod se in Scriptura habere putant, falsum sit & nullius momenti. Probant enim illi hanc Incarnationem verbis Johannis Evangelistæ, quibus (secundum vulgarem interpretationem) ait: *Verbum caro factum est*. Ubi per *Verbum* Christi naturam divinam, seu secundam personam Trinitatis intelligunt, voluntque hunc esse verborum sensum: *Secunda persona Trinitatis facta est homo*. Quod sane nihil aliud est, quam secundam Trinitatis personam, id est, Deum Altissimum conversum esse in hominem: unde consequitur, eum desuisse esse Deum. Scio equidem, eos per Incarnationem Dei talem Dei in hominem conversionem ac commutationem non intelligere, sed solummodo, quod Deus humanam naturam assumeret, eamque sibi, absque immutatione sue divinitatis, adsciverit, & in unam personam coadunaverit. Sed cum sic sentiant, non tantum hoc factum deberent, potius Hominis assumptionem, quam Hominificationem vocare; sed etiam melius considerare deberent, quam solide hæc eorum sententia ex verbis allegatis Johannis elici queat. Quomodo enim probabunt, verba ista, *Verbum caro factum est*, (etiam si vulgata hujus loci versio admitteretur) idem significare, quod Verbum assumpsit humanam naturam? Ut nunc præteream, quod nullo argumento probari queat, per *Verbum* intelligendum esse Deum Altissimum, aut ullum alium quàm hominem Jesum Christum, qui ex Maria natus est.

Perpendendum verò nobis est, quod ad rectam hujus sic nuncupati mysterii de Incarnatione Dei intelligentiam ex hominum istorum mente pertinet, & quomodo id ipsi declarent atque explicent. Sententia eorum vulgò hæc est, quod Pater, tanquam prima persona Trinitatis, Filio suo dederit mandatum, ut de cælo descendat in uterum Virginis Mariæ, inque eo humanam naturam assumat, & ex ea, ad salutem humani generis, verus homo nascatur. Sic proinde unum illum æternum Deum demississe in mundum de cælo unum illum æternum Deum, ut homo fieret. Filium autem, tanquam unum æternum Deum, obedivisse Patri illi uni æterno Deo, ac sponte hanc legationem in se suscepisse.

\* Vide Becani summ. Theol. Schol. part. 3. pag. 569, 570. sect. 8, 9, 12.

† Bonaventura citante Becano d. l. sect. 12.



Hanc esse summam incarnationis istius, ex ipsorum Scriptis facile colligitur; atque inprimis ex hymno quodam Ecclesiæ, in quo inter alia canunt, Patrem monuisse Filium, quoniam præsto sit tempus miserendi, ut descendat in terras, fiatque salus miserorum, Filiumque Patri obedientem venisse in terras, & de Virgine pura ac tenera factum esse Fratrem nostrum. Vi itaque hujus sententiæ (si eam nude & ad lucem claræ simplicisque veritatis consideremus) Deus ille unus, nempe Filius, ad tempus reliquit cœlum, inque assumpta à se humana natura hic in terris inter homines versatus est, & postquam à Judæis crucifixus atque è vivis sublatus esset, seipsum rursus in vitam revocavit, unaque cum assumpta natura humana ascendit in cœlum, & ad dextram Patris sui cœlestis confedit, id est, unus ille Deus summus ad dexteram confedit unius illius summi Dei.

Videamus vero, quid nobis ex hac sententia ad rationalem Dei cognitionem utile discendum sit. Hoc sibi vult ista sententia, quod etiam si Pater de cœlo non descenderit, sed solus Filius, ita ut dum Filius descendit, Pater interea in cœlis superne manserit, neque descenderit, nihilominus is qui non descendit, & is qui descendit, tamen duo numerentur, nonnisi unus Deus sit. Unde sequitur, Christum tunc vere & essentialiter, æque ac Pater, in cœlo, & non in terra fuisse, & tamen rursus eum illo ipso tempore etiam vere atque essentialiter in terra fuisse, ita ut in cœlo apud Patrem non fuerit. Sic ergo Filius Dei, cum factus est homo, simul fuit in cœlo, & non fuit in cœlo, fuit in terris & non fuit in terris. Cum enim essentia Patris (quæ est indivisibilis) semper in cœlo manserit, neque unquam in terram descenderit, Filius autem habeat illam ipsam essentiam, quam habet Pater; inde clare sequitur, divinam essentiam Filii adeoque ipsum Filium tunc in cœlis mansisse, nec unquam se in terram demisisse. Et contra, quia Filius vere de cœlo descendit, (quod homines isti probant loco Joh. 3. 13: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo*), necesse est, Filium tunc cum tota essentia sua cœlo verè excessisse, atque hinc in terris fuisse. Quis vero istud intelligat? cujus hominis sensus ac intellectus sufficit ad hæc pugnantia & contradictoria percipiendum? Præterea hoc quoque credi volunt, quod etsi Filius idem ille Deus unus sit, qui Pater est & Spiritus sanctus, tamen neque Pater neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum homo factus sit. Quod cum rursus capinequeat, ceu res seipsam perimens atque evertens, coëgit quosdam vis veritatis fateri diserte, quod tota Trinitas sit incarnata. Unde consequitur, etiam reliqua omnia, toti Trinitati esse attribuenda, quæ alioqui omnes secundæ tantum personæ in humana natura assumpta adscribere solent; nempe quod tota Trinitas mortua sit, sepulta, resuscitata, in cœlum assumpta &c. Sed hoc cum etiam admodum difficile sit creditu, atque intellectu, cumque hac ratione antiqua atque ab hisce hominibus ipsis damnata hæresis Sabellianorum ac Patripassianorum ab Orco revocetur; ideo id alii sic explicant, ut dicant, totam Trinitatem quidem incarnationis opus peregrisse, sed solam secundam personam incarnatam ac hominem factam esse.

Lutherus hoc mysterium declarat (ut \* Gerhardus testatur) similitudine trium puellarum, quæ omnes simul unam vestem conficiunt, & uni induunt. Verum hæc declaratio rei difficultatem non tollit. Quomodo enim dici potest, solam personam secundam, & non etiam primam ac tertiam humanam naturam assumpsisse, cum & prima & tertia persona eandem illam essentiam habeat, quam habet secunda? Tres illæ puellæ, quæ vestem uni ex suo numero induunt, non sunt tres personæ in una essentia, sicut homines isti de tribus personis Deitatis credunt, sed singulæ habent suam peculiarem essentiam. Quare hoc effugium ipsos nihil juvat. Ad hæc, assumptio humanæ naturæ est opus ejusmodi, quod extra essentiam Dei factum est, proinde secundum proprium horum hominum princi-

pium (de quo egimus capite præcedenti) omnibus tribus personis ut sit commune necesse est. Nisi forte quis & hic ad proprietates personales confugiat, dicatque incarnationem pertinere ad opus Redemptionis, quod proprium est secundæ personæ. Verum hoc pacto de hoc opere eodem modo esset loquendum, atque istos homines de opere Redemptionis supra loqui vidimus, quod nimirum tota Trinitas, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint homo factus, sed in ordine Filii. Quam absurdam & tortuosam locutionem etiam nemo hominum est, qui intelligere possit.

## C A P. XII.

## De duabus naturis in Christo.

**N**Onum, quod ad rectam hujus sententiæ cognitionem spectat, quodque præcedentis incarnationis Dei est consequens, hoc est, quod in Christo sint duæ naturæ, divina scilicet, quam ab æterno tanquam summus Deus habuit, & humana, quam in utero Mariæ Virginis assumpsit.

Sentiunt autem, quod etsi in Christo sint duæ naturæ, is tamen nonnisi una persona sit, quodque divina ejus natura seu Deitas sit persona, illa nimirum secunda persona Trinitatis; humanitas verò ejus non sit persona, sed nihil nisi humana natura, & accessorium quid, quod divina Christi persona sibi adscivit.

Ut hæc opinio examinetur, an cum veritate queat consistere, non possunt quoque homines isti pati, sed volunt hic quoque intellectum captivari. Quod sane quivis libenter faceret, si mysterium hoc totidem verbis in Sacra scriptura expressum monstrare possent, quibus id ipsi absque ulla probatione proponunt. Sed ubi, quæso, in Sacris Literis scriptum est, duas esse in Christo naturas? Ubi legitur, Christum ita habere humanam naturam, ut tamen non sit humana persona? Annon Christus expressis verbis in scriptura dicitur *Homo*, Matth. 26. 27. Luc. 23. 2. Rom. 5. 15. 1 Tim. 2. 5. *Filius hominis*. Matth. 8. 20. Joh. 3. 13. *Vir Actor*. 17. 31. Nonne \* illi ipsi fatentur, Christum esse verum, perfectum, & naturalem hominem? Quis autem unquam audivit, aut quis possit intelligere, virum, qui veram animam humanam & corpus humanum habet, quique omnia opera humana tam secundum animam, quam secundum corpus aptus est peragere, non esse personam humanam? Revera si Christus est verus homo, quod homines isti negare nequeunt, negari etiam nequit, eum esse humanam personam. Si autem simul etiam est divina persona, tum Christus habet duas personas, ut capite sequenti ostendetur.

Quid verò causæ est, quod isti homines è duabus naturis unam tantum in Christo, nempe Deitatem pro persona habeant, humanitatem autem negent esse personam? Nonne hæc est quia ratio eis dicat, hæc ratione duas personas in Christo fore; uti olim sensit Nestorius, imo vi hujus sententiæ de æterna Deitate Filii Dei sic credere ac sentire coactus est? Si autem sunt duæ personæ in Christo, erant etiam duo Christi, & duo Filii Dei. Quod ipsi nolunt admittere. Cur verò hic illi quoque non captivant suam rationem? Cur non mentem suam avertunt à numerandis personis, sicut nolunt numerari tres Deos, quos tamen tres personas in Deitate numerando ponunt? Vel cur non dicunt, Christum esse duas personas in una ex Deo & Homine composita essentia, eumque propter istam unam naturam nihilominus unum tantum Christum esse, & unum Filium Dei, sed qui bis natus sit, quem admodum statuunt, summum Deum trinum quoad personas in una essentia, ac proinde unum duntaxat Deum esse? Si enim potest ex duabus distinctis intelligentibus essentiis, seu naturis, divina & humana, una tantum persona fieri, ut illi de Christo credunt; causa non est uila, cur non etiam ex duabus personis queat una essentia constitui. Mirumque sane est, re-

\* Gerhard. tom. 2. loc. Theol. de personæ Christi sect. 103.

\* Gerhard. tom. 2. pag. 422. cap. 6.

mini adhuc eorum tales cogitationes in mentem venisse; cum illi alias sumant sibi libertatem pro arbitrio ac libitu multa nova comminiscendi. Sed videtur eis obstare symbolum Athanasianum, quod permissionem naturarum fieri vetat. Deinde si in Christo tantum est persona, & tamen duæ naturæ, nihil causæ est, cur homines isti malint divinam naturam pro persona ducere, quam humanam. Si quis diceret, humanam naturam in Christo esse personam (quod certe ipsissima & irrefragabilis veritas est) divinam autem naturam personam non esse, sed adjunctum tantum, quod virtute Spiritus sancti cum humana persona sit unitum; (sicut isti homines humanam naturam tale adjunctum divinæ personæ Christi faciunt) quomodo talem hominem refellerent? Ex scriptura Sacra ne literam quidem unam adversus ipsum possent depro mere: Sed omnes suos sensus convocarent, & longam catenam consequentiarum ac ratiocinationum cuderent, ut ostenderent, hæc aut illa absurda ex hac sententia fluere. Quid si vero ille juberet eos captivare rationem atque intellectum, tum omnes eorum rationes eo modo, quo ipsimet utuntur, essent refutatae.

Persuadent quidem sibi homines isti firmiter, se habere sufficientia in Sacris Literis argumenta suæ de duabus in Christo naturis sententiæ; quia nimirum dicitur in nonnullis locis, quædam Christo competere *secundum carnem*. Ut inter alia Rom. 1. 3 ait Paulus, *Filium Dei natum esse ex semine Davidis secundum carnem*. Et cap. 9. 5. *Christum ex patribus esse secundum carnem*. Quibus in locis illi existimant, verba *secundum carnem* tantumdem valere, atque, *secundum humanam naturam*, eaque verba opponi verbis, *secundum divinam naturam*. Sed quam valide ac solide illi ex his ac similibus locis duas naturas in Christo probent, abunde alibi ab aliis ostensum est. \* Nobis hoc tantum scitari libet; unde probare possint, verba *secundum carnem*, significare idem quod, *secundum humanam naturam*, quæ persona non est? Cur non potius significant, secundum humanam personam, vel, secundum humanam naturam, quæ persona est? Manifestum enim est, Christum quoad humanitatem suam, secundum quam ex semine Davidis & ex patribus ortus est, verum esse hominem, veramque adeo personam humanam esse.

### C A P. XIII.

#### De hypostatica seu personali unione duarum naturarum in Christo.

Quandoquidem homines isti asserunt, Christum nonnisi unam personam esse, quæ è duabus naturis constet, ita ut sit Deus Altissimus, & simul etiam verus Homo; necesse est mirabilem quandam & inusitatam ac inauditam duarum istarum naturarum unionem conjunctionemque in Christo esse. Quæ unio quomodo recte & significanter enuntiari debeat, nondum inter istos ipsos homines satis convenit.

Nos brevitatæ ergo non omnes eorum opiniones enumerabimus, sed eam duntaxat, cui plerique ferme calculum suum præbent. Hæc autem est, † quod dicant, talem esse factam naturarum unionem, ut persona, quæ ante conjunctionem tantum divinæ naturæ persona erat, post conjunctionem facta sit etiam humanæ naturæ persona, dum scilicet divina persona Christi, seu secunda persona Trinitatis humanam naturam, seu carnem una cum humana anima ad se & in se recepit, & quodammodo absorpsit, non secus quam cum ferrum in se calorem ignis recipit, ut ita ex duabus naturis una persona effecta sit. Hanc autem conjunctionem duarum naturarum in una persona vocant Hypostaticam unionem, ad differentiam essentialis unionis trium personarum Deitatis in una divina essentia summi Dei.

In hac hypostatica ac personali unionem atque assumptionem humanæ naturæ in divinam, statuunt similem prorsus factam esse *πρὸς ἑαυτὸν*, seu immeationem, immanentiam ac penetrationem personarum, atque supra cap. 6. vidimus statui eam in tribus personis Deitatis; per quam naturæ ambæ ita inter se connexæ & intime secum junctæ sunt, ut dici possit, totam divinam personam esse in carne tota Christi, & totam rursus carnem Christi esse in tota divina persona, idque indivisibiliter ac insolubiliter. Quemadmodum enim ajunt, tres personas Deitatis, propter unitatem essentialis alteram alteri inclusam esse, & alteram in altera immanere, & transmeare, & inter se arctissime colligatas esse: Ita etiam inquirunt, duas naturas in Christo, propter unitatem personæ, adeo se invicem penetrare, ut mutuo altera alteram in se contineat. Interea tamen cavent sedulo, ne per hanc mutuam ac intimam præsentiam atque immanentiam ulla fiat naturarum commistio seu confusio.

Hic profecto iterum talia proferuntur in medium, ad quæ intelligenda ac percipienda ne Salomonis quidem sapientia sufficeret. Omitto, quod in Sacris Literis de tali unionem duarum naturarum deque modo dicta & ex horum hominum mente exposita immeatione ac immanentia earum, nec vola sit, nec vestigium. Hoc tantummodo quæri potest, qui probaturi sint, talem conjunctionem duarum tam discrepantium & magis à se, quam cælum & terra, dissitarum naturarum fieri potuisse, & quidem ita ut in unam personam coalescerent? Difficulus concipi potest, quod aqua & ignis, aer & terra, tonus & ferrum inter se coalescere queant: at multo difficilius est hanc conjunctionem concipere, & absque evidenti atque expressa Dei revelatione credere, quod increata, invisibilis ac incomprehensibilis essentia Dei Altissimi, qui *est Spiritus* Joh. 4. 24. & *ignis consumens* Deut. 4. 24. Cum creatura, quæ caro & sanguis est, possit upiri, & per intimam ac mutuam inexistentiæ coalescere, ita ut *Creatori creatura inferatur*, quemadmodum ille \* Doctor Ecclesiæ de ista unionem loquitur. Sed præter hæc omnia absurdum ac impossibile est, ut una persona Deitatis simul sit divinæ ac etiam humanæ naturæ persona, utque humana natura, id est, humanum corpus & humana anima, non aliter, quam quatenus uni est & adunata cum divina persona Christi, homo sit.

Primum enim, ubi est anima humana vivens in perfecto humano corpore una cum omnibus humanis facultatibus ac proprietatibus, sicut in Christo fuit, dum in terris adhuc egit, ibi jam est humana persona, neque alia ulla requiritur amplius persona, quæ se corpori atque animæ communicet, & ut ista fiant persona, ea in personam suam assumat. Natura enim humana extra personas humanas considerata, nihil est, id est, non est res talis, quæ extra humanas personas per se possit subsistere, & reipsa existere. Si enim omnes homines seu humanæ personæ è mundo tollerentur, simul etiam humana natura tolleretur. Etenim humana natura nihil aliud est, quam id, quod homines sunt, & si humana natura in mundo existere debeat, oportet, ut existat in hominibus; sicut bovina natura in bobus, asinina in asinis, herbarum ac lapidum natura in herbis ac lapidibus existit. Cum igitur Christus verum humanum corpus & animam haberet, sequitur, eum non tantum nudam humanam naturam habuisse, sed eum essentialem hominem, adeoque veram humanam naturam fuisse. Itaque si humanum corpus & anima Christi in ejus divina persona existeret; necessario dicendum esset, ejus humanam personam, & non nudam humanam naturam, in ejus divina persona existere.

Deinde ista conjunctio hypostatica divinæ naturæ & humanæ, res est ejusmodi, quæ manifestam implicat contradictionem, & seipsam evertit. Ea autem quæ contradictionem implicant, ideoque natura sua ac per se sunt impossibilia, illa, etiam horum ipso-

\* Vide Crellium de uno Deo Patre lib. 1. Sect. 2. cap. 5.  
† Gerhard. exeg. tom. 1. loc. 4. sect. 120, 121, 131.

\* Leo serm. 3. de natur. pag. 43. citante Gerhard. d. l.

rum hominum confessione, ne Dei quidem Omnipotentiae, absque ipsius detractioe, attribui possunt. \* Lutherus inquit: *Magis disparata est haec propositio, Deus est homo, quam illa, homo est asinus.* Juxta quam Lutheri sententiam facilius fieri posset, ut humana persona asininam naturam assumeret, quam ut summus Deus humanam addisceret naturam. Jam verò impossibile est & contradictorium, humanam personam assumere asini naturam, & nihilominus humanam naturam retinere, ita ut dici possit, haec una persona est homo, & simul etiam asinus. Nam dum persona illa est homo, eo ipso (ut rem quasi manibus palpandam ob oculos ponamus) caput ejus est humanum caput: at si habet naturam asini, tum erit istud humanum caput simul etiam asinum caput, auresque ejus uno eodemque tempore erunt breves, quales hominum esse solent, & longae, ut asinorum; vox quoque, quam persona ista edit, erit humana vox & sermo, simulque rudentis asini mugitus, id est, poterit loqui & non poterit; cutis ejus erit glabra ac depilis, qualis est hominum, & tamen etiam tota pilosa ac hirsuta, qualis est asinorum; erit denique rationalis ut homo, & simul irrationalis, ut asinus. Quod perinde est, atque si dicerem: Haec persona est homo, & non est homo; est asinus, & non est asinus. Quae certe apertissima est contradictio, adeoque cum veritate nullo pacto potest consistere. Cum igitur ex Lutheri sententia, & ex ipsa rei veritate, longe major est dissimilitudo atque distantia inter divinam ac humanam naturam, quam inter humanam & asininam, manifestum est, unionem personalem divinæ & humanæ naturæ longe magis esse impossibilem atque absurdam, quam est modo proposita conjunctio humanæ & asininæ naturæ. Ita enim unio non minus quam illa contradictionem involvit. Quod facile perspicui atque intelligi potest. Dum enim homines isti inquirunt, personam Christi esse Deum summum, eo ipso ei tribuunt divinas proprietates, ut, quod sit invisibilis Spiritus, quod sit ab æterno, omniscius, omnipotens, immortalis: dum autem dicunt, eandem ipsam personam Christi etiam simul esse verum hominem, seu eum habere veram humanam naturam, eo ipso tribuunt ei tales proprietates, quæ supra dictis divinis proprietatibus sunt e diametro contrariæ. Innuunt enim eo, personam Christi divinam non esse invisibilem Spiritum, sed habere corpus visibile, eam non esse ab æterno, sed in tempore genitam, non esse omnisciam, non omnipotentem, non immortalem. Quod equidem idem est, atque si dicerent: Personam Christi non esse Deum. Ut ita secundum hanc opinionem unica persona Christi (quæ pro secunda persona Deitatis habetur) sit simul Deus & non sit Deus, homo & non homo; visibilis ut homo, & invisibilis, ut Deus. Quæ omnia contradictoria sunt, & se ipsa tollentia, adeoque veritati nullo modo consentanea. Probe hic tenendum est, homines istos nolle, Christum esse e duabus personis, una divina & altera humana conflatum, ut dici possit, divinam personam in humana persona arcana ac invisibili ratione habitasse, similiter ac si Spiritus aliquis, puta Angelus in homine habitaret (quantum etiam talis conjunctio, quod Deum attinet, impossibilis foret) sed ipsi statuunt, Christum esse non nisi unam personam, quæ duas naturas, adeoque duplices proprietates, divinas & humanas habeat: quæ proprietates cum sint prorsus dispares & ex parte sibi invicem contrariæ, perspicuum est, eas simul in una persona consistere non posse; non magis sane, quam dici de una aliqua repote, eam uno eodemque tempore simul calidam esse & frigidam, madidam & siccam, mollem & duram, pilosam & depilem.

Hinc jam elucet, quam absurdum etiam hoc sit, ac implicans, dum isti homines unicæ Christi personæ duo repugnantia adscribunt & contraria, unum quidem secundum unam naturam, alterum autem secundum alteram: ut cum, in exemplo, dicunt, Christum nescivisse diem judicii secundum humanam naturam,

Matth. 24. 36. Secundum divinam naturam verò eum scivisse; secundum humanam naturam Christum nihil posse facere à seipso Joh. 5. 19. Secundum divinam autem eum posse omnia facere; secundum humanam naturam eum esse mortuum, at secundum divinam fuisse immortalem; & alia hujusmodi innumera. Nam, ut supra demonstravimus, impossibile esse, ut una persona simul tales duas naturas habeat, & in personam suam assumat, quæ prorsus repugnantes atque contrarias proprietates habent: ita etiam impossibile est, unam eandemque personam simul & eodem tempore omnia scire, & tamen aliqua nescire, omnia à se ipso posse facere, & nihil posse facere, mori & tamen simul non mori.

Quod si verò hæc & similes contrariæ proprietates in Christo locum habeant, (quod tamen nullo modo probari potest) omnino dicendum esset, Christum ex duabus disparatis personis divinam & humanam esse compositum, quarum singulæ suas peculiares & naturales proprietates habeant, ita ut humana persona diem judicii ignoraverit, divina vero eum noverit, nolueritque eum tunc suo comiti, humanæ scilicet personæ, revelare; humana persona mortua fuerit, divina autem in vivis remanserit. Sed hac ratione sententia de unionem naturarum, deque communicatione idioma-tum (qua de re agemus inferius) funditus corruerit. Quanquam etiam alias homines isti ipsi et duas personas in Christo nolunt (& recte quidem ac merito) concedere; quia id absurdum, & veritati multis modis contrarium esse agnoscunt.

Possent autem aliquis opponere nobis illum Petri locum 2 Petr. 1. 4. ubi dicitur, nos etiam aliquando fore divinæ naturæ participes; atque inde concludere, non esse absurdum, ut duæ naturæ sint in una persona. Verum quis non videt, Petrum in illo loco nihil aliud indicare, quam quod Deo futuri simus similes, dum nimirum immortalitatis (quæ divinæ naturæ propria est) fiamus participes, non autem, quod tota divina natura ita nobiscum in unam personam unienda sit, ut simul simus Deus Altissimus, & homines quoque, simul immortales secundum divinam naturam, & mortales secundum humanam; quemadmodum illi de Christo credunt. Mortalitas enim cessabit ac desinet, quando immortalitatis reddemur participes.

Dicendum nobis nonnihil adhuc est de *παραχώρησις*, seu mutua inexistencia duarum naturarum, quod nimirum per hanc intimam & mutuam immanentiam ac conjunctionem duarum naturarum, labyrinthus iste, in quem nos introduxit illa trium personarum Deitatis circumincessio ac immeatio, multo intricatior ac impeditior reddatur. Non \* pauci enim sunt ex hisce homines, qui sentiunt, hanc assumptam humanam naturam pertinere ad Trinitatem. Hinc Ambrosius ait: *Non est despicienda carnis humanæ natura, quæ in Sanctæ Trinitatis consortium per Dominum Christum ingredi meruit.* Et Augustinus: *qui suscepit, & quod suscepit, est una in Trinitate persona.* Quia verò hoc admodum durum est, & male sonat, quod caro, quæ est creatura, ad increatam divinam essentiam supremi Dei pertineat; ideo, ad emolliendas hujusmodi locutiones, adhibent consuetam suam distinctionem inter essentiam & personas, ajuntque, humanam naturam pertinere ad Trinitatem non essentialiter, sed personaliter: quasi aliquis personaliter possit esse in aliquo consortio, & non simul essentialiter. Isti homines arbitrantur, si tantum aliud vocabulum adhibeant, quod aliis literis ac syllabis consistet, etsi sensus ac significatio eadem, quam illi non libenter vellent expresse prolatam, in eo contineatur, jam rem esse confectam & difficultatem omnem esse sublatam. Quanquam alias quoque distinctio ista hic absurde adhibetur. Cum enim humanam naturam pro persona non habeant, quomodo potest illa personaliter ad Trinitatem pertinere? Sin hoc sibi volunt, quod humana natura non ad totam divinam essentiam, sed

\* Tom. 3. Ienens. Lat. pag. 562. citante Gerhard d. l. sect. 120.

\* Gerhard. d. l. sect. 121.



tantum ad secundum Trinitatis personam pertineat; tum locutio erit contradictoria, quando dicunt, humanam naturam personaliter pertinere ad totam Trinitatem. Etenim tota essentia divina nihil aliud est, quam tota Trinitas. Si ergo humana natura non pertinet ad totam divinam essentiam, utique etiam ad totam Trinitatem non pertinet. Quomodo igitur dicere possunt, eam ad totam Trinitatem personaliter pertinere? Potius dicere deberent, eam nullo modo, neque personaliter, neque essentialiter ad totam Trinitatem pertinere; sed simpliciter tantum ad secundam personam. Verum hoc pacto supra nominatos Patres suos, pluresque alios ejusdem cum ipsis sententiae, gravissimi erroris accusarent. Quanquam nec ipsi hunc scopolum erroris declinare possent, etsi dicerent, humanam naturam tantum ad secundam Trinitatis personam pertinere. Credunt enim, secundam personam habere eandem illam totam indivisibilem essentiam divinam, quam habet tota Trinitas. Itaque eo ipso pertinet humana natura ad totam essentiam divinam, id est, ad totam Trinitatem, dum pertinet ad secundam Trinitatis personam. Quod si ita se habeat, quod scilicet humana natura & caro Christi etiam ad consortium Trinitatis pertineat, (sive id fiat personaliter, sive essentialiter) & cum secunda persona Trinitatis plane eodem modo, quo tres personae Trinitatis inter se mutuo innexae sunt, illa quoque conjuncta & implicata sit; jam non erunt tantum tres personae Deitatis singulae in singulis, & singulae in omnibus, & omnes in singulis, & omnes in omnibus, sed etiam humana natura, quae jam in consortium Trinitatis venit, erit in singulis personis, & singulae vicissim ac omnes erunt in humana natura. Ex quo sequitur, humanam naturam etiam cum Patre & Spiritu Sancto in unam personam esse conjunctam, atque adeo humanam naturam non minus quam essentiam divinam omnibus tribus personis esse communem. Et sane reperiuntur aliqui ex istis hominibus (ut supra cap. XI innuimus) qui clarè & disertè fateri non erubescunt, totam Trinitatem humanam naturam assumpsisse, seu incarnatam esse. Quo admissio, dici poterit, unum illum Deum summum esse tres personas in una divina essentia, & una humana natura. Imo cum supra sufficienter probatum sit, humanam naturam Christi vere esse personam, firmiter potest ex horum hominum sententia concludi, nunc Deum unum Altissimum esse quatuor personas, tres divinas & unam humanam, in duabus essentis, divina & humana. Atque haec dicta sunt etiam de hoc primario capite doctrinae de Trinitate.

## C A P. XIV.

## De distinctione inter Christi personam &amp; divinam naturam.

**A**D veram Christi cognitionem, ex horum hominum sententia, etiam scitu & observatu necessaria est alia adhuc distinctio, nempe inter personam Christi & divinam naturam seu essentiam Christi. Cum enim statuant, Christum quatenus est Filius Dei, ac porro ipse Deus summus, habere originem à Patre; negare nequeunt, Christum quatenus est Dei Filius, minorem esse Patre ac inferiorem, Patrem autem habere quandam praerogativam praefiliis.

Hinc non pauci inter eos viri docti Patrem καὶ ἱερχαὶ Deum vocant, ajuntque, \* *Patrem esse principaliter Deum: † nomen Dei prius de Patre praedicari, quam de Filio: \* Filium esse secundum à Patre, non solum ordine, sed etiam dignitate, quoniam essendi origo Pater ipse est.* Et ex Patribus antiquis multi expresse Filium, quatenus Deus est, dictitarunt esse Patre minorem: quos allegatos vide apud Maldonatum in Joh. 14. 28. Quia

verò nihilominus homines isti urgent, Filium Dei esse Patri in omnibus aequalem: nam si esset minor vel inferior, non posset esse Deus Altissimus; idcirco nonnulli hanc fabricati sunt distinctionem, ut dicant, Christum suam originem à Patre habere quoad personam, non autem quoad naturam seu essentiam suam divinam.

\* Non pauci quoque ex iis utuntur hac distinctione in Incarnatione Christi, & dicunt, divinam Christi personam, & non divinam naturam assumpsisse humanam naturam. Divinam enim personam esse Christi propriam, naturam autem divinam esse omnibus tribus personis Deitatis communem. Hic sane acres sensus requiruntur, & sublimis admodum intellectus, qui hanc distinctionem bene percipiat, & Christum aliter secundum divinam ejus personam, aliter secundum divinam ejus naturam seu essentiam consideret, si cogitet, quod isti homines diserte affirmant, divinam naturam Christi, secundum quam illam ipsam divinam essentiam cum Patre communem habet, esse Christi personam, seu eum secundum divinam naturam esse secundam personam Trinitatis, id est, aeternum Filium Dei, qui originem suam habet à Patre.

## C A P. XV.

## De Inseparabilitate duarum naturarum in Christo.

**D**Uæ naturae in Christo, horum hominum opinione, sunt prorsus inseparabiles ac indivulsae, ita ut nullo tempore, nulloque loco à se invicem sejunctae ac separatae fuerint, ne in morte quidem. Sentiant enim, tamen in morte Christi vinculum quo anima cum corpore cohaeret, fuerit dissolutum, tamen vinculum personalis unionis duarum naturarum indivulsum ac insolutum mansisse.

Qui hanc sententiam bene perpendit, rursus in multiplices errorum cogitationum anfractus delabatur. Si enim in morte Christi revera vinculum animi & corporis fuit solutum, ut omnes Christiani credunt, & res quoque ipsa testatur; quomodo potuerunt duæ naturae manere indivulsae? Sive enim dicatur, divinam naturam in illa separatione animae à corpore adhæsisse corpori, sive eam adjunctam fuisse animae; tamen dici nequit, eam cum humana natura conjunctam mansisse inseparabiliter: cum non corpus solum, vel anima sola, sit humana Christi natura. Itaque dicendum omnino est, in morte Christi divinam naturam saltem, ab una parte humanae naturae fuisse separatam atque avulsam. Si quis autem dicat, divinam naturam, non obstante separatione animae ac corporis, nihilominus utrique conjunctam mansisse, corpori quidem in sepulchro, animae autem in Paradiso; tum iterum difficile erit concipere, quomodo Christus verè mortuus fuerit. Quomodo enim corpus Christi poterat dici mortuum, vel cadaver, si Deus Altissimus ipse essentialiter ac personaliter cum eo & in eo mansit inseparabiliter conjunctus? Quicquid enim anima in corpore agere & operari potest, ut corpus vitam in se habeat, id multo magis ac perfectius potuit praestare Deus Altissimus, qui in corpore mansit, ita ut si anima nunquam in corpus revertisset, corpus tamen nunquam potuisset corrumpi, sed perpetuo vixisset; anima quoque corporis non indignisset, & summe beata fuisset, etiam si sine eo in aeternum cum Deo altissimo essentialiter conjuncta mansisset. Quapropter planè nihil opus fuisset, ut Christus in diebus carnis suae adeo tristaretur & animo discrucietur ob separationem animae suae à corpore, ut, sicut testatur Auctor Epistolae ad Hebraeos cap. 5. 7: *Preces & supplicationes cum clamore valido & lacrymis obtulerit ei, qui poterat eum servare à morte.* Taceo, quod vere dici nequeat, veram separationem animae à corpore factam esse, si

\* Calvin. lib. 1. Institut. cap. 13. sect. 23. † Zanchius Praef. de tribus Eloh. & lib. 1. cap. 3. de tribus Eloh. \* Chassan. lib. 1. loc. comm. cap. 15. sect. 13. citante Gerhard. tom. 1. de tribus Eloh. cap. 6. sect. 35.

\* Vide Anticrellum Botfacci lib. 1. sect. 2. cap. 2. Beza, Zanchius, Sohnius, Dannæus, Bell. citante Gerhard. tom. 2. loc. 4. sect. 110.

nihilominus anima & corpus mediante persona divina Christi, quæ in eis & apud ea remansit, inter se conjuncta & connexa fuerunt. Neque enim homines isti volunt, divinam Christi personam ita apud animam & apud corpus mansisse, sicut cum funis aut catenæ una extremitas ad unam partem fracti ligni vel lapidis alligata est, altera vero extremitas ad alteram partem: sed contendunt, in conjunctione atque unione naturarum alteram alteri intime innexam esse, & se mutuo penetrare, ac permeare, ita ut tota divina Christi persona tam in anima, & apud animam, quam in corpore & apud corpus, ac vicissim tam anima quam corpus apud totam divinam personam Christi remanserit. Itaque anima non potuit vere à corpore separari, si persona divina nunquam ab humana natura recessit. Atqui fatentur ipsi, in morte Christi veram separationem animæ & corporis esse factam. Ergo etiam concedant ac fateantur necesse est, tunc temporis divinam personam revera ab humana natura fuisse sejunctam ac separatam. Adeo incerta & vana sunt mysteria istorum hominum.

## C A P. XVI.

## De Communicatione naturarum, &amp; naturalium Idiomatum ac operationum.

**D**Ecimum tertium, quod circa hanc sententiam de Trinitate considerandum venit, est Communicatio naturarum, naturalium Idiomatum & Operationum, per quam scilicet utraque natura in Christo altera alteri omnes suas proprietates & operationes communicat.

Non est autem nobis animus, hoc loco omnia recensere, quæ hac de materia à sententiæ istius defensoribus doceri ac disputari solent; ea enim ingens volumen requirerent: sed pauca tantum, quæ ad nostrum propositum conducunt ac necessaria sunt, è magno acervo seligemus. Vocant autem hanc \**Communicationem*, talem operationem, quæ ex unione personali duarum naturarum resultat, qua fit, ut divina natura humanæ, & contra humana natura divinæ seipsam una cum omnibus suis proprietatibus atque operationibus communem faciat, alteraque alteram ita transmeat, & penetret, sicut ignis in ferro caudenti aut liquefacto metallo per omnes ejus poros transit; sine omni tamen divulsione ac permixtione, ita ut quæ alioqui extra hanc unionem hypostaticam naturarum de una tantum natura dici possunt, ea vi hujus unionis queant etiam de altera natura enunciari. Ut exempli causa dicatur: *summus Deus est Homo*; & vice versa: *Homo est Deus summus*.

Hinc fit, ut † quidam ex eis duas Deitates in Christo statuunt, unam communicantem, alteram communicatam Deitatem. Divinam naturam vocant Deitatem communicantem, humanam naturam communicatam. Utque ita doceant, sententia ipsorum postulat; quia credunt, Christum non tantum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam naturam Deum, nempe altissimum, esse: quia alioqui Maria Virgo non posset *θετόκος*, Deipara vocari. Hæc ratione etiam erunt in Christo duæ humanitates, una communicans, & altera communicata: quia perinde dicunt, *Deus est homo*, atque, *Homo est Deus*.

Ita quoque valde familiare est \* Assertoribus hujus sententiæ, propter istam communicationem naturarum, ejusmodi uti loquendi formulis: Deus est natus è Virgine Maria, (aliqui etiam dicere amant, Deitas est nata ex Maria, Deitas passa est & mortua) Maria est Deipara, Deus fuit infans, is qui major mundo universo, jacuit in præsepio, Deus insedit asinum, Deus à Diabolo tentatus fuit, Judæi Deum crucifixerunt, Deus in cruce sitivit, Deus est mortuus ac sepultus; &

quæ sunt aliæ his similes locutiones innumeræ, quas de Christo usurpant. Hinc in hymnis Ecclesiasticis cantare solent: *Deus creator omnium creaturarum assumit nostram naturam, non despicit pauperem faminam, ut fiat homo in ipsius utero*. Et in alio: *Quem totius mundi ambitus non potest capere, is Mariæ jacet in gremio, factus est infans parvulus, qui omnia solus conservat*. Et rursus in alio: *Nunc attendite, quod fuerit quartum verbum; sitio vehementer ac indefinenter, clamat Deus alta voce*. Ibidem: *Qui magnificat Dei dolores, & meminit crebro horum septem verborum, hujus vult etiam Deus esse memor*. Huc spectat & hoc ex alio † Canticum: *Patris verbum, Dei Filius, venit in corpore, & vult agere penitentiam pro Adami patris nostri lapsu, qui nos omnes perfundedit*: (Nota bene: Deus vult agere penitentiam.)

\* Nuper etiam novus quidam Poëta Germanicus edidit Spirituales hymnos, in quibus hæc inter alia leguntur: *O luna pallida, illico reprime splendorem tuum lucidum, & lumen tuum immitte in stabulum, Deus vult lactari. Vos lucida sidera sistite cursum, & audite, quid sibi velit vester conditor, qui debilis nec agitatus cinis, jacet in præsepio*. Huc facit etiam horrendum cujusdam † Doctores Scholastici dictum, qui postquam probasset, Deum etiam lapidem, asinum, damnatum hominem, imo ipsum quoque Diabolum posse in suam personam assumere, addit: *Corollarium, quod sequitur ad hanc conclusionem; Deus est lapis, Deus est Asinus, Deus est homo damnatus, Deus est Diabolus, patet. Quia eadem ratione, qua illa conceditur, Deus est humio, crucifixus, mortuus; & ille sunt concedendæ per communicationem idiomatum*. \* Alii è Scholasticis sentiunt, non esse absurdum, dicere, *Deum esse peccatorem*. Quod cum eo ferme consentit, quod paulo ante ex hymno quodam adduximus: *Deus vult penitentiam agere*. Cujus enim est agere penitentiam nisi peccatoris?

Has inusitatas locutiones illi vocant propositiones personales (quanquam alii aliter eas appellent) quia nimirum tantum ex personali unionem duarum naturarum fluunt, earumque veritas in ista unionem fundatur: alias plane adhiberi non solent. Merito autem inusitatæ dicuntur, quia nusquam in Scriptura sacra iis usos fuisse Apostolos aut Sacros scriptores legere est.

Occasionem ad hanc doctrinam de communicatione naturarum tradendam hanc habuerunt, quia falsa ipsorum opinio, quam conceperunt de natura & essentia Domini Jesu, eis obstitit, quominus multorum locorum Sacræ scripturæ rectum ac genuinum sensum intelligerent. Ut igitur intellectui suo aliqua ratione satisfacerent, & loca illa scripturæ cum præconcepta sua opinione conciliarent, coacti sunt ad hoc commentum confugere. Cum enim Christum pro Deo altissimo habeant, videantque, Christum simpliciter, & absque ulla mentione divinæ naturæ, tum nomen Dei, tum non paucas proprietates divinas attribui, nec non multa divina & supernaturalia opera de eo narrari; censent, id eo fieri, quia divina natura se una cum omnibus proprietatibus suis humanæ naturæ communicavit; nec adeo sapiunt, ut cognoscant atque intelligant, hominem Jesum Christum à Deo Patre suo cœlesti accepisse nomen, quod est supra omne nomen, nomen videlicet Dei una cum omni divina potestate in cœlo ac in terra, propter obedientiam suam usque ad mortem crucis præstitam Phil. 2.8. eumque etiam omnia illa, quæ in vita ejus in hoc mundo, plena sapientiæ, potentiæ ac majestatis divinæ apparuerunt, ex Patris gratia ac munere, non à natura aliqua divina essentialiter in eo habitante cumque eo unita, habuisse. Porro cum in pluribus scripturæ locis talia de Christo simpliciter affirmantur vel negentur, quæ de Deo Altissimo non possunt affirmari vel negari, ut, quod fuerit natus, mortuus ac sepultus; item,

\* Vide Gerhard. tom. 2. loc. 4. cap. 8. sect. 148. † Brentius in relog. pag. 90. 273. Item de divin. Maj. pag. 81. 91. Jac. Andr. in Apol. p. 25. 69. Gerhard. exeg. tom. 1. loc. 4. c. 8. sect. 152.

\* Vide quos citat Gerhard. exeg. tom. 1. loc. 4. sect. 198, 199.

† Liber Canticorum impressus Elbingæ per Wendel. Bodenhansen. 1637. pag. 57. \* Johan. Risten Luneb. 1642. † Gabr. Biel in 3. sent. dist. 1. q. 3. art. 1. \* Teste Suarezio tom. 1. Comm. in Thom. part. 3. disp. 34. sect. 2. fol. 504.

quod nesciverit diem judicii, quod nihil possit facere à seipso, aliaque innuenera; homines autem isti Christum summum atque Altissimum Deum esse credant: existimant id ea de causa fieri, quia humana natura divinæ vicissim sua communicavit idiomatica ac proprietates. Proinde ut suam sententiam semel animo infixam & impressam adversus tam innumera & clara Sacra scripturæ testimonia tueri possent, ad hasce cogitationes devenerunt. Neque sane immerito, si illa sententia de personali unionem & intimam ac mutua inexistencia duarum naturarum debeat habere locum. Nam ex tali absurda unionem naturarum, sequitur etiam necessario tam absurda communicatio mutua illarum naturarum ac proprietatum.

Quia vero Sacra scriptura plurima & varia clarissima testimonia nobis adversus eorum opinionem supeditat, ideo illi non unum, sed varias commenti sunt communicationum istarum modos, prout scilicet defensio præconceptæ eorum opinionis postulat, & nova effugia ad aciem locorum Sacra scripturæ declinandam quærere jubet.

Primum enim fingunt Communicationem naturarum ipsarum, qua natura una alteri per hypostaticam unionem se communicat, & altera alteram permeat ac penetrat. Secundo fingunt Communicationem naturalium idiomaticum, qua natura alteri proprietates suas communicat. Tertio fingunt communicationem personæ, qua divina persona ita se humanæ naturæ communicavit, ut eam in unitatem personæ suæ susceperit. Quæ triplex distinctio nullum alium usum habet, quam quod eo humanus intellectus magis confundatur & præpediatur; etenim secunda & tertia communicatio jam in prima esset comprehensa atque contineretur, si ulla talis communicatio in Christo daretur. Qui enim alteri totam naturam atque essentiam suam communicat, is ipsi simul etiam naturales proprietates & personam suam communicat. Communicationem vero naturalium proprietatum faciunt rursus triplicem. Prima est, qua id quod uni tantum naturæ proprium est, de tota persona Christi, quatenus illa simul Deus & homo est, prædicatur. Altera est, qua divina natura gloriam suam humanæ naturæ communicavit. Tertia, qua operationes ad officium Christi Mediatorium pertinentes utrique naturæ conjunctim attribuuntur. Hæc omnia scire necesse est, & his multo amplius, quæ apud hujus sententiæ doctores magnis voluminibus comprehensa sunt, nos autem ne Lectori Christiano molesti simus, ea studio præterimus; si quis secundum hanc sententiam velit testimonia Sacrarum Literarum, de persona Christi, natura, & operibus agentia, recte intelligere, & in perniciosum salutis errorem aliquem non incidere. An vero ullo modo verisimile est, simplices illos Christianos, quibus Christus & Apostoli doctrinam salvificæ cognitionis ore ac scripto tradiderunt, quique sine dubio doctrinam istam Apostolicam intellexerunt, hæc quoque omnia scivisse? An credibile est, Christum & Apostolos in suis dictis & scriptis hos subtilitates, aliquatenus saltem, tacturos & indicaturos non fuisse, ut simpliciores à tam periculosis & exitalibus erroribus sibi cavere possent, in quos, ex horum hominum mente, facillime qui mysteria ista non bene intelligit, incidere potest? Verum in toto Novo Testamento ne literula quidem reperitur, ex qua vel minima ansa ad hanc rem discendam sumi queat.

Quæ præterea hic ad meliorem hujus sententiæ de communicatione naturarum ac naturalium idiomaticum excussionem dicenda forent, ea partim in scriptis eorum, qui cæteroquin in doctrina de Trinitate cum eis consentiunt, hanc vero de communicatione opinionem repudiant, reperire est, partim ex iis, quæ supra de personali unionem naturarum disputata sunt, intelliguntur. Hic ramus enim ex illo trunco enatus est.

Hoc unum adhuc meminisse juvat, quod \* homi-

nes isti hoc loco valde attendi volunt, ne erretur; nempe, etsi ob communicationem duarum naturarum in Christo dici possit, *Deus est Homo*, & *Homo est Deus*, non posse tamen, nec debere dici, Divina natura est humana natura, vel, humana natura est divina natura. Quæ cautio cum supra memorata absurda distinctione inter personam & divinam naturam Christi coincidit. Cur verò liceat priori modo loqui, & non liceat posteriori modo, quæri non injuste posset. Etenim ex ipsorum sententia Christi divina natura Deus est, & Deus in Christo est divina ejus natura, & homo in Christo nihil aliud est, quam humana ejus natura. Nescio proinde, si fas sit dicere, Deus est homo, cur non æque fas sit dicere, Divina natura est humana.

## C A P. XVII.

## De Ubiquitate &amp; Omnipræsentia Corporis Christi.

**S**I ad doctrinam de hypostatica unionem & Communicationem duarum naturarum, ac idiomaticum earum, accedant insuper duæ aliæ doctrinæ, quarum priorem omnes Trinitatis professores in universum, posteriorem magna pars eorum pro veritate infallibili habent; quod nimirum Deus essentia sua sit ubique in omnibus locis ac angulis vere & facto ipso præsens, & quod Christus non tantum olim in terris, sed hodie quoque in cœlis naturale corpus, sanguinem & carnem habeat: in novum labyrinthum incidere eum, qui hac de re cogitat, necesse est. Exinde enim sequitur, etiam naturale corpus Christi, quod cum divina essentia in unam personam coaluit, iemper & ubique præsens fuisse, & etiamnum esse. Quod etiam tam difficile intellectu est, ut ipsi homines isti inter se propterea irreconciliabile dissidium & capitales inimicitias gerant. Una autem pars eorum tam mordicus hanc sententiam tuetur ac propugnat, ut (quemadmodum eis adversa pars objicit) non vereantur etiam absurdissimas de Christo locutiones usurpare, potius quam hanc sententiam dimittere. Non horrent enim dicere, \* *Christum dum in cruce pependit, corpore suo fuisse simul Romæ, Athenis, in India, & ubique præsentem: Christi carnem esse in omnibus panibus, pomis, pyris, Candelis, quin & in inferno, & in ipso Diabolo.* † Lutherus ait de Christo: *Omnia ubique & in universum plena sunt Christi, etiam secundum humanitatem.* Hoc verò si verum est, necesse est, (ut è pluribus absurdis unum tantum attingam) etiam hoc verum esse, quod Christus cum jam è Maria matre sua natus esset, adhuc tamen in utero ejus fuisset. Qui autem adhuc est in matris suæ utero, de eo dici nequit, eum in mundum natum esse. Ita Christus natus est è sua matre, & tamen etiam non est natus, neque etiam in æternum ex ea nascetur: quia is juxta hanc sententiam, etiam nunc in pulvere ac cinere demortuæ matris suæ anima ac corpore suo præsens est. Tam sublime ac impenetrabile mysterium est hypostatica unio ac communicatio duarum naturarum in Christo. Et qui hoc non credit, sed cum Sacra scriptura dicit, Christum nunc esse in cœlo, is nihil aliud facit, quam si Christum (tam pulchros locutionum flosculos alii aliis objectant) \* *quasi murem in decipula, vel quasi canem catenarium in stabulo includeret.*

## C A P. XVIII.

## De Humiliatione &amp; Exinanitione Dei Altissimi.

**E**X hypostatica unionem & communicationem naturarum duarum in Christo, fuit adhuc ingens, & rationi neutiquam perceptibile mysterium, quod ad intelligendam horum hominum doctrinam de persona Christi, scitu omnino est necessarium: Humiliatio

\* Vide Breviar. Ubiqu. pag. 113. & seqq.

† Tom. 3. Jener.

fol. 458.

\* Vide Breviar. Ubiqu. pag. 125.

\* Vide Gerhard. tom. 2. loc. 4. sect. 153, 155.



scilicet & Exinanitio Dei. Duplicem autem faciunt Humiliationem Dei: prima fuit, cum Deus Altissimus, (nimirum secunda persona Trinitatis), misericordia ac compassione motus erga genus humanum ita se demisit, ut divinæ majestatis suæ throno relicto in coelis, in terram descenderet, humanamque naturam in se susciperet. Hanc vocant *Humiliationem Incarnationis*. Alteram vocant proprie Exinanitionem, cum scilicet Deus Altissimus, postquam assumpsisset carnem, se in ea non semper tanquam Deum demonstravit, neque divinitate sua usus est, sed majestate sua divina & gloria ad tempus deposita, inter homines servi instar versatus est, famem & sitim perpeffus est, non habuit ubi caput suum reclinaret, vili asello inequitavit, passus est se irrideri, conspui, lapidari, colaphizari, flagellari, & tandem morte affici ac sepeliri. Quod enim Deus vere passus sit ac mortuus, id pleno ore & clara voce enunciant. Imo Lutherani, qui hac in parte aliisque pluribus ad hanc doctrinam pertinentibus, multo crassiores Calvini sectatoribus sunt, aperte dicunt, hanc propositionem, *Deus passus est*, esse proprie intelligendam, prout verba sonant, & condemnant idcirco Calvinistas, qui credunt, Christum tantum secundum humanam naturam passum esse. Hinc ait Gerhardus: \* *Quæcunque de Christo prædicantur, de persona sunt accipienda; alias si humana tantum de homine, divina tantum de Deo prædicarentur, duæ personæ introducerentur. Christus in medio passionis actu se Filium Dei esse publice professus est, ne quis dubitaret, ipsum Dei Filium esse passum. Omnia opera, omnes passionēs, non tribuuntur naturis, sed personæ. Quam vere & realiter Deus est homo, tam vere de Deo prædicatur, quicquid est humanum.*

Jam ista Humiliatio Dei Altissimi est revera multo major, adeoque minus cadit in intelligentiam, quam si Cæsar, aut alius Monarcha, Cæsarea Majestate sua deposita, laceris indutus vestibibus se immisceret turbæ mendicorum aut carbonariorum, cubaret in stramine, panem ederet furfuraceum, cænoscā aquam biberet, omnesque illas contumelias, ac ludibria, quibus illi Deum summum affectum esse credunt, pateretur. Imo sunt, qui Deum in statu humilitatis suæ adeo se exinanisse dicunt, ut etiam se omniscientia sua exuerit, & non omnia in terris sciverit, nempe inter alia diem judicii extremi. Matth. 24. 34. Vide Lutheri Postillam, in explicatione Epistolæ die Natalitiorum: & Gerhardum tom. 2. loc. 4. sect. 279, 318.

Quomodo vero fieri queat, ut supremus ille & immutabilis Deus cælum relinquit, in terram descendat, & impiis hominibus se ita ludificandum & probris afficiendum, sicut Filio Dei factum esse legimus, exhibeat: quomodo Deus omniscius ita potuerit sua se exinanire omniscientia, ut aliquando nesciverit aliquid, cum ne homini quidem ulli possibile sit, id quod revera scit, pro suo arbitratu ita ex animo ac memoria sua delere, ut id plane nesciat amplius: quomodo de vivo & immortalī Deo absque horrore dici possit, eum mortalem assumpsisse naturam, & revera occisum sepultumque fuisse: quomodo Deus Altissimus pro sua obedientia compensationem ab alio accipere potuerit; & quomodo id totum, etsi per naturam rei ulla ratione fieri posset, consentaneum sit summæ divinæ sapientiæ, ut id ipsum tanta cum contumelia divinæ majestatis suæ quæreretur ac studeretur obrinere, quod longe commodius & aptius per obedientiam & humiliationem veri Filii Dei, hominis scilicet Jesu Christi, assequi poterat: hic per nos licet se fatigent & elaborent sententiæ hujus Doctores, ut hæc talia iis persuadeant & probent solide, qui in rebus tantis non nudis verbis vel auctoritate hominum niti volunt, sed ad lydiū veritatis lapidem, quem nobis Deus in Verbo suo, & in lumine sanæ rationis humanæ monstravit, omnia diligenter in religionē examinant. De Cæsare aliquo vel simili Monarcha, qui se ita demitteret, ut se ab iis contemni, verberari atque occidi pateretur, in quorum corpora

ac vitam habet supremum jus in terris atque potestatem, dici sane posset, eum Cæsaream majestatem exuisse, neque tunc Cæsarem esse, quando non est amplius in statu Cæsaris, sed in statu vilissimi mancipii. Cæterum nulla humana persona, quantacunque sit, imo ne Angelus quidem ullus posse, se ad eum modum humiliare, uti se humiliasset Deus Altissimus, si vera esset istorum hominum sententia. Quapropter de Deo multo magis & justius dicendum esset, eum si se sic humiliasset, non fuisse tunc Deum amplius, id est, summum cœli ac terræ Dominum atque Rectorem. Quod horrendum & abominandum est etiam cogitatu, quanto magis dictu & assertu, præsertim ita, ut id tanquam divinum & ad salutem necessarium mysterium aliis obtrudatur. Et tamen hoc absurdum secum trahit ista sententia. In eo enim collocant proprie humiliationem Dei (seu Filii Dei, vel secundæ personæ Trinitatis) quod in forma servi Patri suo usque ad mortem crucis fuerit obediens. Jam vero Filius iste Dei propter hanc suam obedientiam est supra modum exaltatus, donatumque est ei nomen, quod est supra omne nomen, nempe nomen Dei. Itaque sequitur, Filium Dei (id est, juxta istorum hominum sententiam, Deus Altissimus) tempore suæ servilis conditionis nomen tale, quod est nomen Dei Altissimi, reipsa non habuisse, adeoque Deum summum non fuisse.

Etsi vero hæc Humiliatio Dei nulla ratione ab intellectu aliter, quam absurdissima, concipi queat; tamen multo etiam magis intellectu & creditu est difficile, Deum Altissimum se humiliasse servumque factum esse, & tamen Deum Altissimum se non humiliasse, & servum factum non esse. Sentiunt enim, solum Filium, quem pro Deo Altissimo habent, se humiliasse, Patrem autem & Spiritum sanctum, quos itidem pro Deo Altissimo reputant, se non humiliasse; quod ex eorum Cantico, quod supra allegavimus, patet, ubi dicitur Patrem dixisse Filio, ut quoniam adsit tempus miserationis, descendat in terras, fiatque salus hominum egentium, & illum Patri obediētem venisse in terras, ac de Virgine pura ac tenera fratrem nostrum esse factum. Id vero qui capi, intelligi ac credi possit, omnes eos, quorum mentes præconcepta opinione fascinatæ non sunt, judicare velim.

## CAP. XIX.

## De resurrectione Dei Altissimi à mortuis.

Quia homines isti docent, Deum Altissimum verè mortuum ac sepultum fuisse, Scripturaque testatur, Christum (quem illi Deum Altissimum esse statuunt) rursus è mortuis esse suscitatum; coguntur hoc quoque dicere, Deum Altissimum à mortuis resurrexisse: uti sane expresse docent, Christum propriâ virtute ac potentia à mortuis resurrexisse, vel seipsum excitasse. Quod certè nemo facere potest, qui Deus summus non sit. Hic verò nova simplicibus crux figitur. Si enim Christus, ut pote Deus Altissimus, propria vi resurrexit à mortuis, aut seipsum suscitavit, Scriptura autem testatur in plurimis locis, eum ab alio, nempe à Deo Patre esse suscitatum, (vide inter alia Act. 2. 24. & III. 15, 26. & IV. 10. & XIII. 30, 32, 37. & XVII. 31. Rom. 4. 24. VIII. 11. & X. 10. I Cor. 6. 14. & XV. 15. 2 Cor. 4. 14. Gal. 1. 1. Eph. 1. 20. Col. 2. 12. I Pet. 1. 21.) dicendum erit ex istorum hominum sententia, Deum Altissimū resuscitasse Deum Altissimum à mortuis, & Deum Altissimum propria virtute resurrexisse, id est, eum ab alio non esse resuscitatum. Quod profecto nimis absurdum est. Etsi vero illi hanc suam sententiam ita declarent, ut dicant, totam Trinitatem Christum suscitasse è mortuis, & respectu primæ ac tertiæ personæ dici, Deum, interdum vero etiam Patrem suscitasse Christum, respectu autem secundæ personæ, quæ Christus ipse est, dici, Christum à mortuis resurrexisse; res tamen hoc effugio non fit clarior.

Nihilomi-

\* Vide Gerhard. exeg. tom. I. loc. Theol. loc. 4. sect. 195.

Nihilominus enim sequetur, Christum, uti secundam personam Trinitatis, propria virtute resurrexisse, & tamen etiam ab aliis duabus personis excitatum esse. Quod utique contradictionem apertam continet. Qui enim propria vi resurrexit, de eo dici non potest, eum ab alio esse resuscitatum: & contra, qui ab alio resuscitatus est, de eo dici nequit, eum propria virtute resurrexisse; imo exinde colligitur, Christum non potuisse propria virtute resurgere. Neque enim dici potest, Christum cæterarum duarum personarum, Patris nimirum ac Spiritus Sancti ope aut cooperatione non indiguissse (præsertim cum scriptura Sacra testetur, Heb. 5.7. *Christum preces ac supplicationes cum clamore valido & lacrymis obtulisse ei, qui ipsum servare poterat à morte*) quia perquam absurdum foret dicere, Deum aliquid frustra fecisse ac sine necessitate, suamque supereminentem magnitudinem virtutis impendere voluisse ibi ubi non erat opus: quam supereminentem virtutis magnitudinem Deum in resuscitando Christo exercuisse testatur Paulus Apostolus Ephesios cap. 1. vers. 19. Quodsi vero Christus solus & absque reliquarum duarum personarum ope atque operatione à mortuis resurgere, non potuit etsi forte etiam ipse cooperatus sit nonnihil, dici certe de eo non potest, quod sit Deus Altissimus. Persona enim, quæ Deus Altissimus est, sufficeret per se, ut propriis viribus, absque ullarum aliarum personarum concursu à mortuis resurgeret, si modo possibile esset, ut Deus Altissimus mori, & mortuus iterum resurgere posset.

## C A P. XX.

## De Dei Altissimi Ascensione in cælum &amp; Exaltatione.

DE Deo illo, qui se ita, ut modo dictum est, humiliavit ac exinanivit, ex istorum hominum sententia credendum est, eum hoc præmium pro ista humiliatione consecutum, ut rursus à Deo Altissimo (Filius scilicet à Patre) exaltaretur, gloriaque & honore coronaretur, dum nimirum quadragesimo die à sua resurrectione in monte Olivarum visibili ratione in cælum sublevis & ad dexteram Dei in cælis collocatus est. Hæc in cælum Ascensio & exaltatio Dei Altissimi non est etiam intellectu scrutanda: alioqui intellectus seipsum perdet; nec inveniet; fietque ut intelligendo nihil intelligat. Cum enim Deus Altissimus, ut homines isti docent, vere de cælo descenderit, & in statu humiliationis aliquandiu in terris versatus fuerit, sequitur etiam credendum esse, quod ille idem Deus Altissimus vere iterum in cælum ascenderit, è quo antea descenderat. Sed quia Deus ille Altissimus, qui fuit in terris, est is ipse, qui semper remansit in cælis; mens illico tenebris involvitur, quando cogitat & reputat, quomodo Deus Altissimus vere in cælum ascenderit. Ipsi hujus dogmatis Doctoribus tam difficile est, ut huic doctrinæ suæ propriæ bona fide credant, adeoque oculis eorum semper obversatur unitas essentiæ divinæ, ut eorum quidam dicere soleant: \* *Christus ne latum quidem digitum, pilum ac festucam versus cælum profectus est, ut veniret ad Patrem. Ascendere in cælum nihil aliud est, quam disparere, quam divinam gloriam, majestatem atque imperium adipisci. Ascendere in cælum, & sedere ad dextram Dei, unum & idem est. Ascensio in cælum in monte Oliveti non est vera ascensio, quam in Symbolo confitemur, sed tantum species quædam fuit, & apparitionum ejus clausula. Quis homini indocto & idiotæ velit vitio vertere, si ex hoc labyrintho se expedire nequeat, ex quo ne Doctores quidem hujus mysterii se extricare possunt? Certe qui cognitionem simplicissimam cum Sa-*

cris Literis conformem amat, is simpliciter credet, eum qui in cælum profectus est, & propter suam obedientiam ad dexteram Dei exaltatus est, nullum alium esse, quam hominem Jesum Christum, qui à Deo virtute Spiritus sancti conceptus, & ex Virgine Maria natus est.

## C A P. XXI.

## De Adventu Dei Altissimi ad ultimum Judicium.

Quod in Articulo de Ascensione in cælum Dei Altissimi observandum diximus, idem etiam eodem modo circa Adventum ejus ad universale Judicium considerandum est; nimirum quod Deus ille Altissimus in natura sua humana, à se assumpta, & secum intime ac inseparabiliter unita, venit de cælo ad judicandum vivos ac mortuos, & nihilominus tamen etiam in cælis remanebit; vel, quod neque de cælo veniet, neque in cælo manebit, quia jam antea in cælo & in terra essentialiter ac personaliter præsens est. Jesum Christum verè de cælo venturum esse, testantur illi duo viri, qui cum Christus eveheretur in cælum, assistiterunt Apostolis, & dixerunt: *Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Act. 1. 11. Jam verò ex hominum istorum opinione, hic Jesus est ille ipse Deus Altissimus, qui semper in cælis mansit, quique etiam ubique essentia sua præsens est. Itaque hic Jesus, qui jam antè ubique locorum est, manebit in cælo, & tamen etiam ex cælo veniet. Qui labyrinthus est ille idem, in quem nos Descensus Altissimi Dei de cælo in uterum Mariæ Virginis, induxit.

Et hæc hæctenus de cognitione Filii Dei ex sententia eorum, qui tres personas in una divina essentia statuunt. Sequitur, ut nonnihil adhuc dicamus de Spiritu Sancto, qui ab istis hominibus creditur esse tertiæ persona Trinitatis.

## C A P. XXII.

## De tertia persona Trinitatis, nempe Spiritu Sancto.

Sicut Filius secundum horum hominum doctrinam essentiam suam non habet à se ipso, sed ab alio eam ab æterno accepit; ita etiam Spiritus Sanctus. Tantum cavendum est, ne modi originis utriusque, & Filii & Spiritus Sancti confundantur, sed probè discernantur. Primum enim contendunt, Filium essentiam suam à solo Patre, non etiam à Spiritu Sancto habere, etsi Spiritus Sanctus sit unius ejusdemque essentiæ cum Patre: Spiritum Sanctum autem habere suam essentiam à Patre & Filio, vel, ut Græca Ecclesia docet, à Patre per Filium.

Deinde docent, Filium essentiam à Patre accepisse per *Generationem*, Spiritum sanctum autem per *processionem*, seu *emanationem*. Hinc Athanasianum Symbolum ita habet: *Filius est, à Patre neque factus, neque creatus, sed genitus. Spiritus sanctus est à Patre & Filio neque factus, neque creatus, neque genitus, sed procedens.*

Qui jam hoc quoque mysterium intelligere gestiet, mentemque suam intendet, ubique rursus impinget. Statim enim apud hominem sana mente præditum oritur dubium, si Spiritus sanctus æque ac Pater persona sit, cur tantum Filii ex essentia Patris productio debeat generatio vocari, & non etiam productio Spiritus sancti? Cur non liceat quoque dicere, Spiritum sanctum esse ex essentia Patris & Filii ab omni æternitate generatum? Nam si Spiritus sanctus tantum pro virtute divina haberetur, causa manifesta foret, cur ejus origo non vocetur generatio, quia virtus seu efficacia proprie non generatur; sed emanat tantum ab ea re, cujus virtus est. At de persona, quæ suam essen-

\* Vide allegata in breviat. ubiq. art. 14. & in tract. de ubiq. Glaub. de Ascensione.

tiam ab alterius personæ essentia accipit, dici omnino potest, & debet, illam ab hac generatam esse. Verum illi hanc reddunt rationem, cur Spiritus sancti ortas non debeat generatio dici, sed potius processio; quia Sacra scriptura de generatione Spiritus sancti nullam faciat mentionem, neque sic loquatur, quod natus, vel generatus sit, sed dicat, solum eum à Patre procedere Joh. 15. 26. Sed ut nunc nihil de eo dicam, hoc ipsum esse sufficiens indicium, quod Spiritus sanctus non sit ulla talis persona Deitatis, qualem illi sibi imaginantur, quia Sacra scriptura ejus originem nusquam ita describit, uti illa omnino describenda esset, si is persona ejusmodi, quæ ex essentia Dei producta sit, foret: hoc solum urgebo, quod, si tanta est apud istos homines hac in re Sacra scripturæ auctoritas & reverentia, ut nolint Spiritus sancti originem aliis, quam expressis scripturæ verbis exprimi atque enunciari; non debeant ipsi aliis vitio vertere, quando totam hanc fabricam excogitati mysterii de uno Deo tribus personis constante, una cum omnibus hætenus enumeratis columnis ac tibicinibus, quibus eam statuminare fatagunt, funditus evertunt, ob eandem prorsus rationem, quod de ista ipsorum doctrina atque mysterio altissimum sit in Sacris Literis silentium, quodque Sacra scriptura cognitionem unius illius summi Dei, ut & Domini nostri Jesu Christi, ac Spiritus sancti, longe aliis aptioribus sanioribus & rationi convenientioribus verbis ac locutionibus exprimat, quam hætenus homines isti fecerunt. Adde, quod soleant etiam ipsi generationem Filii Dei aliquando *egressum*, *processionem* ac *emanationem* vocare. Diserte enim \* ajunt, in Deo esse duas *processiones* seu *emanationes*, quarum una, per quam Filius Dei essentiam suam accepit, generatio vocatur; altera autem, per quam Spiritus sanctus productus est, cum ignoretur verus productionis istius modus, retinet nomen generale *processionis* vel *emanationis*. Quanquam eam etiam quidam *spiritationem* appellant. Si igitur generationem Filii ex essentia Dei *processionem* vocant, etsi nullum ejus appellationis exemplum in Sacra scriptura afferre possint: (nam quod Christus apud Johannem inquit, se exivisse à Patre Joh. 8. 42. xvi. 27, 28, 30. xvii. 8. id de ejusmodi exitu vel egressione intelligendum est, per quam tanquam legatus Patris in mundum venit: ) nulla sane causa est, cur vicissim productio Spiritus sancti non debeat generatio appellari, etsi eam scriptura ita non appellet; siquidem statuunt, Spiritum sanctum perinde essentiam suam à Patre ac Filio accepisse, sicut Filius eam accepit à Patre, nec ullo argumento probare possunt, processionem Spiritus sancti aliter factam esse, quam generationem Filii. Quod si vero Spiritus sancti productio sit etiam generatio, sequetur, Spiritum sanctum quoque Filium Dei esse, & quidem ejusmodi Filium, qui duos Patres & unum Avum habeat, quia à Patre & Filio procedit. Imo est simul Patris Filius, & etiam nepos, seu Filii Filius. Quæ omnia rationi absurda & incomprehensibilia sunt, quæ iis, qui sunt emunctioris naris & sagacioris ingenii, tanto majorem dubitandi ansam præbent, an hæc doctrina sit veritati consentanea; cum scriptura de hisce mysteriis prorsus sileat.

Denique cum Sacra pagina clarissime testetur, Deum Patrem Filium suum Jesum per Spiritum sanctum in utero Mariæ Virginis produxisse, si Spiritus sanctus sit persona supremæ Deitatis, ut homines isti sentiunt, sequetur, Spiritum sanctum etiam esse Patrem Domini nostri Jesu Christi, imo magis proprie eum esse patrem ejus quam Deum Patrem, quia fuit media causa, ac proinde proxima causa hujus productionis ac generationis. Quando enim aliquis filium generat per aliam personam, certe hæc persona magis est geniti filii pater, quam altera, quæ hanc ad illum generandum adhibuit. Atqui notum est, non Deum Patrem ipsum, sed Spiritum sanctum supervenisse in Mariam Virginem, eam obumbrasse, & per obumbrationem istam Filium Dei in ea produxisse. Proinde

\* Vide Becan. Summ. Theol. schol. tract. 2. pag. 71. & seqq.

Spiritus sanctus, si persona est à Patre realiter distincta, potius pro patre Domini nostri Jesu Christi habendus est, quam Deus Pater. Sed quia id in Sacris Literis inauditum est, quod Spiritus sanctus sit Christi Pater, exinde manifestum est, Spiritum sanctum absurdissime pro persona supremæ Deitatis haberi.

## C A P. XXIII.

### Conclusio.

**I**Ta exposuimus Christiano Lectori genuinam declarationem duarum diversarum sententiarum de natura atque essentia Dei unius Altissimi, quæ de re hodie summa contentione digladiatur Christianus Orbis. Speramus ex his omnes sensatos & veritatis amantes facile judicium laturos, utra harum sententiarum veritati, quam Deus in sanctissimo verbo suo revelare dignatus est, sit propior ac congruentior.

Quod enim primam sententiam de uno Deo Patre attinet, illa non aliis quam Sacra scripturæ verbis ac phrasibus proposita est: prout etiam par & æquum est, ut doctrina tanti momenti, in cujus cognitione humanus intellectus, absque divina revelatione, à solo naturali lumine parum habet adjumenti, divinis verbis proponatur ac declaretur. Quæ ad eam declarandam allegatæ sunt scripturæ, illæ non torquentur duris, inusitatis, ac longe petitis, multo minus rationi sanæ repugnantibus interpretationibus, nec loca scripturæ per capillos, ut dici solet, trahuntur. Neque etiam hæc sententia per consequentias & collectiones è Sacris Literis eruitur; etsi legitimis & rationi consentaneis consequentiis ac illationibus uti ad aliquam sententiam probandam ac confirmandam illicitum non sit: sed est clavis, expressis ac irrefragabilibus Sacra scripturæ verbis exposita, quæ significatione simplicissima ac notissima, unicuique etiam simplicissimo obvia accipiuntur; quemadmodum etiam credibile est, Deum cognitionem suam omnibus hominibus absque discrimine pro universali via ac medio salutis, ideoque quam simplicissime & quam evidentissime proponere voluisse. Hæc sententia ita est in verbo Dei fundata, ut ad eam declarandam & recte intelligendam, præter aperta scripturæ Sacra testimonia, nullis aliis opus sit tibicinibus ac fulcris, nullis recens inventis distinctionibus; nullæ peregrinæ voces, nullæ inusitatæ ac inauditæ figuræ, vel tropi, nullæ ignotæ phrasæ locutionesque requirantur. In ea intellectus rudiorum ac idiotarum non oneratur ullis rebus talibus, quæ captum eorum ac intelligentiam superent, vel quæ absque laboriosa fatigatione ingenii non possint assequi; sed omnia sunt plana, simplicia, & hominibus sanæ mentis intellectu facilia. Hæc sententia non tantum habet pro se clara & omni exceptione majora Sacra scripturæ testimonia, sed etiam cum illa veritate apprime consentit, quam Deus humano intellectui, quem condidit, inscripsit, quæque nullo modo cum ea veritate, quam in verbo suo Deus revelavit, pugnat. Nihil est in hac sententia, quod humanæ rationi absurdum, vel impossibile videri merito possit. Idcirco opus non est, ut ii qui hanc sententiam exigere ad obrussam rationalis veritatis volunt, vel etiam testimonia Sacra scripturæ, utrum recto & non perverso ac impossibili sensu allegentur, examinare instituunt, ab eo proposito voce *Mysterii* absterreantur; ac moneantur, ut nobilissimam partem animæ suæ, cui Deus suam imaginem impressit, sanam nimirum rationem suam seponant, exuant, vel captivent, & divina mysteria cæca, irrationali ac bruta fide apprehendant.

Contra verò si altera sententia de Triuno Deo spectetur, quæ est particula ejus minima, quæ clavis, expressis, & perspicuis Sacrarum Literarum verbis demonstrari possit? Ubi reperies in toto Sacro Codice, Trinitatem, Triunitatem, unitatem in essentia, Trinitatem in personis, Dei trinam subsistentiam, *ἑπὶ τρισὶν*, seu circumincessionem ac mutuam & ræmen imper-



mixtam inexistentiam trium distinctarum personarum, æternam generationem Filii Dei, Incarnationem Dei, hypostaticam unionem Dei cum humana natura, mutuam Communicationem naturalium idiomatum ac proprietatum divinæ & humanæ naturæ, humiliationem & exinanitionem Dei, aliaque plura nova vocabula & locutiones, quæ in Scholis ad hanc sententiam propugnandam procusæ atque excogitatæ sunt? Ubi Spiritus sanctus in Sacris Literis vocatur expressè Deus, Creator coeli & terræ, vel Pater? Quod fundamentum in scriptura sacra habent monstrosæ illæ distinctiones inter Essentiam Dei & Personam, inter Dei Essentiam & subsistentiam, inter Deum personalem & essentialem, inter essentialem & personalem Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, inter divinam personam & divinam naturam in Christo, inter humanam personam & naturam, aliæque distinctiones innumeræ, quarum ingens copia è Scholasticorum cerebro enata est? Ubi in Sacro textu absurdæ illæ & prorsus portentosæ *propositiones personales* leguntur: Deus (intellige Altissimus) est homo, homo est Deus, Deus est natus, Deus fuit infans, Deus sitim passus est, Deus egit poenitentiam, Deus fuit servus, Deus est mortuus ac sepultus; aliæque infinitæ? Ubi Christus & sancti Apostoli usquam talibus plusquam Ethnicis loquendi modis usi sunt, quæ cerebrum pene excutiunt sano homini, & sine aurium dolore audiri non possunt? Præterea sententia ista de Triuno Deo non tantum cum antiquissimo Christianæ fidei Symbolo, quod Apostolis adscribitur, & una cum Sacra scriptura pro formula ac regula universali Fidei Christianorum haberi potest, nihil prorsus habet commune; verum etiam manifestæ veritati naturali, cujus fundamentum à Deo in humana ratione est positum, adéo est contraria, ut jure dici queat, nunquam quicquam in ulla religione prolutum & confidum esse, quod humanum intellectum ita per tortuosos inextricabiles difficultatum mæandros circumducatur, omniaque prorsus adminicula, ad aliquam vel minimam particulam secundum rectam & claram cognitionem intelligendum, ei adimat, atque facit hæc doctrina de Deo Uno & Trino. Quod enim de uno hujus doctrinæ capite dicitur & affirmatur, id non solum in aliis, sed in illo ipso capite, quin & iisdem verbis rursus negatur atque evertitur: ita scilicet omnia sunt inter se inexplicabilibus contradictionum nodis implicata, ut etiam si quis omnes suos sensus convocet, & ad hæc intelligenda omnes ingenii vires adhibeat, nihil proficiat, nihiloque sapientior aut intelligentior inde discedat, quam accesserat; indoctus certe & idiota, qui veræ cognitionis Dei studio tenetur, atque hinc aliquid discere sperat, citius in suo ardore, studio, ac desiderio refrigescet, imo sensus & rationem omnem amittet, quam ut voti ac desiderii sui compos reddatur. Atque hinc fit, ut etiam inter ipsos hujus doctrinæ assertores ac disseminatores de omnibus capitibus non conveniat, inprimis de hypostatica seu personali unionem duarum naturarum & de Communicatione idiomatum; \* qua de re adversis castris inter se dissident, & nunquam finiendæ controversiæ ferram reciprocant, ita ut alii alios non modo tanquam hæreticos omnium deterrimos ac teterrimos, & tanquam Turcas ac Judæos execrentur damnantque, sed etiam velut juratos hostes summo odio habeant & omni persecutionum genere infestent. Quomodo enim illi possunt aliquando ad concordem venire veritatem, quando fundamentum, cui utraque pars suas inædificat opiniones, falsum est, & omni rationi ac scripturæ contrarium?

Non memorabo nunc, quod hæc doctrina latam aperiat fenestram ad plurimos perniciosos & salutari cognitioni Dei & Domini Jesu noxios errores: dum unigenitum Dei Filium, qui virtute Spiritus Sancti in utero Virginis Mariæ conceptus est, de throno divæ majestatis ejus, in quo propter suam omnibus

numeris absolutam obedientiam à Deo collocatus est, deturbat, imo eum non pro humana persona, sed tantum pro quodam additamento sive adjuncto personæ habet, & quidem talis personæ, quæ nunquam fuit in rerum natura, tantum abest, ut eum pro servatore humani generis, & pro Deo benedicto in secula agnoscat: dum omnia ea, quæ Deus per hunc suum Filium summo humani generis bono præstitit, inutilia ac infructuosa reddit, spemque nostram unicam, quam in Deo & Domino Jesu habemus repositam, irritam ac inefficacem efficit: dum illis qui adhuc à religione Christiana alieni sunt, ad eam recipiendam obstaculo est, & scandalo, imo ansam eis præbet, ut veram Christi doctrinam ac religionem detestentur, atque irrideant. Hæc enim cuncta alibi ab aliis solidè sunt demonstrata. Hoc tantum in medium nunc afferre juvat, quod hæc sententia in præcipua religionis parte, nempe in precatatione ad Deum summo homini sit impedimento, & homines ineruditos (ne de eruditis jam quicquam dicam) facillime queat in dubitationem adducere, de eo, an recte Deum orent, & porro an preces eorum sunt exaudiendæ. Cum enim hujus sententiæ de Trinitate Assertores varias orandi Deum formulas idiotis præscripserint, quarum aliquæ ad totam Trinitatem, aliquæ in specie ad Patrem, & ad Filium, & ad Spiritum sanctum directæ sunt; in nulla earum potest homo simplex ita Deum mente concipere, ut non in aliquem ex iis erroribus, quos sententia hæc damnat, incidat. Quomodo enim possibile est, ut idiora sibi unum Deum inter tres personas distinctas imaginari queat, quin simul tres distinctas essentias concipiat? præsertim quando ipsi perabsurdæ imagines versantur ob oculos, quæ apud plurimos horum hominum, etiam apud eos, qui se Evangelicos jactant, ferme in omnibus templis, nec non in domibus, in parietibus, & libris reperiuntur; quibus nimirum Trinitas ita depingitur, ut Pater barbam canam ac promissam gerens, veste splendida ornatus, & caput aurea corona redimitus, ad sinistram, Christus autem seminudus ad dextram sedeat, & Spiritus sanctus super utrumque in specie ac figura columbæ scilicet. Ipsimet aperte fatentur, mysterium istud de tribus personis in una essentia rationi esse contrarium; quomodo igitur fieri potest, ut homo è vulgo id possit animo suo comprehendere, quod ratio ejus tanquam absurdum ac impossibile non potest non rejicere? Atque inprimis impossibile est, ut quisquam possit ita personas illas cogitando sibi repræsentare, quomodo mutuo ac invicem inter se, singulæ in singulis, & omnes in singulis, & singulæ in omnibus, & omnes in omnibus innexæ ac implicatæ sint. Qui autem tres personas distinctas & separatas sibi imaginatur, adeoque tres distinctas essentias animo suo concipit, is sibi fingit tres Deos, & adorat tres Deos, & sic juxta hanc doctrinam, precatio ejus magis ipsi in perniciem ac condemnationem, quam in salutem vertitur. Ex adverso, si quis sibi unam essentiam Dei firmiter imaginatur, excident ex animo ac cogitatione ejus tres personæ, & considerabit Deum vel tanquam unam tantum personam, vel tanquam essentiam, quæ persona non est, proinde nec Deus. Quod Doctores isti non minus pro pernicioso ac damnabili errore agnoscunt. Quod si quis ad unam tantum personam Deitatis in specie suam dirigat orationem, exempli gratia ad Patrem, fieri etiam ægrè potest, ut personam illam ita consideret, quomodo illa essentiam suam cum aliis personis, ad quas precatationem non dirigit, communem habet. Si enim consideret in sua precatatione essentiam divinam, quatenus communis est, jam non unam personam invocabit, (quod eum hic facere velle supponimus) sed omnes tres. Sed si invocet unam tantum personam, certe vel peculiarem ac distinctam essentiam, adeoque distinctum Deum concipiet, vel personam illam considerabit tantum tanquam partem divinæ essentiæ, atque sic non perfectum & divisum Deum invocabit. Quæ rursus Doctoribus istis periculosi ac noxii erro-

\* Vide inter alia Admonit. Nestadianam, & D. Hoc 99. Articulus.

res sunt. Quamobrem hæc doctrina non solum impedit devotionem ac pietatis ardorem in hominibus simplicibus, imo in omnibus, qui rationali cultu Deo fervire volunt, & non labiis solum, sed & corde ad eum appropinquare, adeoque Spiritum suum, non vocem tantum & verborum sonum ad eum elevare student; sed etiam mentem eorum ac cogitationes ita confundit, ut quemadmodum nesciunt, nec intel-

ligunt, ad quem Deum suspiria sua mittant, sit etiam de indubitata exauditione certi ac securi esse nequeant.

Deus Pater omnis misericordiæ misereatur omnium, proborum hominum, qui adhuc hærent in tenebris ignorantiae, oculosque eorum illuminet splendore sanctissimæ veritatis atque cognitionis suæ, ad suam & dilectissimi Filii sui gloriam & ipsorum salutem. AMEN.

## INDEX CAPITUM.

CAP. 1. Declaratio sententiæ eorum, qui statuunt, Deum summum tantum unam personam esse, nempe Patrem.	17	CAP. 12. De duabus naturis in Christo.	30
CAP. 2. Declaratio sententiæ de Trinitate.	19	CAP. 13. De hypostatica seu personali unionem duarum naturarum in Christo.	31
CAP. 3. Fusior Declaratio sententiæ de Trinitate, & examen præcipuorum capitum, quæ ad verum intellectum ac declarationem ejus spectant.	20	CAP. 14. De distinctione inter Christi personam & divinam naturam.	33
CAP. 4. De distinctione inter Essentiam & Personas divinas.	21	CAP. 15. De Inseparabilitate duarum naturarum in Christo.	33
CAP. 5. De Dei trina existentia, seu triplici modo subsistendi.	22	CAP. 16. De Communicatione naturarum & naturalium Idiomatum ac operationum.	34
CAP. 6. De mutua & tamen impermixta immanentia seu inexistencia distinctarum personarum Trinitatis.	23	CAP. 17. De Ubiquitate & Omnipræsentia corporis Christi.	35
CAP. 7. De distinctione inter Deum Essentialem & Personalem.	24	CAP. 18. De Humiliatione & Exinanitione Dei Altissimi.	35
CAP. 8. De distinctione inter essentialem & personalem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.	25	CAP. 19. De Resurrectione Dei Altissimi à mortuis.	36
CAP. 9. De æterna generatione Filii Dei ex essentia Patris.	25	CAP. 20. De Dei Altissimi Ascensione in cælum & Exaltatione.	37
CAP. 10. De operationibus, quæ intra & extra essentiam Dei fiunt.	28	CAP. 21. De Adventu Dei Altissimi ad ultimum Judicium.	37
CAP. 11. De Incarnatione Filii Dei.	29	CAP. 22. De tertia Persona Trinitatis, nempe Spiritu Sancto.	37
		CAP. 23. Conclusio.	38

LUDOVICI WOLZOGENII

Tres Conciones

*in*

JOHANNIS

EUANGELII

Cap. xvi. vers. 3.



IRENOPOLI

Post annum Domini 1656.



## CONCIONES TRÉS

Super Iohan. 17. 3.

## PRIMA CONCIO.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei,  
& communicatio Spiritûs Sancti sit cum  
omnibus nobis. Amen.

**P**urimum dilecti in Christo Jesu. Quanquam homo pro infinita vi suæ cupiditatis, plurima, quæ intellectu suo percipit esse bona, appetat, & ut iis reipsa potiatur ac perfruatur, omnibus viribus contendat; tamen omnia ejus desideria ad hunc triplicem scopum, tanquam ad ultimum ac principalem finem, potissimum feruntur, inque coterminantur ac conquelescunt: primum, ut vivat; secundo, ut æternum vivat; tertio, ut felix vivat, gaudiis semper affluens & omni mali expers. Primum votorum ejus est Vita, hanc primum appetit homo ac desiderat; ad hunc scopum primo & ante omnia cupiditates ac porro actiones ejus tendunt. Ut vitam redimat, ferrum pati & ignes non recusat; etiam totum mundum cum omnibus ejus opibus omnique splendore, si in ipsius potestate esset, vitæ conservandæ causa impendere non dubitaret. Hinc Ægyptii cum gravitate annonæ premerentur, Josephum ita compellant: Vita nostra in manu tua est; fac tantum, ut inveniamus gratiam in oculis tuis, & libenter fiamus servi Pharaonis. Gen. 47. vs. 25. Hoc bene noverat Diabolus quoque, homini nihil esse vita carius atque antiquius, cum pium Jobum coram Deo criminaretur diceretque: Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima seu vita sua. Joh. 2. 4.

Verum sola vita præfenti non expletur hominis desiderium; quemadmodum aliorum animantium appetitus ultra hanc vitam non extenditur, quia futura non prospiciunt, ideoque etiam impendentem sibi mortem ac interitum non vident, nec metuunt. At hominis intellectus cogitationes suas mittit ultra præfens tempus, & futura sibi ponit ob oculos. Idcirco cum cernat & experiatur quotidie, omnem carnem mortis subiectam esse imperio, indeque colligat, sibi quoque aliquando vices suas obeundas esse, ex mortis imminentis consideratione horrorem ac metum concipit, eamque tanquam malum tristissimum atque gravissimum averfatur, & ab ea liberari cupit, id est, ontat æternum vivere, & nunquam mori.

Sed ne hoc quidem per se inexplibilem animi humani aviditatem exfatiare potest. Non enim solum semper vivere & nunquam mori desiderat homo, verum etiam cupit carere adversis, carere doloribus, carere tristitia ac luctu, & abundare gaudio, voluptate, omnisque generis perpetua felicitate. Gaudium & voluptas est salis instar seu condimenti, quod vitam suavem jucundamque reddit. Æternum vivere absque gaudio est quasi æternum dormire; æternum autem vivere in doloribus ac tristitia, deterius est, quam mortuum esse in æternum, vel nunquam vivere.

Atque hoc triplex desiderium vitæ, æternitatis, ac felicitatis, est primum fundamentum, quo nititur totum opus nostræ Religionis. Cum enim homines ad hæc tria bona inevitabili ac indefinente naturæ suæ instinctu maxime anhelent, sciant vero, se ea propriis viribus consequi non posse, necesse est, ut ea petant ab alio. Nam si homo vitam à seipso haberet, vel eam in æternum conservare, atque in ea omnibus deliciis ac voluptatibus ex animi sui sententia frui posset; religione ei non foret opus, id est, nulli servire atque obedire veller. Religio enim in genere accepta nihil aliud est quam servitus, cum reverentia atque obedientia conjuncta erga eum, quem credimus habere salutem ac felicitatem nostram in manibus suis, qui que nos boni, quod desideramus, compotes reddere potest. Cum igitur hominis in potestate non

fit summum illud bonum, quod cupit, ipsa necessitate compellitur ad talem quærendum, & ad gratiam istius ambiendam, qui eum beatum potest efficere, adeo ut in se sponte & alacriter recipiat facere ea omnia, quæ ille præceperit ac præscripserit facienda necessario, si vita, æternitate, ac beatitate potiri velit. Hoc igitur, ut dixi, est unicum religionis fundamentum, quæ hominem ei, qui primus est vitæ fons & origo, id est Deo Creatori rerum omnium, ad ejus cultum & obedientiam obstringit, ut ab eo expletionem desiderii sui, quo animus ejus jugiter flagrat, obtinere possit. Duo autem hic necessario requiruntur: primum, ut homo sit certus, id quod ipsi tanquam necessarium ad æternam felicitatem proponitur, revera ab eo provenire, cujus in potestate est æterna felicitas: secundum, ut constet, id ipsum esse unicum medium ac viam ad eam perveniendi. Quicumque horum duorum solidam habet notitiam, merito pro beatissimo in terris dicendus est. Assecutus est enim supremam sapientiam, quæ in hominem in hac mortalitate cadit. Quam ob causam etiam tenetur non solum omnia, quæ facienda dicat illa notitia, pro virili exequi, verum etiam auctorem tantæ felicitatis, ore atque animo gratissimo deprædicare.

Ex his jam nobis, Dilecti in Domino, felicitissimum statum ac conditionem nostram animadvertere licet, ut qui his vivamus temporibus, quibus notitia quarum istarum rerum modo dictarum clarissime revelata est, quæ olim à condito mundo, vel in tenebris ignorantie, vel sub tegmine ac involucri obfcurarum figurarum delituit. Vita enim nunc illuxit, & incorruptibilitas in lucem producta est 2 Tim. 1. vers. 10. Gaudiumque marcescere nescium nobis præparatum est, quod tempore suo manifestabitur. Novimus eum, qui hanc beatam vitam nobis promittit, nosque hunc ipsum in finem, ut ejus aliquando fiamus participes, in hoc mundo creavit, nempe Deum summum, salutis nostræ primam causam. Novimus & Mediatorem ejus Jesum Christum, Dominum ac servatorem nostrum, qui salutem nobis sanguine suo peperit, cujus in manu Deus eam reposuit, à quo etiam eam aliquando reipsa accipiemus.

Ut igitur tum erga Deum, tum erga Christum fospitorem nostrum debitorum officiorum admoneamur, utque in hac sancta sapientia ac notitia, ad excitandum in nobis ardens pietatis studium, magis magisque exerceamur, constitui de hac sublimi cognitione in timore Domini nonnihil impræsentiarum dicere, & duo hæc plenius aliquanto explicare. 1. Quidnam illud sit, quod nobis Deus ad explenda omnia animi nostri desideria assignavit. 2. Per quod medium ad illud sit aspirandum. Quia vero res ista est maximi momenti, atque ideo prolixiori tractatione indiget, quam ut hoc tam brevi tempore absolvi possit: dividemus hanc materiam tam amplam in tres conciones, ac modo de eo tantum agemus, quid sit vita illa æterna ac beata, quam Deus nobis destinavit, & qua in re sita sit. Ante omnia autem convertamus animos nostros & sursum erigamus corda nostra ad Dominum ac servatorem nostrum Jesum Christum, eumque ut nobis adesse auxilio suo, & spiritum suum sanctum largiri dignetur, humillimis precibus invocemus.

O Domine Jesu &amp;c. &amp;c.

**A**d nostram ædificationem sumemus consideranda modo insignia illa Christi Domini nostri verba, quæ nobis descripta sunt Joh. 17. vs. 3. ubi Christus in sua sanctissima prece Deum Patrem suum coelestem inter alia huncce in modum alloquitur:

*Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Pater) illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

Hæc pauca verba, sed ponderosa adeo, ut merito pro compendio totius Religionis Christianæ haberi possint, sumta sunt ex illa ardentissima Christi oratione, quam paulo ante passionem ac mortem suam, sublati sanctissimis oculis suis in cœlum, ad Deum Patrem suum fudit, pro se primum, dein pro Apostolis, ac tandem pro omnibus fidelibus, qui usque ad mundi finem futuri sunt, intercedens. Quam orationem suam hæc aulpicatus est verbis: *Pater, venit hora. Glorifica filium tuum, ut & te Filius tuus glorificet. Sicut dedisti ei potestatem in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.* Quibus verbis petit à Patre suo cœlesti, ut quoniam jam præsto erat tempus illud, quo vitam suam impendere in sanctissimum sacrificium pro peccatis mundi debebat, Pater ipsum glorificaret, id est, ut eam gloriam ipsi reïpia conferret, quam ei pro mercede difficilissimi & ardui laboris sui, ante iacta mundi fundamenta gratiose assignavit. Joh. 17. 5. Phil. 2. 9. ut nimirum ipsum ad Regiæ dignitatis culmen in cœlis eveheret. Quoque Patrem suum ad exaudiendas preces suas permoveret, duas subiungit rationes. Prima est, ut ipse eum vicissim glorificet, id est, gloriam nominis ejus propaget & amplifcet. Quod Christus quidem jam magna ex parte fecerat, in terris, dum Judaico populo summam Dei erga homines benignitatem, & gratiosam ejus de remissione peccatorum atque æterna felicitate voluntatem annuntiavit, signisque divissimis ac miraculis confirmavit, & jam etiam paratus erat morte sua eandem obfignare: quæ omnia ad summam Dei gloriam tendebant. Sed perfectissimo tamen modo id præstitit, postquam supra omnes cœlos erectus miraculosam Spiritus sancti virtutem in Apostolos suos effudit, qui postea hanc summam humani generis felicitatem per Christum oblatam toti mundo annunciarunt, atque ita nomen Dei viventis per universum Orbem terrarum gloriosum reddiderunt. Altera ratio, quam Christus affert, consistit in eo, quod res ipsa poscat, ut Pater eum glorificet, talique gloria coronet, quia ipsi *dederat potestatem in omnem carnem*, id est, quia ipsi destinatum erat imperium super omnes homines. Æquum vero est, ut Regium diadema ei imponatur, qui regno jam pridem destinatus est. Eo fine autem Pater ei potestatem in omnem carnem dederat, *ut omnibus quos dedit ei* (id est, credentibus) *det vitam æternam.* Verum ut intelligi possit, qua ratione aut quibus hominibus Christus daturus sit vitam æternam, addit hæc verba: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Pater) illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Quasi dicat: Medium autem seu ratio vitam æternam adipiscendi est hæc, ut te & tuum Legatum Jesum Christum cognoscant.

Ut vero res ista hic proposita, meliori ordine à nobis pertractetur, textum hunc nostrum in duo principalia capita partiemur.

Primum considerabimus summum illud bonum, cujus mundo conferendi potestatem Deus Christo dederat, quod est Vita æterna. Secundo excutiemus, quidnam illud sit quod nos facere oportet, ut vitam æternam consequamur: atque hoc est, quod debeamus cognoscere Patrem Jesu Christi, & ipsum Jesum Christum, quem ille misit.

Ex hisce duobus capitibus de primo duntaxat agemus in præsentia: secundum vero in aliud tempus deferemus.

### I. P A R S.

**Q**uod igitur primum caput attinet, non erimus prolixi in declarando, quid per vitam æternam sit intelligendum. Nemo enim nescit, per eam designari, æternum durantem felicitatem eorum, qui habebunt partem in resurrectione iustorum, & à Christo in cœlestia palatia introducentur. Hinc ab Apostolo Paulo vocatur futura live *ventura gloria* Rom. 8. 18. &

à Petro, *salus, quæ parata est, ut reveletur tempore novissimo.* 1 Pet. 1. 5. Sed malumus statim progredi ad contemplandam summam & incomparabilem præstantiam istius rei, quæ per vitam æternam denotatur. Verum quid hic dicemus? Unde nobis suppetent verba ad hanc rem inexplicabilem explicandam? Priscis temporibus Ethnorum sapientissimi varia sibi hac de re confinxere somnia; ii scilicet, qui ope rationis naturalis è tenebris universalis ignorantie eminus tenuem quandam veritatis stricturam viderunt, virtutisque post mortem præmium aliquod constitutum esse censuerunt. Commentique sunt eorum nonnulli Campos Elysios, Parnassos, aliaque plena voluptatis & amœnitatis loca, ubi se animæ proborum hominum defunctorum oblectent. Judæi, quorum animis & oculis semper obversatur fertilis regio Chananæa, etiamnum carnalibus cogitationibus pleni sunt de opiparis conviviis, in quibus ventres suos delicatissimis cibis & generosissimo potu arcient. Machometes insignis ille impostor mundi, felicitatem futuri seculi præcipue in abundantia formosissimarum uxorum collocavit. Aliæ paganæ gentes in quibus innata immortalitatis beatæ cupiditas cæcam quandam ejus spem excitaverat, alias fabulas ac nugamenta, vel à suis sacrificulis, vel à se pro cupiditatis suæ impetu excogitata, secuti sunt. Verum ex omnibus istis fabulis ac somniis nos educit Paulus Apostolus, quando sic scribit: 1 Cor. 2. 9. *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, ea paravit Deus iis, qui diligunt ipsum.* Ex quo intelligitur, felicitatem vitæ æternæ in ejusmodi rebus consistere, quas nullis externis sensibus percipere, imo ne cogitatione quidem assequi possumus. Addit quidem ibidem statim: *Nobis autem Deus ea revelavit per Spiritum suum.* Quæ revelatio sine dubio ea in se continet, quæ ipse postmodum diversis in orbe populis hac de re prædicavit, & quæ in Apostolicis scriptis, hinc inde sparsa reperiuntur. Sed Apostolus in eadem Epistola 1 Cor. 13. 9, 11. indicat, omne nostrum scire, adeoque etiam hanc revelationem, esse imperfectum quippam, nolque ex parte tantum scire, dum in hoc mundo sumus, esse nos infantibus similes, ac proinde præstantiam ac felicitatem futuri seculi neque concipere exacte, neque exprimere clare & eloqui posse; sed tantum infantium more aliquid de eo balbutire: liquidem id nunc duntaxat quasi in speculo & ænigmate videamus, ideoque nullam distinctam ejus cognitionem habere queamus; ut pote qui in hac mortali natura neutiquam capaces & apti simus ad hæc incomprehensibilia comprehendenda. Quamobrem & nos hac de re nihil amplius loqui possumus, quam quod nobis Spiritus sanctus in Sacris Literis, pro capitis nostri modulo ac ratione, revelavit. Quo etiam nos acquiescere contentique esse possumus; quia sufficit ad plenum gaudium per spem in animis nostris excitandum, & adducendum nos ad debitas gratias Deo, qui tanta paravit nobis bona, agendas.

Quemadmodum igitur vera & perfecta felicitas in se ac natura sua considerata consistit in æterna possessione ac fruitione boni ejusmodi, cui nihil mali admixtum sit, adeoque in tali gaudio & animi exultatione, quam nulla unquam turbet tristitia; ita etiam illa absolute & suprema felicitas vitæ æternæ in hisce duobus rebus consistit. 1. In perfectissima immunitate ab omni malo & miseria. 2. In participatione summi & inæstimabilis boni. Quoad primum, in æterna vita ab omnibus illis malis atque miseriis, quibus in hoc mundo subjecti sumus, perfecte liberabimur. Quod Sacra scriptura indicat eo ipso, cum inquit, Deum *omnes lacrymas ab oculis nostris abstersurum.* Apoc. 21. 4. *Omnes lacrymas* ait, prorsus perfectam & absolutam liberationem significans. Hic gemimus, hic lacrymamus, hic sæpe strata nostra lacrymis madefacimus, Psal. 6. 7. hic à mundo malitioso premimur & vexamur: sed in illo die, quo ingrediemur in vitam æternam, omnia ista Deus à nobis auferet; tunc victores omnium malorum triumphabimus; tunc omnis calamitatis sensus ex nostra evanescet memoria; tunc do-

lores partus nostri fortientur finem, & infans quem nunc parturimus, jam tunc erit editus in lucem, priorique afflictionis plane obliviscemur. Joh. 2. 1. 2. Neque imposterum ultra mali quicquam nobis erit pertimescendum; corda nostra nulla amplius emittent suspiria, oculi nostri non fundent lacrymas, quod toties tota mente expetivimus, ut ex servitute corruptionis hujus vitæ eximamur, tunc reipsa consequemur. Idcirco in Apocalypsi sua scribit Johannes, in Nova Hierosolyma, nullum fore luctum, neque clamorem, neque laborem amplius. Apoc. 21. 4. Verum in eo nondum sita est perfecta Redemptio ac liberatio nostra ab omni malo: nihil singulare & eximii ad huc nobis confingeret, nisi aliquid amplius accederet. Nam liberationis ejusmodi omnes homines per mortem naturalem fiunt participes. Hinc Ecclesiastes, cum videret lacrymas eorum, qui opprimuntur, & nullum consolatorem habent, laudabat mortuos præ vivis. Cap. 4. 2. Et Ecclesiasticus ait: O mors, quam benefacis homini indigenti, & deficienti viribus, extremamque senectam agentis, & qui curis distractus est, ac omnem de meliori conditione spem amisit! Itaque nostra Redemptio potissimum in eo consistet, quod à morte ipsa, tanquam malorum omnium pessimo, erimus immunes; quod mors aboletur, & in victoria absorbebitur 1 Cor. 15. vers. 26, 54. in illo scilicet magno die, quo Dominus noster Jesus Christus de cœlo descendet in gloria Patris sui cum omnibus Angelis, cum celestimate, & voce Archangeli, cumque tuba Dei, ubi mortui in Christo, prius resurgent; deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini in aëra. Matt. 16. 27. 1 Thes. 4. 14, 16, 17. Tunc è potestate atque imperio mortis, quæ nos ad illud usque tempus in regno suo captivos detinebit, eripiemur, summaque cum lætitia, canentes illud epinicion, ei insultabimus: mors, ubi est aculeus tuus? ubi est victoria tua, ô inferne? 1 Cor. 15. 55. Tunc mors non erit amplius: conjicietur enim infernus & mors in stagnum ignis. Apoc. 20. vers. 14. cap. XXI. 4. Atque hæc est imprimis magna illa Redemptio, de qua tam crebra sit in Novo Testamento mentio, eam à Christo factam esse ac procuratam, dum dicitur, nos habere redemptionem per Christum in eius sanguine. Rom. 3. vers. 24. nos esse obsignatos Spiritu sancto Dei in diem redemptionis. Ephel. 1. 7. Vide etiam 1 Cor. 1. 30. Cumque hac nostra liberatione à morte indivulso nexu conjuncta est etiam liberatio nostra ab omnibus peccatis, quæ secum trahet vitam æternam. Aculeus enim mortis est peccatum: 1 Cor. 15. 56: Mors est peccati stipendium. Rom. 6. 23. Peccata omnem nos condemnandi vim amittent, quia reipsa nobis à Deo remittuntur. Tunc nobis dantur vestes albae Apoc. 3. 5. ad significandum, nos in Dei judicio justificados & pro justis declaratos esse.

Oportet igitur ut hoc probe intelligamus, animisque nostris infigamus, vitam æternam fore perfectissimam liberationem nostram ab omnibus malis & adversis, quocunque nomine veniant: ab omni morbo & afflictione corporis, ab omni tristitia ac mærore animi, ab inopia ac defectu, ab injuriis ac persecutionibus, à peccatis, à morte, ab ira Dei & æterna damnatione. Nulla nobis amplius pugna, nullum certamen erit: Satanas enim adversarius noster cum Angelis suis in lacum ardentem conjicietur Apoc. 20. 10. Omnes nostri inimici ac persecutores, qui animas nostras anxias reddiderunt, cum omnibus impiis mittentur in ignem inextinguibilem, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Matth. 25. 41. Si molestum & grave nobis est, quod arduos labores in hac vita Dei causa ac Christi sustineamus, quod omnis generis adversitatibus ac incommodis ob nomen ejus premamur: cogitate, vitam æternam ab hoc malorum jugo nos exsoluturam. In revelatione Domini nostri Jesu Christi nobis, qui affligimur, dabitur relaxatio: 2 Thess. 1. 7. & requiescimus à laboribus nostris. Apoc. 14. 13. Tunc perfecte implebitur in nobis, quod apud Marthæum promittit, se nos refocillaturum, nos invenituros requiem ani-

mabus nostris. Matth. XI. 28, 29. Tunc liberabimur à vanitate & servili conditione hujus fluxæ ac momentaneæ vitæ, atque in libertatem gloriæ filiorum Dei afferemur. Rom. 8. 21.

Hoc verò est primum beneficium, primaque felicitas, quam vita æterna secum nobis affert: in quâ tamen nondum tota nostra beatitudo consistet. Imò immunitas ab omni malo est minima & infima pars istius felicitatis, quæ nobis in futura vita expectanda est. Deus enim nos insuper bonis immensis ac inæstimabilibus cumulabit, non talibus, quibus fruuntur, qui beatissimi mortalium esse vulgo judicantur, etiamsi æternum in hac vita manerent; sed celestibus bonis, quæ à nostris oculis & auribus, à nostris sensibus, cogitationibus & intellectu tam longè remota sunt, quam cœlum à terra. Atque ideo, quia natura nostra mortalitatis caprum superant, à Spiritu Sancto nobis per similitudines earum rerum proponuntur, quæ nos homunciones in hac vita magni æstimamus, & earum possellores beatos reputamus.

Age igitur in hunc Dei Paradisum ingrediamur, & nostram futuram gloriam, cœlestesque thesauros in Sacro Dei verbo nobis descriptos animis ac cogitationibus nostris perlustremus.

Utque in enumeratione bonorum illorum cœlestium aliquem servemus ordinem, sciendum est, à doctis ac sapientibus bona, in quibus hominum felicitas consistit, in duo genera dispelci. Quædam enim sunt in nobis: quædam extra nos. Bona, quæ nobis insunt, spectant partim ad corpus, partim ad animum. Bona corporis sunt, perfecta sanitas, sensuum & membrorum integritas, ut & forma elegans, statura decens, vultus heroicus & amœnus, robur virile, & agilitas ac vigor in rebus corpore peragendis. Bona animi sunt, felix memoria, ingenium perspicax, acere judicium, voluntas ad omnes virtutes ac probitatem proclivis, & quæ ex ejusmodi judicio ac voluntate nascitur, sapientia, id est, scientia rerum multarum & sublimium, nec non prudentia acquedexterritas in omnibus vitæ actionibus. Bona quæ extra nos sunt, continentur opibus, honore & amicitia. Cui omnia ista simul contigerunt in hoc mundo, merito felicissimus mortalium æstimandus est: quanquam is nondum natus est (unico forsitan Rege Salomone excepto) qui tam propitiam habuerit in terris fortunam, ut hæc omnia ipsi simul & quidem modo perfectissimo fuerint collata. Nos autem omnia ista in futura vita non solum ratione perfectissima possidebimus, verum etiam ratione longe excellentiori ac sublimiori, quam animo ac mente concipere possumus.

Quod enim primum corpora nostra attinet, depodemus terrestis hujus atque tot infirmitatibus obnoxie domus nostræ tabernaculum, & aliud ædificium habebimus ex Deo, domicilium non manufactum, æternum in cœlis. 2 Cor. 5. 1, 2. Spiritus noster, qui nunc in fragili hoc corporis nostri tabernaculo hospitatur, cœleste habitaculum nanciscetur, id est, cœleste, gloriosum & spirituale corpus. Paulus Apostolus significanter & graphicè nobis descripsit discrimen istud, quale futurum sit inter hæc nostra mortalia corpora, & illa immortalia, quibus in resurrectione mortuorum amiciemur: cum inquit: Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione: seminatur in ignominia, resurget in gloria: seminatur in infirmitate, resurget in potentia: seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. 1 Corinth. 15. 42. & seqq. In quibus verbis Apostolus hominem ratione corporis consideratum comparat cum frugifero tritici grano, quod in terram seminatur, & postea in multo alia atque præstantiori forma rursus enascitur: nempe cum antea, quam seminaretur, nudum tantum granum fuerit, surgit postea & prodit in forma pulchræ & grandis spicæ. Itætiā de homine dicit, eum per nativatem inferi in hunc mundum quasi in agrum quendam, in quo etiam corrumpi eum ac dissolvi necesse est, in resurrectione autem mortuorum eum excitandum esse cum glorioso



atque à priori plurimum diverso corpore. Instituit vero Apostolus quadruplicem collationem horum nostrorum corporum, cum illis futuris. Primum ait: seminatur in corruptione, resurget in incorruptione; id est, hoc nostrum corpus, quod in mundum nobiscum attulimus, corruptioni ac mutationi est subiectum: corrodatur enim à vermibus, & in pulverem ac cineres redigetur. Job. 4. 19. Gen. 3. 19. Illud autem corpus erit incorruptibile, non poterit destrui ac dissolvi, neque Spiritus ex eo unquam emigrabit, sed æternum in eo permanebit. Non moriemur enim amplius, quia erimus Filii Dei Luc. 20. 36. id est, Deo in immortalitate erimus similes. 1 Joh. 3. 2. Ulterius ait Apostolus: Seminatur in ignominia; id est, homo in generatione sua fortitus est corpus, cuius non solum membra quædam pudenda sunt, quæ verecundia nos tegere jubet, de quibus etiam Apostolus inquit, nos quæ putamus membra corporis minime esse honesta, iis honorem ampliore circumdare, & quæ sunt in nobis indecora, iis copiosiore decorem addere, 1 Cor. 12. 23. sed etiam quod per morbos aliosve casus, tandemque senio ipso deforme fædumque redditur. Contra verò resurget in gloria. Corpora habebimus nitidissima, carebunt labe, maculis, rugis; nihil ignominiosi, nihil pudendi eis inerit. Splendebunt corpora nostra clarius quam sol, & nitidius quam aurea lux auroræ. Matth. 13. 43. Gloria & splendore conformia erunt glorioso corpori Christi, cuius tenuem & exilem duntaxat imaginem Apostoli viderunt in monte illo, in quo Christus fuit ad breve tempus ante oculos eorum transfiguratus, & tamen dicitur, ejus faciem splenduisse solis instar, & vestimentum ejus instar lucis. Phil. 3. vers. 21. Matth. 17. vers. 2. Hæc autem glorificatio, quæ Christo in hoc mortali corpore contigit, nequaquam comparanda est cum gloria corporis ejus immortalis, quod nunc habet in cælis, cui & nos similia in resurrectione accepturi sumus. Tertio inquit Apostolus: seminatur in infirmitate, id est, in hac vita habemus corpus, quod labore facile fatigatur ac frangitur, morbis & variis casibus ætate ipsa atteritur ac pessundatur. Sed resurgemus in potentia: corpora illa erunt firmia ac robusta: nullus labor, nulla fatigatio, nulli morbi, nulla senectus ibi locum habebit, ac proinde corpora nostra non debilitabit. Quarto subjicit Apostolus: seminatur corpus animale. In hac vita habemus corpora similia corporibus reliquorum animantium, quæ indigent cibo & potu, ideoque etiam membris constant ac organis ad cibum capiendum, concoquendum ac digerendum necessariis. At in resurrectione adipiscemur spiritualia corpora, id est, quæ non constabunt ex ejusmodi membris ad nutriendum corpus aptis, qualia sunt stomachus, hepar, intestina, idque genus alia. Cibus ventri, inquit Apostolus alibi, & venter cibo scilicet destinatus est: Deus autem & hunc & illum abolebit. 1 Cor. 6. 13. Neque etiam talis erit eorum substantia, ut manibus pulpari possint, vel ullo corporali sensu percipi: sed natura eorum erit cælestis, & tali materia constata erunt, ex quali cælum est conditum, quod nihil commune habet cum rebus terrenis & aspectabilibus, adeoque quoad naturam suam & essentiam erunt longe subtiliora, longe aptiora ad quemvis meatum penetrandum, longe denique ad motum omnem habiliora & agilia, quam aer est etiam subtilissimus.

Adeo præstantia erunt bona corporis, quæ nobis in æterna vita contingent, ut merito cum Apostolo optemus ac ingemiscamus, expetentes, domicilio nostro, quod è cælo est, superindui. 2 Cor. 5. 2. utque absorbeat, quod mortale est, à vita. vers. 4.

Quid jam dicemus de bonis animi, quæ tanto sunt excellentiora ac præstant bonis corporis, quanto spiritus & animus hominis excellentior ac nobilior est corpore? In hac vita Sapientia tanto habetur in pretio, ut qui ea excultus est, quamvis corporis debilis ac deformis sit, insipienti licet robustissimo ac formosissimo præferatur, & honore afficiatur. De Salomone testatur scriptura, ei donatam fuisse à Deo tantam

sapientiam, ut ei par nemo ante vel post eum fuerit. 1 Reg. 3. 12. Verum sicut Christus ipse de se prædicat, Ecce hic plus est quam Salomon: Matth. 12. 42. Ita nos quoque secundum proportionem ejus sapientiæ, quam ex doctrina Christi hausimus, dicere de nobis possumus; apud nos plus est sapientiæ, quam in Salomone. Cæterum hæc ipsa nostra sapientia tam eximia in hac vita multis ex partibus imperfecta & manca est. Ex parte enim cognoscimus, inquit Apostolus, & ex parte prophetamus. 1 Cor. 13. 9. Sed vita æterna hunc defectum modo perfectissimo supplebit, ubi nobis pandentur thesauri etiam abstrusissimorum mysteriorum Dei; ubi Deum creatorem ac Patrem nostrum, & Christum servatorem nostrum plenius & exactius, quam in hac vita cognoscemus; ubi Deum videbimus, sicuti est 1 Joh. 3. 2. majestatemque ejus immensam oculis nostris contuebimur, & ita illum cognoscemus, quomodo ab ipso cogniti sumus. Nunc cernimus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1 Cor. 13. 12. Quam multa nos latent in hac mortalitatis nostræ caligine? quam multa prorsus imperscrutabilia, quæ humanam scientiam penitus effugiant? in exemplo, de augusta Dei majestate, de ejus admirabili essentia, forma, attributis, quæ partim omnino ignoramus, partim nobis non prout re ipsa se habent, sed pro captu ac imbecillitate, intellectus nostri in Sacra Scriptura describuntur. Quam pauca sunt, quæ recte intelligamus è mirifico ac pulcherrimo creationis opere, quomodo Deus tam vastam & splendidissimam visibilis cæli ac terræ fabricam virtute ac potentia sua confecerit atque construxerit? Quam investigari nequeunt à nobis in hoc mortali statu mirabiles viæ divinæ providentiæ ac gubernationis mundi? Qua de re Deus ipse sic loquitur apud Esaiam Prophetam: Non sunt cogitationes meæ, sicut cogitationes vestræ, neque viæ meæ, sicut viæ vestræ, sed ut alti sunt cæli supra terram; ita altæ sunt viæ meæ, supra vias vestras, & cogitationes meæ, supra cogitationes vestras. Esai. 55. 9. 8. 9. Quam exilis & exigua quoque est scientia nostra in rebus naturalibus? Quicquid in iis videmus ac intelligimus, nihil est nisi externus cortex; natura ipsa nobis clausa & quasi validissimis obicibus obstructa est. Quis etiam Angelum Dei unquam vidit in propria ejus specie? Quicumque se præcis temporis hominibus conspiciendos præbuerit, illi propriam formam suam aliunde extrinsecus forma occulerunt, & vel in hominis, vel in ignis ardentis, vel in alia specie apparuerunt. Gen. 18. vers. 2. Exod. 3. vers. 2. Imò quam parum etiam nos ipsos novimus, siue corpus, siue animam spectes? Quis enarrare potest, quid sit Spiritus iste, qui in nobis est, quæ ejus sit forma, an sit flamma aliqua, an halitus, an aer, an aliquid aliud, cujus vi non solum vivimus ac spiramus, sed etiam intelligimus, ratiocinamur, latentia & abdita rimamur, & quadantenus ipsi creatori nostro fumus similes? Verum istas omnes nostras tum ignorantias, tum imperfectiones tollet vita æterna, nosque in scientia tam perfectos reddet ut illa præsens desiderium ac vota nostra pene infinitis partibus sit superatura. Paulum Apostolum Christus hac singulari præ reliquis Apostolis dignatus est gratia, ut eminus quasi introspexerit in illud gazophylacium divinorum mysteriorum, cum raptus esset in tertium usque cælum, & verba audivit ineffabilia, quæ nefas est homini proloqui. 2 Cor. 12. 4. Qua ratione ille quasi gustatione in quandam istius sapientiæ, quam olim in vita æterna consequemur, prælibavit.

Sed non solus intellectus noster ad summum perducitur perfectionis apicem, verum etiam voluntas nostra, quæ est pars altera nostri animi, perfectissime sancta atque à criminis omnis labe pura efficietur. Dicimus quidem hodie læpius Davidem imitati: Delectatio mea est, Domine, facere voluntatem tuam; lex tua est in medio cordis mei. Psal. 40. 9. At pro dolor! quam læpe malleus facere voluntatem carnis nostræ, nisi nos ingens spes nostræ felicitatis, & metus divinorum suppl-

suppliciorum quasi injecto ori capistro retraheret ac inhiberet? Quoties cogimur ingeminare illud Christi ad discipulos dictum: *Spiritus est quidem promptus, sed caro infirma*. Matth. 26. 41. Vita æterna autem huic infirmitati nostræ remedium afferet. Similes enim evademus Deo uti in immortalitate ac beatitudine, ita quoque in sanctitate. Imperfecta perfectio nostræ sanctimonie, ad quam nos Christus exstimulat in hac vita, inquit: *Estote perfecti, sicut & Pater vester in cælis perfectus est*: Matth. cap. 5. vers. 48, in illa vita vere fiet perfecta: ubi cessabit certamen omne & lucta, quæ nobis hic est cum concupiscentiis carnis nostræ, cum scandalis huius mundi, cumque principe mundi Satana; ubi nulla peccati macula aut ruga animarum nostrarum venustatem deturpabit, sed in summa innocentia ac puritate in conspectu Dei, Christi sanctorumque Angelorum versabimur.

Pergamus ad contemplationem eorum bonorum, quæ extra nos sunt constituta. Inter hæc principem locum obtinent *Divitiæ* Christus enim ipse nobis proponit bona æternæ vitæ sub nomine *Thesauri*, & quidem ejusmodi, thesauri, quem *neque tinea neque rubigo consumit, nec fures effodiunt ac furantur*. Matth. 6. vers. 20. Quam magnus autem & insignis thesaurus iste futurus sit, ex eo perspicui potest, quod in Apocalypsi Johannis dicit is, qui sedet in throno: *Victor hæreditario jure obtinebit omnia*; Apoc. 21. vers. 7. Omnia scilicet, quæ Deus promissit: non bona alicujus Regis aut Monarchæ in terris, sed omnia bona summi ac beatissimi Dei. Erimus enim hæredes Dei, & cohæredes Christi. Rom. cap. 8. vers. 17. Estne aliquid, quod cum tantis divitiis in comparationem venire queat, etiam si totus mundus nobis in hæreditatem cederet? Alterum bonum extra nos positum est *Honor*, qui nobis in futura vita promissus est. Honor magni vulgo fit ab hominibus, imo à multis etiam antiquior & charior divitiis habetur. De honore isto ac gloria nostra Apostolus ita habet ad Collossenses: *Postquam Christus, vita nostra, apparuerit, tum & nos cum eo apparebimus in gloria*. Col. 3. 4. Et ad Thessalonicenses ait, Deum *vocasse nos ad acquirendam gloriam Domini nostri Jesu Christi*. 2 Thess. 2. 14. Et ad Romanos: *Reor præsentis temporis perpeffiones minime pares esse gloriæ, in nobis revelandæ*. Rom. 8. 18. Atque hæc gloria ac honor depingitur nobis titulo Regiæ dignitatis, quæ inter omnes huius mundi honores summa est. Reges enim sunt *Dii*, Psal. 80. 2, 6. Propter absolutam & non adstrictam potestatem suam, cujus respectu soli Deo, & hominum nulli subiecti sunt. *Qui vicerit*, inquit Christus, *dabo ei ut sedeat mecum in throno meo, sicut ego quoque vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus*. Apoc. 3. 21. Et viginti quatuor Seniores, qui erant ante thronum Agni, cecinerunt canticum novum, dicentes: *Dignus es, qui accipias librum & aperiās sigilla ejus; quoniam mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, & fecisti nos Deo nostro Reges ac sacerdotes, & regnabimus in terra*. Atque hac de causa vita æterna *corona* appellatur; corona enim signum est regiæ dignitatis. A Paulo dicitur *in corruptibilis corona* 1 Cor. 9. 25. *corona justitiæ* 2 Tim. 4. vers. 8. à Petro Apostolo *inmarcescibilis corona gloriæ*. 1 Pet. 5. vers. 4. Qua in re vero nostra illa coelestis ac Regia consistet gloria? In eo, quod *justi fulgebunt tanquam sol in regno Patris sui*. Matth. 13. 43. Erunt *Dei Filii*. Victor ait Deus, *hæreditario jure obtinebit omnia, & ero ei Deus, & ipse erit mihi Filius*. Apoc. 21. vers. 7. *Quotquot receperunt Christum*, inquit Iohannes, *dedit eis potestatem, ut filii Dei fiant*, Jon. 1. 12. Quod potissimum de illa filiatione intelligendum est, quæ in vita æterna ad perfectissimum gradum perveniet. De hac filiatione loquitur Christus, cum ait: *Erunt filii Dei, quoniam erunt filii resurrectionis*. Luc. 20. vers. 36. Quoniam altius possit honor ac dignitas nostra ascendere, quam si tiamus Dei domestici, & quidem non vulgares servi & ancillæ ejus, sed filii ac filiæ? Johannes A-

postolus non sine causa scribit: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur? propterea mundus non novit nos, quia non novit eum. Dilecti, nunc filii Dei sumus, sed nondum manifestum factum est, quod erimus*. 1 Joh. 3. 1, 2.

Inter bona externa ad felicitatem vitæ spectantia, numeratur etiam *Amicitia*. *Amicus fidus*, verba sunt Ecclesiastici, *est validum præsidium; quem qui adeptus est, thesaurum adeptus est. Amici fidi non est pretium, quo permutetur, & nullum est pondus auri vel argenti æquans bonitatem fidei ejus*. cap. 6. 14, 15. Quosnam vero nos amicos in cælo habebimus? Quanam societate in vita æterna fruemur? Ecce *tabernaculum Dei erit cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populi ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit, Deus ipsorum*, ut scriptum est Apoc. 21. 3. id est, Deus Altissimus erit eorum benefactor ac summus amicus. Erimus cum Christo, tanquam cum nostri amantissimo amico, Joh. 15. 13, 14. qui etiam sanguine suo pro nobis suo amore suum nobis testatus est, quique non *erubescit nos fratres suos appellare*. Heb. 2. 11. Erimus in consortio multarum *myriadum Angelorum, in conventu universali & concione primogenitorum, qui conscripti sunt in cælis*. Hebr. 12. 22, 23. Recumbemus ad mensam una cum Abrahamo, Isaac, & Jacobo, & cum omnibus sanctis Dei, mutuaque & non fucata ac indefinente charitate alii alios complectemur.

Hæc sunt illa incomparabilia bona tam interna, quam externa, quibus nos vita æterna, præter perfectam ablationem omnium malorum, beabit. Ex tantorum bonorum possessione ac fruitione orietur inexplicabile gaudium, ac voluptas, quæ animos nostros excellentissimo modo exhilarabit, omniaque desideria nostra, supra quam cogitari aut dici à nobis potest, explebit. De Christo perhibet scriptor ad Hebræos, eum *pro sibi proposito gaudio sustinuisse crucem, ignominia contempta*. Hebr. cap. 12. vers. 2. Nosque admonemur à Christo, ut *gaudeamus & exultemus, quoniam merces nostra copiosa sit in cælis*. Matth. cap. 5. vers. 12. Si hic in terris, in mediis afflictionum fluctibus, est quod gaudeamus & summa voluptate afficiamur, propter ipsam futuræ nostræ mercedis: quis dicendo explicare potest, quam immensa erit nostra lætitia ac voluptas, quando è malis ac molestiis omnibus erepti, re ipsa summi boni possessione perfruemur? Angelus annunciat postoribus apud Lucam *gaudium magnum ob nativitatem servatoris nostri ac Domini Jesu Christi*: Luc. 2. 10, 11. quanto majus verò & excellentius erit gaudium nostrum, quando effectu ipso perfectam salutem è manibus servatoris nostri capiemus? Illo enim die, quo vitæ æternæ vel salutis nostra revelabitur, *veniet Christus in nubibus cæli cum potentia & gloria multa, mittetque Angelos suos cum tubæ voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à cælorum extremo uno usque ad alterum extremum*. Matth. 24. 31. Nosque qui in Christo obdormiemus, virtute ejus divina è mortuis resuscitabimur, gloriosoque ac coelesti corpore induemur, in quo eum videbimus & oculis nostris conspiciemus, summo cum nostro gaudio atque solatio. Tunc ille nos secerner à turba impiorum, sicut pastor segregat oves ab hædis: Matth. 25. 32. Suscipiet nos tanquam populum ac peculium suum, nosque secum ducet in coeleste palatium, atque à dextris suis nos collocabit; nos, inquam, qui obediētes ipsi ad finem usque erimus, tametsi nunc execratio mundi, & purgamenta omnium hominum sumus. 1 Cor. 4. 13. Tunc canendo exclamabimus: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*. O Domine, serva nunc! o Domine, prospera nunc. Psal. 118. 24, 25. *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*. Matth. 21. 9. Tunc audiemus illam gratiæ plenissimam ac desiderabilem sententiam: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, paratum vobis à constitutione mundi*. Matth. 25. vers. 34. Tunc nos introducet ad Patrem suum, imo ad suum & nostrum Patrem. Introducet nos tanquam sacerdotes, sanctificatos ac consper-

consperfos sanguine suo, qui ipsi in hac vita ministravimus, & spiritualia sacrificia ei obtulimus, ut una cum ipso Patrem ejus coelestem in æternum laudemus ac celebremus. Introducet nos tanquam Reges, qui Spiritus ejus opē fulti, Satanam, mundum, peccatum, carnemque nostram devicimus, ut cum eo regnemus in omnia secula. Introducet nos tanquam fratres suos, ut cohæredes ejus simus coelestium Dei bonorum. Rom. 8. 17. Introducet nos tanquam sponsam suam carissimam, ut candidis vestibus amicti semper in conspectu ejus versemur, & æternam cum eo nuptiarum festivitatem celebremus. Apoc. 21. vs. 2, 9. Dicamus igitur: *Beati, qui sunt invitati ad cœnam Agni nuptialem.* Apoc. 19. 9. Tunc Deus erit omnia in omnibus 1 Cor. 15. 28. majestatisque ejus uti in Christo, ita etiam suo modo in nobis elucescat. Quam majestatem Dei ac divinam ejus gloriam nos ipsi videbimus; ibi erit *satietas gaudiorum in conspectu ejus amœnissimorum, & delectationes erunt in dextera ejus usque in æternum.* Psal. 16. 11. semper aderimus Christo Domino nostro, gloriamque ejus spectabimus: quod non poterit nisi summa cum animi nostri oblectatione esse conjunctum. Legimus Reginam Arabiæ magna cum lætitia miratam esse sapientiam ac splendorem Regis Salomonis, dixisseque: *Beati sunt viri & servi tui, qui coram te stant semper, & audiunt sapientiam tuam.* 1 Reg. 10. 6, 7, 8. Quam multo justius nos dicere poterimus: O nos terque quaterque beatos, qui semper coram throno magni Dei & Christi servatoris nostri stamus, ejus gloriam contemplamur, & sapientiam ejus audimus! Et qui id sine singulari & immensa nostra lætitia fieri possit? Intellectus noster pacetur cognitione solius veri Dei, ejus divinarum perfectionum, ejus ammirandorum operum, ejus sanctissimæ voluntatis: quæ omnia nos non ex parte, sed perfectissimè & exactissimè cognoscemus. Idem intellectus noster oblectabit se plenissima cognitione Domini nostri Jesu Christi, operumque ejus, quæ fecit ad nostram redemptionem, nec non omnium beneficiorum ejus, quibus nos macabit ac cumulabit. Præterea summam voluptatem capiet ex sufficienti cognitione nostrum ipsorum, tam quoad corpus, quam quoad animam, ex cognitione omnium rerum coelestium, quarum ne minimam quidem in hac vita habemus scientiam. Voluntas nostra omnibus in rebus consentiet cum Dei voluntate sanctissima: atque hac in re perfectio ac felicitas nostræ voluntatis consistit, quod absque lucta, absque renitentia ac murmure divinæ se attemperabit voluntati. Memoriam nostram nulla capiet oblivio, nulla vetustas temporum obliterabit, sed quicquid ad nostram felicitatem spectat, id constanter illa retinebit, semperque ejus recordabitur. Oculi nostri nihil nisi quod gratum & amœnum est, videbunt: nihil erit ibi, quod eos lædat, vel molestiam eis afferat; neque etiam deerunt unquam talia, quæ visu digna sint. Aures nostræ perpetuo & absque satietate audient mirificam Dei vocem, sanctissima Christi verba, & jucundissimam symphoniam illius cantici, quo sancti Angeli & homines Deum Christumque concelebrabunt. Ipsi quoque una cum aliis indefinenter novum illum hymnum canemus: *Sedenti in throno, & Agno, sit laus, honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Amen. Apoc. 5. vers. 13.

Omnium horum modo recensitorum bonorum præstantiam ac dulcedinem seu voluptatem ex illorum usu manantem, plurimum augebit & multiplicabit locus ipse, in quo bonis ac voluptatibus istis perfruemur. Is verò erit non amœnus hortus Eden, non terra lacte ac melle abundans, non talis, quæ rore cœlitus humectetur: quæ omnia tenuis quædam umbra fuere & figura veri illius loci nostræ felicitatis. Sed locus iste erit cœlum ipsum, Dei ipsius palatium & aula, ubi Christus sedet, à dextris Dei, Col. 3. 1. novum illud cœlum, ubi iustitia habitat. 2 Pet. 3. 13. Qui locus cum nulla humana lingua exprimi digne ac describi queat, idcirco nobis in Sacris Literis depingitur ac

delineatur, tanquam magnificentissima ac pulcherrima structura novæ Hierosolymæ, cujus ædificia sint ex mero auro fabricata, muri ejus ex jaspide, fundamenta ejus ex pretiosissimis lapidibus, portæ ex margaritis, omniaque sint examussim ac splendidissime constructa Apoc. 21. 18, 19. Quod tamen totum non meretur in comparationem venire cum summa gloria & splendore augustissimæ Regiæ Dei coelestis.

Tandem etiam ad hæc accedit Tempus, quamdiu duratura sit hæc nostra felicitas: nempe absque omni fine, in omnem seculorum perennitatem. Divitiæ nostræ erunt incorruptibiles, seu æternum manens ac perseverans hæreditas 1 Pet. 1. 4. Gloria erit æterna gloria 2 Cor. 4. 17. gaudium nostrum nemo auferet à nobis. Joh. 16. 27. Semper enim cum Domino erimus. 1 Thes. 4. 17.

Hucusque de præstantia ac dignitate ejus rei egimus, quæ in hoc nostro textu per vitam æternam designatur. Videamus jam, quid ex hujus rei consideratione nobis discendum sit. *Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

## ADHORTATIO.

Optarim equidem, ut ea quæ hæcenus de summa vitæ æternæ excellentia differui, tantum efficaciæ haberent in cordibus vestris, quantam habuit quondam præclara concio Petri Apostoli, tempore quinquagesimæ Hierosolymis ad frequentissimum populum habitæ; de qua testatur Sacra historia, quod cum eam audissent, qui aderant, compuncti sint corde, & dixerint ad Petrum ac reliquos Apostolos: *Quid faciemus, viri fratres?* Act. 2. 37. Nimirum ut salvi fiamus. Utinam vero ista felicitatis nostræ amplissimæ contemplatio, ita etiam animos nostros permovisset, ut in nobis gignat humillimam & cum summa gratiarum actione conjunctam agnitionem admirabilis Dei benignitatis & amoris erga nos miseros homunciones dum exiles labores nostræ etiam alioquin debitæ obedientiæ, tam immenso vult remunerari præmio; tum excitet cingens gaudium & ardens desiderium tanti boni, ut id nos ad se vi quadam trahat rapiatque.

Fert quidem id ipsa hominum natura, restantur quoque experientia, per univèrsum mundum, ubi modo rationales degunt creaturæ, rem ita se habere, ut unum quodque, quod intellectus tanquam bonum utile ac jucundum apprehendit, habeat vim & efficaciam animi hominis ad se trahendi, & sui desiderium ei inveniendi: desideriumque istud sit tanto ardentius ac validius, quanto majus ac perfectius illud bonum est, quod homo tale esse intelligit, & agnoscit, si habeat aliquam spem ejus potiundi. Proprium etiam hoc est hominum naturæ, ut plus laboris, molestiæ ac diligentæ impendant in magnum aliquid bonum, quam in exiguum: quia nimirum majus bonum plus utilitatis & gaudii affert, quam minus, adeoque majorem vim habet laborem levem ac facilem efficiendi. Hinc fit, ut qui unius oboli causa noller decem millaria emetiri, is non gravate propter centum coronatorum millia, ducentorum vel trecentorum milliarium iter in se susciperet. Magnitudo enim tanti thesauri præponderat in animo hominis, ac superat gravitatem & molestiam itineris; ut eam spe compensationis tam divitis non æstimet. Atque sic se res habet in omnibus omnino rebus, quæ vim habent, objectu commodi, vel delectationis, cupiditatem in hominibus excitandi.

At si hodie homines in Orbe Christiano contuemur, & in genere de iis atque ex moribus majoris partis judicemus; si vitam, si actiones & opera, si desideria & inclinationes eorum, qui salutis spem habent, inspiciamus; res sane mira est & stupenda, quæ pestis singularis cuiusdam infaniæ animos hominum invaserit, vel quis Spiritus malus vertiginis sensus eorum fascinarit, agatque, ut cum aliis in rebus naturæ suæ ductum eo quo dictum est, modo sequantur, suasque cupiditates pro ratione boni cuiusque, quod intellectus



intellektu ipsis monstratur, intendant aut remittant; hic solummodo, quando de vita æterna agitur, videatur tota humana natura esse inversa & immutata, adeo ut homines hic non sint homines, sed bruta pecora, quæ magis gaudent porrecto sibi manipulo graminis, quam auri purissimi frusto. Videmus enim in iis rebus, quæ ad præsentis vitæ conservationem vel commoditatem spectant, quam flagrantia & incitata sint hominum desideria; quanto exultent gaudio, si aliqua spes temporariæ prosperitatis ipsis affulgeat, quam nulli parcant labori, & quam alacri animo nullas non molestias exantlent. Cujus animus præ lætitia non liquefcit, si ipsi spes fiat grandis pecuniæ, & fortunæ lautioris? quam intendit omnes ingenii nervos, ut apta ad hoc bonum assequendum inveniat media? quam varia agitat intra se consilia, quomodo istam pecuniam collocaturus sit, quomodo vitæ suæ rationes imposterum instituturus, quomodo negotiaturus, quas in aère arces ac substructiones moliturus, imo quomodo totum mundum perversurus sit? Nec huic curæ dies sufficit: advocatur in subsidium nox, & somnum vigiles cogitationes excutunt abiguntque. Neque ulla fatigatio aut tædium in iis deprehenditur, indefessum est eorum studium; non frangitur intentionis acies neve lassatur, propter boni intenti præstantiam, quæ creditur tanta diligentia digna esse, laboremque abunde pensatura. Contra vero quando de vita æterna sermo est, quando de summa ac cœlesti beatitudine differitur: bone Deus, quam frigent homines hac in re ac torpent, quam somnus eis facile obrepit & fastidium, quam erga hunc inæstimabilem thesaurum immota ac flecti nescia gerunt pectora! adeo ut non dicam, verbis nescio quibus selectis ac penetrantibus, aut etiam Angelica eloquentia opus esset, sed acutis telis atque sagittis, imo arietibus ac tormentis bellicis, ad expugnandas duras hominum mentes, easque ad veram hujus summi boni appetentiam permovendas. Perinde quasi corda eorum, quæ in aliis omnibus rebus carnea sunt, hic laxea essent aut ferrea; vel quasi vitæ æterna esset res indigna omni desiderio, studio ac labore; vel quasi meræ nugæ ac fabulæ essent, ab otiosis hominibus confictæ, fallendi temporis causa, quæ de cœlestibus gaudiis nobis in Sacra scriptura traduntur; vel quasi felicitas illa sempiterna nobis absque omni cura ac labore nostro possit contingere, & dormiendo aut aliud agendo ad eam perveniri queat: quemadmodum de mororum regione Utopia narratur, quod in ea affæ columbæ hominibus in os advolent, quodque homines stertendo & nihil agendo plus nummorum lucentur, quam laborando. De rebus terrenis quando agitur, si vel minimum momenti in eis situm sit, adhibetur passim summa prudentia ac circumspectio, ne quis error committatur; mavult quisque plus laboris impendere, quam minus, mavult hic in excessu peccare, quam in defectu, tanta cura est evitandæ jacturæ. At cum agitur de vita æterna, re maximi momenti, contra fit. Nam homines tam secure, tam negligenter in diem vivunt, quasi nullum metuendum esset jacturæ ac dispendii periculum, vel quasi error hic aut jactura parum esset noxia. Hoc unum quærunt & spectant, ut quam brevissimo ac minimo labore defungantur; disputant etiam & in dubium vocant, an hæc aut illa Dei præcepta, teneantur servare, an credibile sit, Deum tam multa ab hominibus requirere, annon superflua ac minus necessaria sit sanctitas. Quisque interpretatur scripturam pro lubitu, & præceptis Christi sensum affingit talem, qui cum concupiscentiis carnis possit consistere. Ita omnia in eum finem diriguntur, ne carni nimia inferatur molestia. Qui vero aliis probiores esse volunt, illi pietatem & opera sua bona Deo tanquam in fratera aurificis appendunt, non secus ac aurifices gemmas aut margaritas pendunt; nempe non libra aut uncia, sed minutis granis, quæ tam pauce & caute apponunt; caventes ne forte labor ipsorum lancem deprimat, & vitam æternam prægravet ac præponderet. Quasi scilicet fieri possit, ut quis sit nimis san-

ctus, nimis pius; vel quasi nimium ac supervacuum impendium in vitam æternam fieri posset, etiam si quis omnia bona sua expenderet in pauperes, vel corpus suum traderet comburendum, vel in sexcenta frustra disseccandum. Et si vero centies quoque contingat, ut lanx pietatis eorum ad summam trutinæ ansam elevetur, levisque deprehendatur, tamen id suffragante deque habetur, nec dolore aut tristitia ulla animus afficitur, quasi res esset parvi momenti, & quasi Deus tamen cogatur acquiescere, & nobis nihilominus vitam æternam dare. Hoc ita esse, quod homines tam ingratum animum demonstrent tam nobilis & incomparabilis boni, videt summus ille Deus ex alta cœli sui arce, qui habet oculos velut flammam ignis & corda ac renes hominum scrutatur. Hoc videt Sol, qui lumine suo omnia hominum facta & opera collustrat. Hoc testatur quotidiana experientia, & loquitur res ipsa ac tota eorum vita, quomodo cursum suum ad hanc salutis suæ metam dirigant. Quis est piis atque cordatis non largum fundat lacrymarum imbrem, si tam grandem atque enormem hominum dementia & tam sinceram Dei charitatem erga suas creaturas male collocatam suis momentis expendat, ac penitus consideret?

Nos vero, Dilecti in Domino, forsitan cogitamus, querelam hanc ad nos minime pertinere: ut pote qui non sumus ex numero istorum male sanorum ac imperitorum hominum, sed qui meliori & altiori cognitione nostræ salutis imbuti sumus. Ego sane optarim ex animo, ut nos omnes in hac re tam gravis momenti excitiores sensus & magis humanas cogitationes habeamus, quam habet vulgus Christianorum, utque consideratio tantæ felicitatis altius penetret in animos nostros, atque in eis acre desiderium excitet. Sed ne forte hic ipsi nobis imponamus, & falsa persuasione nosmet ipsos seducamus, tam me ipsum quam vos omnes ac singulos per Dei misericordiam oratos atque monitos velim, ut nos ipsos probe examinemus & excutimus, ut exploremus, quomodo animi nostri erga summum illud bonum affecti sint, quam ardenti eius flarent desiderio, quantum ex ejus contemplatione capiamus gaudium, quam robusta & efficax sit spes ejus ad nos incitandos & inflammandos ad ea omnia, sine quibus thesaurus iste insignis obtineri nequit. Si corda nostra quoque non sunt ex ferro vel chalybe conflata, si nobis divinæ promissiones non etiam somniis simillimæ fabulæ videntur; parebit illico, quod consideratio summæ nostræ beatitudinis non summam duntaxat animi nostri cutem strinxerit, sed altius in ima præcordia penetrarit, quemadmodum olim Petri Apostoli concio in animos auditorum ejus penetrarat. Illico alii alios consulemus & quæremus: O fratres, o sorores, quid faciemus, ut in æternum servemur? Illico ab hinc nostros sensus ac cogitationes convertemus ad indagandum accuratius, an via, quam insistimus & calcamus, recta nos ducat ad hanc speratam felicitatem; an officia nobis præscripta à Deo tanta solertia, tanta sinceritate, tanta cum prudentia ac attentione, quantam dignitas & magnitudo rei exigit, obeamus. Toti conhorresemus, & pectora nostra plangemus, si deprehendamus, nos hæcenus, non satis diligentes, non satis alacres, non satis sanctos, & zelosos in hoc negotio fuisse. Corda nostra modo lætitiæ æstu fervebunt, modo tristitiæ ac timoris agitabuntur stimulis, ne quo casu tam pretiosi thesauri jacturam faciant. Denique omnes intendemus vires, ut bonum certamen ita certemus, ne aërem cædamus, sed propositum nobis brabeum certo consequamur. Neque minori diligentia atque studio in hanc rem incumbemus, quam filii hujus sæculi solent incumbere confectandis rebus terrenis, quos adeo totos sibi mancipavit sollicitudo hujus vitæ, ut Dei & cultus ejus, & cœli ac vitæ æternæ prorsus obliviscantur. Ita nos quoque sacra hæc sollicitudo de æterna beatitudine totos occupabit, ut cura hujus sæculi & terrenæ felicitatis penitus ex animis nostris evanescat, nosque nihil amplius desi-

desideremus, nihil quæramus, quam ut habeamus victum & amictum, contentique simus iis, quæ Dei filio ac hæredi futuro in hac vita sufficere possunt. Ibi enim erit cor nostrum, ubi est thesaurus noster. Nisi ad hunc modum nos geramus, nisi præstantia & amplitudo vitæ æternæ ita animos nostros concutiat ac permoveat, ut qui sumus Filii lucis, simus tam prudentes, tam cauti, tam diligentes circa summum bonum nostrum, quam filii huius mundi & tenebrarum sunt in generatione sua, indigni profecto sumus vitæ æternæ, indigni tam eximia cognitione, qua multa millia aliorum hominum antecellimus, indigni sumus sanctissimis verbis, quibus nobis Spiritus sanctus dignitatem & excellentiam futuri seculi, quasi vivis coloribus depinxit, quo animi nostri à terra ad cælum raperentur: indigni sumus præclaris istis admonitionibus & exhortationibus, quibus Deus corda nostra excitulari curat, & ad tam sublimem felicitatem, quam nobis non offert solum, sed pene ingerit & obtrudit, incitare laborat.

Eja, dilecti in Domino, evigilemus hic ex somno, excutiamus veterum, faciamus, ut vigeant sensus nostri, excitemus in nobis desiderium & cupiditatem tanti boni, si forte per amorem præsentis vitæ rerumque caducarum intepuit quadantenus ac refrixit. Innatus quidem nobis est vitæ huius amor; quandoquidem multo melius est esse quam non esse, vel mortuum esse. Præterea figura huius mundi pulchra est in oculis hominum; arbor mundi præsentis speciosa est & jucunda aspectu, vimque habet animos nostros ad se trahendi, non secus ac arbor illa cognitionis boni & mali traxit improvidum animum primæ nostræ matris. Sed quemadmodum lux solis omnium aliarum siderum splendorem obfuscatur, ut oculis nostris reddantur inconspicua: ita quoque spes æternæ ac beatissimæ vitæ amorem vitæ temporariæ, mundi huius, omniumque rerum fluxarum expellit ex animis eorum, qui præstantiam vitæ æternæ attentius considerant ac perpendunt. Irrefringibilis ille & omnibus hominibus a natura inhærens æternitatis ac beatitudinis appetitus nos admonere ac docere potest, veram intentionem divini consilii in creatione hominis non fuisse, ut hic tantum ad tempus viveret, & terrena felicitate frueretur, sed hanc vitam eo duntaxat fine homini concessam esse, ut in iis se exercere, eaque perficere possit, per quæ juxta Dei voluntatem ad exoptatum æternitatis ac veræ felicitatis finem pervenire possit. Hæc vita nil nisi via est nostris cursus, quo in cœlestem patriam nostram contineamus. In via autem nulla datur quies, sed multæ molestiæ sustinendæ ac devorandæ sunt: quies demum post confectum iter sequetur, postquam spei nostræ metam ac portum attigerimus. Quare videamus, ne nos capiat amor huius molestissimæ vitæ, quæ tot gemitus ex pectoribus nostris exprimit, tot nobis gignit ærumnas; sed suspiremus & anhelemus semper ad metam nostram, ad illum locum, ubi veram requiem inveniemus animabus nostris. Matth. xi. 29.

Homines plerumque causari solent ac conqueri, nimis arduum ac laboriosum esse iter ad vitam æternam; Deum hunc præstantissimum thesaurum nimis alte in terra defodisse, ut nonnulli summa cum difficultate inde erui atque effociquent. Verum qui sic querunt, ostendunt se non satis intelligere, vel considerare, quanta sit vis veri & flagrantis desiderii, quod ad bonum aliquod fertur, ut labores etiam gravissimos leves reddat: imo ostendunt, se nullo vero ac serio teneri vitæ æternæ desiderio. Nam si arderent pectora eorum sincera tanti boni cupidine, si cogitationes suas altius immitterent in ejus contemplationem, experirentur, modum assequendæ vitæ æternæ non solum per se non esse difficilem, sed millies quoque faciliorem ac leviozem, quam ullius magni in hoc mundo boni. Quid non laboris, curarum, ac temporis requiritur, si quis in hac vita ad divitias velit pervenire? Quam parce ac misere vivendum est, quam diu apponendus est nummus alteri, donec summa aliqua

pecuniæ insignis colligatur? Quæ omnia tamen hæc mines divitiarum avidi sine molestia ac libenter faciunt. At cœlestes divitiæ millies minori molestia ac labore acquiruntur. Expurgetur tantum animus ab amore mundi & mundanorum bonorum, quæ nobis adeo placent atque arrident, vitæ æternæ dulcedo & amor ipse ultro se insinuabit, omnisque laboris gravitatem minuet ac tollet. Nonne millies facilius est cistam nummis plenam evacuare, quam vacuum, nummis, gravi cum labore demum parandis, replere. Avertamur modo animum à mundo, eumque non magis æstimemus, quam dignus est, sed reputemus eum, ut verè est, esse bonum fragile ac transiens, illico animus ipse per se ad æterna & stabilia bona se flectet, eaque consecrabitur. Nunquam enim humanus animus potest quiescere, sed oportet ut semper habeat aliquid, ad quod feratur, quo delectetur & pascatur: delectatio est cibis quidam animi, quo ille sustentatur. Si intellectus ipsi non monstret majus aliquod bonum, fertur ad id quod proximum est, ut quod optimum esse putat: at si à vilioribus rebus vacuum sit, arripit præstantissimum bonum, quod ipsi ab intellectu proponitur, & quidem tanto avidius & majori studio, quanto boni istius præstantiam magis intelligit. Si proinde animus nostro liber sit à mundo, si ejiciatur amor bonorum terrenorum, simul ingens cohors carnalium cupiditatum, quæ falsa specie mundanorum bonorum excitatæ sunt, profligabitur. Residui si quid maneat in fragili nostra carne, tam parum in nobis habebit virium, ut spes æternæ beatitudinis, quæ in animis nostris regnabit, ac triumphabit, facile ac sine molestia id freno coercere atque superare valeat. *Quisquis enim*, ait Johannes, *habet hanc spem in Deo, purum seipsum conservat, sicut & ille parus est.* 1 Joh. 3. 3. Præsertim cum in tali animo à mundo averio etiam Spiritus Sanctus suum quærat domicilium, hominique auxilio suo subveniat, qui alioqui cum mundi Spiritu, si is animum obsessum & occupatum teneat, conciliari aut una in sede morari nequit.

Atque hanc animi à mundo aversionem & abstractionem omnino esse necessariam, docuit nos Christus gemina pulcherrima similitudine: nimirum de thesauro defosso in agro, quem homo inveniens, vendidit omnia, quæ habebat, emitque sibi agrum illum; & de pretiosa margarita, quam ubi invenit mercator quidam, divenditis omnibus bonis suis, comparavit eam sibi. Matth. 13. 44, 45, 46. Hisce enim Christus indicare voluit, quod sicut homo ille agrum cum thesauro, & mercator iste margaritam emere non potuere, nisi venundatis prius ac impensis omnibus bonis suis; non enim tantas habebant facultates, ut partem earum retinere, & nihilominus agrum ac margaritam emere possent: ita necesse etiam sit, ut quisquis inæstimabilem thesaurum vitæ æternæ sibi comparare cupit, omnia, quæ in mundo habet, impendat & ex animo suo ejiciat. *Quisquis non renuntiaverit omnibus possessionibus suis*, inquit Christus alibi, *non potest esse meus discipulus.* Luc 14. 33.

Quocirca, Dilecti in Christo, omne istas cogitationes perniciosas e pectoribus nostris exturbemus, quod nimis ardua sit ad cælum via, vel quod necessarium non sit, ut mundi amorem penitus exuamus, sed quod mundus saltem pariter atque æqualiter cum vitæ æternæ possit amari. Non dimidia tantum cordis nostri parte, sed toto corde hoc in effabile bonum complectamur. Cor hic dividi non potest; quod tamen si totum ac indivisum, per se tamen longe minus est, quam ut immensi gaudii, quod spes vitæ æternæ producere apta est, capax sit. Dignissima sane est hæc margarita, ut cuncta quæ habemus, illius causa vendamus, deponamus, & abiciamus; non solum bona nostra & possessiones, si vel minimum sibi velint in nos sumere dominium, earumque amor furtim se in animos nostros insinuare tentet, sed oculos quoque nostros, manus, pedesque, si offendiculo nobis debet esse ac cursu pietatis: quin nec vita nostra nobis debet esse adeo cara, ut cœlestis beatæque vitæ gratia eam per-



dere recusemus Matth. 5. 29, 30. & cap. 10. 39. Nam etsi totum mundum perdamus, etsi uri, cremari, affari, & in mille partes secari patiamur, nihil tamen perdimus, si lucremur vitam æternam. At si hanc perdamus, totus mundus nobis nihil prodest, quia non potest nos liberare à morte. Si totum mundum perdamus, nihil perdimus; sed si vel minimum tantum aliquid ex mundi amore retineamus, periculum est, ne omnia perdamus; sumus enim in periculo amittendæ salutis, qua amissa, simul omnia amissa sunt. Quemadmodum enim parum fermenti totam massam fermentat, vel sicut minimum granum zizaniz cum tempore tantas sumit vires, ut tritico fiat superius idque enecet: ita etiam minima scintilla amoris mundi eam vim habet, ut magis magisque crescat & in maximam flammam exurgat, quæ flammam amoris rerum cœlestium penitus exstinguat.

Jam ut hanc exhortationem nostram concludamus, Dilectissimi in Domino, cum hæc ita se habere sciamus ac intelligamus, omnem adhibeamus curam atque diligentiam, ne tam magna salute, ac felicitate, ad quam per summam Dei misericordiam vocati sumus, culpa nostra excidamus. Videmus portum vitæ æternæ oculis nostris per sublimem Evangelii cognitionem: porta cœli patet nobis per immensam Dei erga nos charitatem. Solvamus à littore hujus ignobilis mundi, & rectissima ac brevissima via per apertum mare pietatis & observationis mandatorum Dei, quod nos trajicere oportet, exoptatum portum petamus. Evehamur in altum, ubi à scopulis & offendiculis nullum sit periculum. Ne timeamus procellosas tempestates ac fluctus, qui in nos hoc æquor fulcantes crebro insurgunt. Certi simus, naviculam fidei ac spei nostræ fluctibus non iri obrutum, neque facturam naufragium, sed Deo duce & auspice ad desideratum portum perventuram. At si obliquam insistamus viam, & queramus ambages, perque longos circuitus, littora tantum hujus mundi legamus, ut aliquando exscendere in terram, mundi que deliciis aliquantisper indulgere liceat, summo tumus in discrimine, ne via ista alioversum nos ducat, non ad vitam æternam, vel ne tam negligenter ac tarde navigando moriamur ante, quam ad portum pertingamus, vel ne navem nostram ad densos & hinc inde sparsos mundi scopulos allidamus, & naufragi submergamur. *Ne erremus: Deus enim non irridetur.* Gal. cap. 6. vers. 7. Demus operam, ut hodie, imo hac ipsa hora apparere incipiat, quam alte in animos nostros descenderit præstantia & dignitas vitæ æternæ, de qua modo audivimus, ut si non verbis, cogitatione saltem dicamus: Quid faciemus, ut vitam æternam consequamur? *Teneamus diligenter ea, quæ audivimus, ne quando persuamus. Etenim si per Angelos dictus sermo fuit firmus, omnisque transgressio & contumacia justam mercedis retributionem retulit: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Hebr. cap. 2. vers. 1, 2. Videamus, ut accurate ambulemus, non ut insipientes, sed ut sapientes. Eph. cap. 5. vers. 15. *Perficiamus salutem nostram cum timore ac tremore.* Phil. cap. 2. vers. 12. ac bene perpendamus illa notatu digna Domini Jesu verba ad Ecclesiam Laodicensem scripta: *Quoniam tepidus es, nec frigidus, nec fervidus, futurum est, ut te evomam ex ore meo.* Apoc. cap. 3. vers. 16. Quod si verò corda nostra incaluerunt cupiditate tantæ salutis, si impulsu istius cupiditatis summa cum perseverantia in bonis operibus queramus gloriam & incorruptibilitatem, adeoque si victores evadamus, & fidei maneamus usque ad mortem, accipiemus certo tertius auream illam beatæ vitæ coronam. Apoc. cap. 2. vers. 10, 11. Qui habet aures ad audiendum audiat. Deus autem Pater omnis misericordiæ obfignet in cordibus nostris per spiritum suum sanctum beatam illam spem, ad quam nos vocavit, ut aliquando attingamus metam fidei nostræ, id est, animarum nostrarum salutem. Ipsi cum Filio ejus Jesu Christo sit honor & gloria sempiterna. Amen.

## Secunda Concio super Iohan. 17. 3.

Plurimum dilecti in Christo Jesu Domino nostro.

**Q**uod lux & tenebræ sunt oculis hominum, idem est animo Sapientia & stultitia. Quemadmodum enim lux omnia abdita facit conspicua, oculisque subicit; contra verò tenebræ omnia quæ in oculos incurunt, obscurant, & inconspicua reddunt: ita sapientia ea omnia, quæ solis sensibus capi nequeunt, objicit oculis intellectus humani, ut is eorum naturam, proprietates ac veritatem cernat cognoscatque, cum interea stulto ac insipienti omnia ignota atque occulta sint. Quam ob causam sapientia summa gaudia & ineffabiles voluptates parit in animo ejus, à quo possidetur; cor autem insipientis semper tristitia refertum est. Sapientiz beneficio potest homo bonum à malo, utile à noxio discernere, adeoque vitam suam beatam efficere; quia novit, quid sequendum sibi, quid fugiendum sit: at insipiens per ignorantiam modò malum pro bono, aut noxium pro utili eligit, modò pro malo ac pernicioso bonum ac utile vitat, atque ita in tota vita sua miser ac infelix est, cæcique instar nunc hic, nunc illic impingit. Hinc videmus, passim sapientiam ab omnibus hominibus in summo honore; insipientiam verò dedecori haberi: adeò ut in universo mundo reperitur nemo, qui si quid sapientia sit, aliquomodo intelligat, possit æquo animo ferre ac concoquere, si stultus aut insipiens appelletur, tamen parum admodum veræ sapientiz in animo suo habeat. Licet quoque agnoscant plerique, plurimum ipsis ad veram sapientiam deesse, existimant tamen, se in suo statu & actionibus vocationis suæ tam prudentes ac sapientes esse, ut facta sua pro stolidis reputanda non sint; neque pati possunt, si imprudenter aliquando ab ipsis commissa, sibi exprobrentur. Ex quo liquet, naturam ipsam stimulare homines ad studium sapientiz, quo fiant perfecti homines: siquidem solus intellectus ejusque perfectio hominem ab aliis animantibus discriminat.

Jam verò quæ sit vera & perfecta sapientia, ad cuius studium homines à natura incitantur ac impelluntur; quæ in re consistat, & quibus paretur modis; id ab ipsis mundi incunabulis usque ad Christi Filii Dei in terras adventum homines latuit, caliginosæque nocte ignorantiz contactum fuit. Etsi enim Deus semina quædam veræ sapientiz in prima creatione animis hominum inseverit, quæ si homines ope intellectus sui fovissent & excoluissent, optimum fundamentum ad perfectissimam illam sapientiam, quæ à Filio Dei revelanda erat, sternere potuissent: sed homines ea neglexerunt, & nobilissimam intellectus sui facultatem, ad talem converterunt sapientiam, quæ potius irrationalis ac insipiens est, quam ut rationalibus creaturis conveniat. Nimirum eo direxerunt omnes ingenii vires, ut sibi fortunam in terris itabilem pararent, bonis hujus mundi ex animi sententia fruere, & opibus, honoribus ac voluptatibus carnis undique circumfluerent, atque sic felicitatis terrenæ compotes evaderent. Quæ felicitas cum à corpore tantum percipiatur, & externos duntaxat sensus pascat, non multum præstat brutorum animalium felicitate. Vera namque felicitas, ad quam homo, qui homo est, ductu luminis naturalis adspirat, sola est æternitas cum infinito gaudio conjuncta: hac sola hominis animus expletur & penitus acquiescit. Tale gaudium autem homines etiam ex omnibus hujus mundi bonis capere nequeunt: cito enim ex eis oritur satietas & fastidium. Ubi enim eo, quod tota mente desiderarunt, potiti fuerint, perit facile gaudium ex ejus adeptione conceptum, & nova mox sublimioris ac pretiosioris alicujus boni cupidine inardescunt. Unde patet, sapientiam istam, quæ homines ad aliam, quam ad carnalem ac fluxam felicitatem, perducere nequit, neutiquam veram esse, ac proinde non esse illam sapientiam, ad quam natura ipsa nos instigat; sed eam demum veram esse sapientiam, quæ hominem æternum beare, eique immortale & gratissimum animo ejus gaudium conciliare potest. Ejusmodi



modi enim felicitas homini maxime convenit, & elevat eum supra reliquas omnes hujus mundi visibiles creaturas: ex hac perfectam lætitiā adhuc in hac vita quoque percipit, animumque suum perfecte tranquillum reddere potest. Quid enim potest homini esse jucundius, quid animus ejus majus desiderare, spe talis supremæ ac inauditæ felicitatis?

Hæc igitur sublimis ac vere divina sapientia, ut dictum, ab ipsis mundi primordiis in tenebris delituit, neque ab ullo hominum præterquam ab unigenito Dei Filio Orbi suo tempore patefieri debuit, ea mundi nimirum ætate, qua hominum intellectus e pueritia ad virilem quasi statum proventus est, tantæque lucis factus est capax. Quamquam interea quidam, utut pauci, pii omnibus seculis inventi sint, qui insitum illud animis suis veræ sapientiæ semen suffocari passi non sunt, sed pro modulo virium suarum in summo cum gaudio animi excoluerunt, atque ad posterum etiam propagarunt. Quod inter alios præcipue fecerunt magni illi viri, Dei ipsius dilecti amici, Abrahamus, Isaacus & Jacobus; qui etiam propterea magnam à Deo laudem ac gloriam sunt consecuti. Deus enim etiam ante Filii sui adventum, nulli hominum, qui modo animum suum supra terram ad ipsum erexit & elevavit, minorem quidem, sed veram tamen, ac salutarem, denegavit sapientiam, revelando unicuique tantum voluntatis suæ, quantum ferebat illorum capacitas: multis etiam, ac in primis universo Judaico populo per servos suos ac Prophetas eam offerre dignatus est; tamen hunc tam ingentem thesaurum, ut par erat, non tanta effuderit copia ac veluti prodegerit, ita ut etiam ante porcos projiceretur.

Solus proinde Unigenitus Dei Filius, servator mundi, ac Dominus noster Iesus Christus ille est, qui hanc admirabilem faciem sapientiæ, claro ac pleno fulgore coruscantem, in mundum intulit. Ille est, qui vitam & incorruptibilitatem in lucem produxit per Evangelium: 2 Tim. 1. 10. Quod ipse initio in Judæa prædicavit, postea autem opera Apostolorum per universum orbem terrarum, quas sol lumine suo collustrat, summa cum virtute, & ingenti cum gaudio eorum, qui id susceperunt, promulgavit. De hac via veræ sapientiæ ac felicitatis animus nobis est nonnulla nunc in medium vestri cum timore Domini proferre, idque occasione invitatis illorum paucorum Christi verborum Joh. 17. 3, quorum explicationem superiori concione jam auspicati sumus. Quod ut vergat ad nostrum spirituale emolumentum ac ædificationem opem atque auxilium implorabimus illius Principis vitæ Jesu Christi Domini nostri, hisce verbis sequentibus.

O Domine Jesu, servator & Pastor animarum  
nostrarum &c.

**V**erba, in quorum explicatione pergere instituimus, scripta extant in Evangelio Johannis 17. 3. ubi Christus Dominus noster in sanctissima precatione sua, quam ad Deum Patrem suum fudit, inter cætera sic loquitur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Pater) illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.*

In præcedenti concione horum prælectorum Christi verborum occasione, pro ea, quam ex Sacris Literis hausimus, intelligentia, descripsimus præstantiam atque dignitatem illius perfectissimæ felicitatis, ad quam homines à natura feruntur, quæque nobis in codice Novi Testamenti, atque etiam in hoc nostro textu sub nomine vitæ æternæ proponitur. Quæ felicitas si ab homine cognoscatur, darique modum eam assequendi intelligatur, protinus in eo, cujus animus aliquantum supra conditionem animantium rationis expertum se extulit, parit ineffabile gaudium, & cum eo conjunctum flagrantissimum desiderium & studium ea media capessendi, quibus tantum bonum obtineri queat.

Hæc autem media nobis Christus monstrat in hisce verbis, cum ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te*

(Pater) illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.

Dicit primum, *Hæc est vita æterna*, pro eo, quod dicendum erat, *Hæc est via ducens ad vitam æternam*; vel, hoc est medium consequendi vitam æternam. Quæ loquendi ratio in Sacris Literis non est insolens ac infrequens. Sic Christus idem loquitur apud eundem Euangelistam: *Scio, præceptum ejus vitam æternam esse.* Joh. 12. 50, id est, observationem mandatorum Dei esse medium adipiscendi vitam æternam. Et iterum: *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum*, &c. Joh. 3. 19, id est, hoc modo homines judicium seu damnationem sibi accersiverunt, quod lucem non susceperint. Ita Moses quoque dum affatur Judaicum populum, de lege ait: *Non in cassum vobis præcepta est, sed est vita vestra.* Deut. 32. 47.

Porro Christus medium ipsum exprimit, cum inquit, *ut cognoscant te (Pater) illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Nimirum cognitio unius illius veri Dei & legati ejus Jesu Christi, est medium illud, quo vita æterna comparari potest.

Hic vero cavere debemus, ne similes simus illi Syro Naamano, de quo legimus in libris Regum, 2 Reg. cap. 5. 10, 11, eum sprevisse Elisæi Prophetæ consilium, quo præceperat, ut septies in fluvio Jordane ablueret corpus, si vellet à lepra sua mundari: ne scilicet & nos, audito hoc vitæ consequendæ medio, quod nobis Christus præscribit, id solumque de quo habeamus ac vilipendamus, cogitantes intra nosmet ipsos; nimis facilem hanc esse ad cælum perveniendi viam, si quidem nihil amplius, quam nuda cognitio à nobis requiratur; hoc medium esse naturæ nostræ apprime consentaneum, ut quæ scire atque intelligere quàm plurima cupiat. Verum quidem est, viam salutis æternæ ob hanc rationem non pro adeo ardua ac invia habendam: cum sit via publica & universalis, quam omnes & lingui homines, cuiuscunque status ac conditionis fuerint, viri ac mulieres, superioris & inferioris ordinis, docti & indocti, sapientes ac idiotæ, qui modo sanæ rationis naturalis usum habent, in cælum aspirare queunt. Quemadmodum enim Deus desiderium vitæ æternæ omnibus hominibus naturaliter indidit, ita quoque talem viam ad vitam istam perveniendi præscripsit, quæ accommodata est naturæ hominum, quatenus sunt homines, id est, rationalia animalia; quam ipsa ratio ipsorum naturalis agnoscere cogitur esse optimam, sapientissimam, & æquissimam, ut ita ipsius naturæ suæ impulsu viam hanc ingrediantur, si naturale desiderium suum, quo vitam æternam ac beatam appetunt, expleri cupiant. Nihil autem est facilius factu, quam id, ad quod à natura ipsa impellimur ac stimulamur. Nihilominus tamen, si consideremus, quam pauci reperiantur homines, qui in suis concupiscentiis ac desideriis, in actionibus ac moribus, in vita ac tota conversatione sua ductum naturæ suæ, rationalis, per quam sunt homines, sequantur; sed quod maxima pars eo toti propendeant, quo à carnis suæ affectibus atque externis sensibus, quos cum aliis animantibus communes habent, trahuntur: negari nequit, talibus hominibus viam salutis esse vere asperam, salebrosam, & angustam viam, arctamque portam: Matth. cap. 7. vers. 13. viam, quæ ipsis molestissima est, quamque nonnisi reluctante animo ingrediuntur, quia cum ipsorum belluina natura, quam ducem ut plurimum sequuntur, disconvenit.

Sed ut ad rei jugulum veniamus, circa hanc viam salutis, seu circa cognitionem illius solius veri Dei, & quem ille misit, Jesu Christi, tria nobis sunt expedienda. 1. Videndum, ubinam ista cognitio revelata sit, & ubi quærenda? 2. Quid voce cognitionis denotetur? 3. Quænam personæ nobis cognoscendæ sint? De his tribus summatim nunc tantum agemus: tertium autem in sequenti concione, si Deo visum fuerit, plenius & copiosius excutiemus.

& copiosius excutiemus. Simul his indicabimus fructum immensum ac utilitatem, quam ex cognitione Dei & Christi haurire possumus.

PRIMA PARS.

**Q**uod ad primam partem attinet, non aliam hisce temporibus habemus de cognitione Dei & Christi revelationem, præter sanctissimum ac incorruptum Dei Verbum, quod scriptis Veteris ac præcipue Novi Instrumenti continetur. Quorum scriptorum veritas ac fides hodie à nemine in dubium vocatur, qui se vere ad populum Christi pertinere profitetur; sed agnoscunt omnes, ea quæ in iis præscripta ac revelata sunt, nihil nisi meram & ipsissimam veritatem divinam esse. Antiquis temporibus, nempe in prima ac puerili ferme mundi ætate, Deus se hominibus manifestavit per Angelos, visiones, somnia, ut & per Prophetas ac viros sanctos, quos divina auctoritate ac mandatis instructos, mittebat ad annunciandam hominibus voluntatem suam. Nimirum Deus ejusmodi tunc mediis usus est notitiam suam hominibus inferendi, quæ primo feriebant sensus, quibus pueri maxime ducuntur, & per sensus demum movebant intellectum. Sed hunc revelationis modum voluit Deus finire ac desinere in Filio suo Jesu Christo, postquam mundus virile robur ætatis suæ attigit. Sicut enim Christus ultimus fuit Prophetarum, adeoque revelationum januam quasi clausit: ita Deus per eum, nihil prorsus sibi reservans, omnia mundo patefecit, & tanquam flumina sapientiæ effudit, in iis rebus, quæ ad perfectissimam ejus cognitionem, quatenus illa hominibus ad salutem necessaria est, requiruntur. Quæ cuncta per eum patefacta Deus ad summam nostram consolationem ac utilitatem per viros sanctos ac divinitus inspiratos curavit scriptis consignari, eaque ad nostra tempora conservavit, ut ex iis omnibus temporibus usque ad mundi finem homines viam salutis discere queant.

Ex quo patet, quanta sit dignitas & præstantia Sacrae scripturæ, & quanto illa in præcio ac reverentia apud nos esse debeat: nec non quam necessarium sit, ut in ejus meditatione nosmet assidue exerceamus, nostrumque intellectum per insignem, quæ in ea continetur, sapientiam acuamus & ad istam perfectionem perducamus, ad quam à creatore nostro etiam ex ipsa natura destinati sumus. Præter hæc enim Sacra scripta nullam aliam hodie revelationem habemus, neque per Angelos, visiones, ac somnia, neque per Prophetas, nullaque alia etiam nobis expectanda est, quæ nobis vel hanc eandem, vel aliam salutis viam monstrant. Quapropter non audiendi sunt omnino illi homines perversi ingenii & cauteriatam conscientiam habentes, qui hodie Satanæ instinctu docere non verentur, non omnia in Sacris Literis contineri, quæ ad salutiferam cognitionem Dei Christi que necessaria sunt, sed requiri præterea Traditiones non scriptas antiquorum Ecclesiæ Doctorum, qui eas ab ipsis Apostolis acceperint: docent præterea, Sacram Scripturam adeo obscuram ac intellectu difficilem atque ambiguam esse, ut pro via salutis fores ac fenestram aperiat omnibus hæresibus, ac propterea non ab omnibus hominibus promiscue esse legendam. Ajunt enim, eam à nemine posse recte intelligi, atque explicari, nisi ab eo, qui peculiariter Spiritu sancto illuminatus, atque sic aptus ad interpretandam scripturam divinitus factus sit. Talem autem inter mortales neminem reperiri prædicant, de quo irrefragabiliter dici queat, eum Spiritu sancto illuminatum unctumque esse, ac proinde verum sensum scripturæ indicare posse, præter illum falsum Prophetam, ex cujus ore Johannes vidit exire tres immundos Spiritus tanquam ranas: Apoc. 16. 13. quique suo tempore virum conjiceretur in lacum ardentem igne & sulphure. Ibid. cap. 19. 20. Hæc pestifera doctrina Satanæ, inquam, nobis plane audienda non est. Falsitas enim ejus adeo clara est ac manifesta, ut facile sibi ab ea cavere possit, quisquis salutis suæ ex animo studiosus est, & divinam sapientiæ lucem, quæ in Sacris Literis

relucet, apertis animi sui oculis intuetur. Atque hæc de prima parte dicta sufficiant.

SECUNDA PARS.

**Q**uod secundam partem spectat: quid scilicet per cognitionem hoc loco intelligatur? posset quisquam mirari, quod cognitioni hic tanta adscribatur vis, ut per eam solam vita æterna obtineri queat: cum *cognoscere*, id est, scire, intelligere, merum opus intellectus sit, Deus autem passim in verbo suo aliquid amplius adhuc requirat, nempe charitatem, fidem, obedientiam, uti omnibus notum est. Vide Matt. 22. 37. Joh. 15. 10. Verum animadvertendum est, per cognitionem hoc loco non omnis generis cognitionem ac scientiam intelli. Paulus Apostolus ad Corinthios scribit: *si habeam prophetiam & teneam omnia mysteria, omnemque cognitionem, charitatem autem non habeam, nihil sum.* 1 Cor. 13. 2. Et Christus ipse ait: *servus illi qui novit voluntatem domini sui, & neque se comparavit, neque fecit ex voluntate ejus, cadetur multis plagis.* Luc. 12. vers. 47. Hæc igitur cognitio atque scientia, non illa est, de qua Christus in nostro textu loquitur. Adscribit enim in eo cognitioni vitam æternam: in allegatis autem modo locis significatur, hominem etiam scientia & cognitione præditum, posse perire ac infelicem esse. Judæi quoque instructi erant aliqua cognitione Dei ac voluntatis ejus; & tamen Deus per Esaiam Prophetam ita de eis effatur: *Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; sed Israël non cognoscit, populus meus non animadvertit.* Tenendum proinde est, cognitionem, cujus in Sacris Literis crebra occurrit mentio, duplicem esse: aliam, quæ vocatur efficax cognitio, alteram, quæ inefficax. Efficax cognitio est, quando id quod de Deo & Christo cognoscitur ac intelligitur, non in solo intellectu & memoria otiosum manet, ac residet, sed movet animum hominis atque in eo operatur ita, ut fidem & obedientiam in homine producat, id est, ut ad intelligentiam accedat sincerus assensus animi, & voluntatis divinæ intellectus prompta executio. Inefficax contra cognitio est, quando talis operatio & fidei atque obedientiæ productio ex ea non sequitur. Usitata verò in divinis Literis est, ita locutio, qua rei alicui id tribuitur, quod eam consequitur aut necessario nexu cum ea conjunctum est. Simili enim loquendi modo etiam fidei (quæ vox proprie non nisi assensum animi denotat) passim in scripturis tota salus nostra adscribitur: quia nimirum ex tali assensu oritur ac necessario consequitur hic effectus, ut quis in actum deducat, vel deducere obligatus sit id, quod credit Deum velle fieri. Pariter etiam hic cognitio Dei sumitur. Uti enim obedientia cum fide copulata est; ita etiam fides ac obedientia cum cognitione Dei conjungitur. Qui enim Deum novit, id est, scit atque intelligit, quid nobis promiserit & præceperit, is illico istis fidem adjungit, & porro re ipsa præstabit, quæ Deus exigit: liquidem summa perfectio & omnipotentia Dei, creatoris ac Domini supremi rerum omnium, nos non sinit dubitare de ipsius promissionibus, & mandatis ejus refragari. Qui enim dubitat de Dei promissis, is non novit Deum, id est, ignorat, quam Deus verax sit: qui verò mandata Dei novit, eaque non servat, is peccat contra suam conscientiam & ex mera malitia. Inque hac significatione vocabulum cognoscendi & cognitionis passim in Sacro codice usurpatur. Ita inter cætera legimus apud Jeremiam Prophetam, Deum sic loqui: *Ne gloriatur sapiens in sapientia sua, neque potens in potentia sua, neque dives in divitiis suis; sed qui gloriatur, in hoc gloriatur, quod me cognoscat atque intelligat: quia hoc est, quod mihi placet, dicit Dominus.* Jer. 9. 23, 24. Ita apud eundem Prophetam, ubi Deus salutaria Novi Foederis beneficia pollicetur, ait: *Non docerunt amplius quisque amicum suum & fratrem suum dicendo: Cognosce Dominum, (id est, obediens esto Domino) sed quotquot erunt cognoscent me (id est, mihi obediens erunt) à minimo eorum usque ad maximum eorum.* Jerem. 31. vers. 34. Sic de pio Rege Josia inquit



Jeremias : *Exercuit jus & iustitiam , iudicavit causam pauperis & egentis , ac bene fuit ei. Nunquid hoc non est me bene nosse ? inquit Dominus.* Jerem. 22. vers. 16. Eodem sensu accipit Paulus vocem cognitionis ad Philipenses scribens : *Duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi.* Phil. 3. 8. Et ad Titum appellat fidem electorum Dei , *cognitionem veritatis , quæ est secundum pietatem.* Tit. 1. 2.

Ex hæcenus dictis irrefragabili consequentia concluditur , cum hic *cognitioni* Dei ac Christi , alibi verò in Sacris Literis Fidei atque obedientiæ vita æterna adscribatur , necessario fidem & obedientiam sub cognitione Dei Christique comprehendere , & ad eam requiri ita , ut omnia , quæ de Deo ac Christo tam ad naturam seu essentiam ac proprietates , quam ad opera eorum spectantia , novimus ac intelligimus , ad cultum & obsequium Dei , tanquam ad ultimum finem directa sint. Tantum verò etiam de secunda parte.

### T E R T I A P A R S .

**S**equitur pars tertia ; quænam sint illæ personæ , quæ nobis cognoscendæ sint ? Christus verò hic duas personas nominat ; primò Patrem suum , cum ait : ut cognoscant te *illum solum verum Deum* ; deinde seipsum , dicens , *Et quem misisti Jesum Christum.* Patrem suum , (quem intelligit per pronomen *te* , cum ait , *ut cognoscant te*) non simpliciter ponit , sed addit ejus descriptionem insignem : *Te* , inquit , *illum solum verum Deum.* Sic etiam seipsum non simpliciter nominat , *Jesum Christum* , sed cum hac descriptione , quod ab illo uno vero Deo missus sit . Ex quibus descriptionibus excellentia & majestas ambarum istarum personarum , ac per consequens etiam præstantia hujus cognitionis æstimanda est.

Jam de istarum duarum summarum ac divinarum personarum cognitione duo nobis hic notanda sunt . Primum est , non luccere ad salutem , solum Deum cognoscere , ac credere , eum esse solum verum Deum ; acque etiam sufficere , ipsi soli servire mandatisque ejus obtemperare ; sed requiri necessario , ut etiam legato ejus Jesu Christo serviamus , ut eum non minori reverentia ac honore , quam Deum ipsum colamus , in eum credamus , obsequiumque ei in omnibus præstemus : id est , ut Deo per Jesum Christum , quem ille misit , ut esset salutis nostræ mediator , serviamus . Hæc est enim fundamentalis regula Novi Fœderis : *Quisquis negat Filium , nec Patrem habet.* 1 Joh. 2. 23. *Qui Filium habet , habet vitam æternam ; qui non habet Filium , non habet vitam æternam.* 1 Joh. 5. 12. *Qui novit Filium , novit etiam Patrem.* Joh. 14. 9. In eo enim consistit Novi Fœderis præstantia , quod Deus se nobis cognoscendum dederit , non obscure , ut olim per Moysen , qui tantum servus erat , sed clarissime ac plenissime per Jesum Christum Filium suum unigenitum , quem modo excellentissimo sanctificavit , ac divina virtute ac sapientia implevit , supremumque salutis nostræ administratorem constituit . Qui Filius simul etiam est ex nostro genere , nempe verus homo , qui ad ineffabile solatium nostrum per omnes gradus tentationum exercitus est , ut possit affici sensu nostrarum miserationum . Hunc , inquam , Deus Dominum ac Regem in coelis effecit . Per hunc se Deus ille inconspicuus quodammodo conspicuum fecit , & quasi in viva imagine manifestavit : unde etiam ab Apostolo Paulo *imago Dei invisibilis* appellatur Col. 1. 15 , quia nimirum tam in vita & actionibus , quam in cœlesti doctrina seu Evangelio Christi forma Dei eluxit . Idem Christus à divino scriptore ad Hebræos nuncupatur *splendor vel effulgentia gloriæ Dei* Hebr. cap. 1. vs. 3. quia Deum in Christo videmus non aliter , quam solis clarissimum lumen , quia recta aspicere oculi nostri non valent , in lucido aliquo corpore , à quo radii solis repercutiuntur ac reflectuntur , cernimus . Hinc etiam Christus ipse dixit Philippo : *Qui videt me , videt Patrem meum.*

Alterum , quod hic notandum diximus , est , cogni-

tionem Dei & Christi , quatenus illa est causa vitæ æternæ , & à nobis necessario requiritur , non omnia & singula comprehendere , quæ ullo modo de Deo Christo . que sciri possunt , sed ea duntaxat , quæ scitu ad salutem sunt necessaria . Nam sicut Deus inconspicua & incomprehensibilis substantia est , habitatque in luce inaccessible ; ita etiam Christus in cœlum erectus , & ad dextram Dei collocatus , factus est *Spiritus vivificus* 1 Cor. 15. 45 , & divinæ naturæ eminentissimo modo particeps : ut proinde nobis miseris vermiculis impossibile sit , in hoc fragili corporis nostri domicilio Deum & Christum cognoscere perfecte , quales sint , quomodo eos olim in beato immortalitatis statu cognoscemus . Omnis enim nostra scientia atque cognitio de rebus divinis hic in terris est mera imperfectio , & similis infantium balburiei , vel visui eorum , qui fulgorem rei alicujus procul remotæ per speculum intuentur . 1 Cor. 13. 11, 12. Interea tamen hæc ipsa scientia & cognitio Dei & Christi , quæ nobis in Sacris Literis revelata est , cujusque in hac vita possumus fieri participes , imo istius cognitionis in scriptura revelatæ illa tantum particula , quæ ad salutem omnimode necessario est , summe præstans sapientia est , & quasi rivus ex inexhausto sapientiæ Dei Oceano promanans : quippe quæ nos summo bono , quod animum nostrum unice fatiat , beare potest .

Hic vero incidit gravis ac maximi momenti quaestio , cujus solida solutio , hoc præsertim confuso ac conturbato statu Orbis Christiani , summe est necessaria . Nimirum quoniam articuli de Deo & Christo sint creditu omnino necessarii , ita ut absque eorum scitu ac cognitione nulla spes vitæ æternæ haberi queat ? Hic enim se pandit abyssus ineffabilis miseriæ , quæ orbem Christianum hodie cum multorum millium innoxiarum animarum interitu temporario atque æterno involvit ; ex qua profluunt irreconciliabiles pugnae , contentiones , dissidia , odia , persecutiones , quin & bella sanguinisque profusiones : dum scilicet numerus articulorum fidei ad salutem necessariorum adeo excrevit , ut omnes memoria teneri , etiam ferme à doctissimis & exercitatissimis , nedum à simplicioribus ac rudioribus queant . Unde fit , ut qui pro suæ scientiæ ac conscientiæ ratione non omnibus articulis calculum assensus sui possunt adjicere , quos hæc vel illa secta pro necessariis habet , mox odio habeantur , persecutionibus vexentur , proscribantur , imo ferro & igne in eos sæviatur . Primi Christiani ævo Apostolorum propiores , salutarem cognitionem Dei & Domini nostri Jesu Christi paucis articulis comprehendam tenuerunt : illi nimirum Christiani , qui magis studuerant habere bonam conscientiam , quam magnam scientiam ; qui decus Christianæ religionis collocabant in dilectione ac virtutibus inter Judæos & Ethnicos exercendis ; qui minus , quam hodie fit , distrahebantur curis rerum temporalium ; quibus volupe erat , sanguinem suum cognitionis Christi causa profunderi ; ita ut non alios facerent martyres , sed ipsi martyrio se coronari ultro paterentur . Tunc temporis brevissima symbola atque confessiones fidei connectæ sunt , quas ubi qui ad Christianam religionem se applicabant , susceperunt ac professi sunt , Ecclesiæ Christi per baptismum aggregabantur , & pro membris ejus habebantur . Tale symbolum seu Confessio fidei fuit inter alias illa , quæ hodie adhuc symbolum Apostolicum vocatur , & tres articulos , quorum primus de Deo Patre agit , alter de Filio ejus Jesu Christo , tertius de Spiritu Sancto , complectitur . Quamquam symbolum istud non ab Apostolis ipsis compositum confectumque est , ut hodie plerique Christianorum sentiunt : potest tamen eo sensu Apostolicum dici & pro tali admitti , quatenus nihil in eo est , quod Apostolicæ doctrinæ sit contrarium . Alioqui symbolum istud non est omnium antiquissimum ac simplicissimum . Nam successu temporis subinde est auctum , & unus atque alter additus est articulus , quorum in vetustissimis symbolis , qualia in scriptis antiquorum Patrum Irenæi & Tertulliani extant , nulla sit



mentio. Verum postmodum, ubi sub Constantino Magno Cæsare, qui Christianam religionem primus inter Imperatores amplexus est, Christianus orbis à sævissimis persecutionibus, quibus ab Ethnicis Imperatoribus vexatus est, respirare coepit, & infelix Ecclesiæ discordia, quæ antea sub cineribus persecutionum adhuc delitescbat, in flammam apertam erupit, præsertim illa, quæ inter Patriarcham Alexandrinum & Presbyterum ejus Arium de persona Christi exorta est: ad litem hanc componendam congregatum fuit Nicænum Concilium: & post hoc alia plura concilia atque conventus Episcoporum habiti sunt. In quibus præfata Apostolica & Sacris Literis consentanea Symbola mutata sunt, novisque, absurdis, & à Platonica Philosophia mutuatis figmentis permixta, & orbi Christiano tanquam ad salutem omnino necessaria, sub anathemate & denunciatione sempiternæ damnationis obtrusa sunt. Quæ figmenta deinde cum tempore per frequentia Concilia adeo multiplicata sunt, ut jam via salutis plana & trita conversa sit in labyrinthum inextricabilem; ex quo ut se expediant, vix excellentissimis judicio viris, & nonnisi per singularem Dei gratiam, insigni pietatis studio præditis contingit. Quamquam multis simplicitas & ignorantia spinosæ Scholasticæ philosophiæ, vel potius sophistice, plurimum prodest, dum simplicem veritatem inscii corde sincero retinent, & pro ea Deo ac Domino Jesu filiali cum fiducia ac obedientia serviunt: cum alioqui vi dogmatum, quibus à suis doctoribus imbuuntur, si ea recte intelligerent, cum maxima aliorum multitudine in sempiternum exitium pertraherentur.

Sed ut ad rem ipsam accedamus, ac declaremus, quoniam articuli fidei ad salutem Dei ac Christi cognitionem præfate sint necessaria; principio pro fundamento ponendum est, cum ad salutiferam cognitionem Dei ac Christi omnino requiratur vera fides atque obedientia, ut supra ostensum, inde necessario consequi, quod ad talem cognitionem omnia illa præfate necessaria sint, sine quibus credi in Deum & Christum, eisque obediri non potest. Secundo discrimen faciendum est inter resicita ad salutem plane necessaria, & inter utiles tantum. Non enim quicquid utile est, statim necessarium est ad salutarem cognitionem: sunt etiam quædam certas ob circumstantias utiliora, quam alia. Omnis veritas in scriptura revelata, habet suam utilitatem ad salutiferam cognitionem; sed non omnis veritas est adeo necessaria, ut citra dispendium salutis ignorari nequeat. Quod discrimen si observaretur, & ea solum ab hominibus Christi fidem proficientibus requirerentur, quæ sine salutis iactura ignorari non possunt, in reliquis autem unicuique libertas sua facta tecta relinqueretur, alterque alterum per charitatem toleraret, tollerentur omnia schismata ac dissidia, quæ nunc Christianos in tot partes sciderunt.

Hoc jacto fundamento, ut necessaria à minus necessariis, etsi utilibus, discerni possint, sequentes regulæ firmiter ac constanter tenendæ sunt. Primum oportet, ut ea quæ necessaria esse creduntur scitu ac creditu, sint necessaria unicuique, qui servari cupit, id est, tam doctis quam indoctis, tam ingeniosis quam hebetibus, tam doctoribus, quam auditoribus. Cum enim via salutis sit universalis, ac pateat omnibus ac singulis absque discrimine status ac conditionis, perspicuum est, etiam cognitionem necessariam, in qua via hæc sita est, debere ita comparatam esse, ut promiscue ab omnibus ac singulis capi atque intelligi possit. Ei quidem qui alios docet, plus scire convenit, quam auditori, sed non tanquam necessarium ad salutem, verum tanquam utile ad munus, quo fungitur, ut unumquemque in omnibus erudire, & veritatem adversus adversariorum impugnationes tueri atque defendere possit. Secundo oportet, ut quod scitu ac creditu necessarium est, omni tempore sit necessarium. Quod enim tanquam necessarium hominibus à Deo propositum est; tamdiu necessarium manet, donec id Deus

ipse mutet. Quod uno tempore necessarium est, alio autem non necessarium, id non est simpliciter necessarium, quod ad fidem attinet. Est quidem nonnunquam necessarium, ut aliquid uno tempore fiat vel omittatur, quod alio tempore fieri vel omitti necesse non est, nimirum si res aliqua infirmis sit offendiculo, aut pacem in Ecclesia Domini turber, ubi postulat charitas, ut nonnihil infirmis indulgeatur: sed hæc talia ad fidem non pertinent. Ita Paulus Apostolus Timotheum in gratiam Judæorum circumcidi passus est. Act. 16. vers. 2. Ita jubet quoque, ut infirmorum causa ab idolothytorum esu abstinetur. Rom. 14. vers. 13. Tertio oportet, ut quæ ad salutem prorsus necessaria sunt, ita sint comparata, ut de iis tuto ac libere sententia salutis vel damnationis ferri possit; ut nimirum dici queat de unoquoque: Qui hoc vel illud non credit, Deo servire ac porro servari nequit. Et contra: Qui hoc vel illud credit, & (quod necessario addendum est) sic vivit, servari non potest. Potest enim fieri, ut aliquis credat damnosum, nec tamen secundum eam fidem vitam instituat, sed ita se gerat, quasi contrarium credit; atque huic tali fides ejus ad damnationem non imputabitur. Ut in exemplo: si quis credat, bona opera non esse necessaria ad salutem, etsi is valde noxius ac periculosus error sit, tamen eum non damnabit, si interea pie vivat. Sicut enim cognitio inefficax, quæ fidem & obedientiam post se non trahit, hominem non beat: ita etiam error inefficax, qui incredulitatem & inobedientiam non producit, homini ad salutem non obest; tamen certum sit, hominem talem in valde periculoso statu verari, ne à fide atque obedientia deficiat. Atque hinc sequitur quartum, quod hic tenendum est, ut ea omnia, quæ scitu ac creditu sunt necessaria, sint clara adeo & facilia, intellectu, ut ab unoquoque etiam simplicissimo, qui modo sana ratione præditus est, percipi queant. Hoc enim consentaneum est divinæ bonitatis & erga homines charitatis, cumque scopo convenit, quem Deus spectat; qui nullus alius est, quam ut ei omnes homines servantur atque obediant. Etenim, ut Apostolus ait, *Deus vult omnes homines servari, & ad agnitionem veritatis pervenire.* 1 Tim. 2. 4. *Non vult quemquam perire, sed omnes ad poenitentiam converti.* 2 Pet. 3. 9. *Si Deus ita homines diligit, si vult, si operatur, si desiderat ex animo ac serio hominum salutem, necesse est, ut etiam velit, eos scire posse cuncta ad salutem necessaria.* Atqui ista scire nequeunt, nisi intellectui eorum clare & evidenter proponantur. Si etiam Deus vult, ut homines secundum mandatorum ejus normam ipsi servantur atque obediant, oportet ut mandata clara sint & intellectu facilia. Lex non est lex, si obscura sit, & intelligi nequeat. Lex non ante quemquam obligat, quam intelligatur, præsertim si transgressoribus ejus gravis poena constituta sit. Nulla est justior exculatio, quam in affectatæ ignorantiae, aut impossibilitatis sciendi. Atque huc facit illud Moysi dictum de Lege, cum dixit populo Judaico: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, neque procul positum; nec in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum potest in cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere id perficiamus? Neque trans mare positum, ut causeris, & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed prope te est valde sermo, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias eum.* Testes invoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum. Deut. cap. 30. vers. 11, 12, 13, 14, 19. Ex his omnibus jam efficitur, omnia ea, quæ ad salutem necessaria sunt, vel clare, aperte & ipsissimis verbis in Sacra Scriptura esse expressa, ut ab unoquoque queat intelligi, ea necessaria esse; vel si expressis verbis scripta non sunt, tam clare nihilominus & evidenter posse ex Sacris Literis colligi, ut collectionem istam ac consequentiam tam indoctus quisque ac simplex, quam doctus

capere queat. Unde irrefragabiliter concludere licet, ea ad salutem necessaria non esse, quæ neque expressis verbis in scriptura reperiuntur consignata, neque ex eo quod clarum & expressum est, clara atque evidenti consequentia deduci possunt, sed per obscuras & longe petitas atque subtiles Scholasticorum ratiocinationes eliciuntur. Nam alioqui salus hominum confisteret in tenebrosis ac spinosis consequentiarum subtilitatibus, quæ simplicium hominum captum superant. Et quamvis etiam obscuræ illæ consequentiæ legitimæ ac veræ forent, tamen ob id ipsum ad salutem necessariæ non sunt, quia claræ & evidentes ac obviæ non sunt. Nullus bonæ conscientiæ Iudex vitæ aut mortis sententiam fert de ea re, quæ solis consequentiis nititur; nisi consequentiæ illæ tam claræ sint & faciles intellectu, atque est exempli gratia hæc: Adulterium est poena dignum. Ergo multo magis incestus. Ira damnat hominem. Ergo multo magis homicidium deliberato animo commissum.

Quocirca dici non potest, quam crasse ac graviter errent, qui omnia quæ necessariis fidei articulis annexa sunt, seu quæ ex illis ulla ratione colligi queunt, pari cum necessariis rigore ab hominibus exigunt sub interminatione æternæ damnationis. Hac ratione enim nulla veritas daretur in rebus divinis, quæ ad salutem non foret necessaria: siquidem tota religio Christiana, seu veritas divina ita comparata est, ut in ea omnia inter se mutuo cohæreant, non secus ac in arbore radices, truncus, rami, folia, fructus inter se cohærent, & unum ex alio enascitur. Qui tam rigide agunt, illi sunt causa potissima infelicitis istius & vere impii in Ecclesia dissidii, de quo paulo ante meminimus; ac perinde absurdi sunt, atque si quis diceret; Quicquid cum domo arte cohæret, perfinet ad domum, etiam minimus, qui parieti infixus est, paxillus; ac proinde is qui paxillum ex pariete eximit, vel minimum ex muro lapillum, æque peccat, ac si totam domum everteret; aut qui unum tantum folium ex arbore decerpit, idem facit totam arborem exscindenti.

Tantum est, quod summam de tribus supra dictis partibus, ad salutarem cognitionem pertinentibus, dicere habuimus. Nunc videbimus, quid ex iis ad nostram informationem ac spiritualem ædificationem nobis discendum sit.

### DOCTRINÆ.

**P**rimò considerandum hinc nobis est summa attentione, quid nostri sit officii, si vitæ æternæ hæreditatem adire velimus: nimirum dandam nobis omnem operam, ut cognoscamus Patrem illum solum verum Deum, & quem misit, Jesum Christum. Hoc à nobis exigitur sub promissione vitæ æternæ. Huc quisque indultiam suam debet convertere, qui promissionis istius vult fieri particeps. Nos enim homines etiam alias à natura proni & avidi sumus scientiæ. Plurimi impendunt omnem diligentiam suam, ut quam accurate norint atque intelligant, ea quæ ad negotiationes & temporalem victus acquirendi rationem spectant, ut quam sapientissimè eam instituant. Quidam delectantur naturalium rerum cognitione, & variarum artium mundanarum studio. Sunt qui scandant cælum usque, & cursum solis, lunæ ac siderum metantur. Quique in istiusmodi rebus præ cæteris scientia excellunt, pro sapientibus ac prudentibus habentur. Verum omnes istæ scientiæ etiam excellentissimæ, animum humanum exfariare nequeunt, quia is sua natura ut ad multo sublimius bonum, ita etiam ad multo sublimiorem sapientiam tendit. Ista sapientia in rebus terrenis, ne quidem in hac vita nos beatos potest efficere: sed alia est, quæ id præstare potest, sapientia, illa scilicet, quæ superne venit, quæ casta est, pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum. Jac. cap. 3. 17. Hæc nos sola reddere vere beatos potest, imò etiam in hac vita adhuc replere perfectissimo gaudio per indubitatam spem immortalitatis, quam supra omnia hujus mundi bona expetimus, ac desideramus.

Sed quidnam illud est, quod nobis sciendum est, ut tam insignis sapientiæ compotes reddamur? Christus nos hic expresse docet, cognoscendum nobis esse Patrem illum solum verum Deum & quem misit, Jesum Christum. Paulus Apostolus ait 1 Cor. 2. 2. Non scit quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, eumque crucifixum. Et Jeremiam paulo ante dicentem audivimus: Ne gloriatur sapiens in sapientia sua, &c. Sed qui gloriatur, in hoc gloriatur, quod me cognoscat atque intelligat, dicit Dominus. Jerem. 9. 23, 24. Hæc scientia sola nobis est magnificanda, & totis viribus ad eam contendendum est. Qui in ea sensus exercitatos habent, illi soli sapientes sunt in oculis Dei. Et quid, quæso, ea potest esse dignius ac præstabilius? Quid magis ac locupletius pensare potest, liborem nostrum, quam id, quod omnes res terrenas sua præstantia infinitis modis exsuperat? Id autem est, Deum summum & Jesum Christum nosse, inprimis verò intelligere sanctissima Dei mandata ac cælestia promissa. Hæc cognitio ac scientia nos extollit & elevat supra cælum & terram, supra omnem sapientiam, ad quam humana ratio potest pertingere. Animalis enim homo ista non intelligit, sed spiritus Dei, qui omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, hæc nobis revelavit. 1 Cor. 2. 10, 14. Hanc cognitionem Paulus Apostolus tanquam summum bonum optat Ephesiis, dum ait: Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & revelationis, per cognitionem ipsius; illuminans oculos mentis vestræ, ad sciendum, quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis, & quæ sit supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis, qui credimus, pro efficacia roboris virium ipsius. Ephes. 1. 16, 17. & seqq. Et rursus iidem precatur, ut valeant assequi cum omnibus sanctis, quæ sit illa latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas; & nosse charitatem illam Christi, quæ omnem cognitionem superat, ut impleantur omni plenitudine Dei. Ephes. 3. 18, 19. Et annon certum est, nos omnes teneri vitæ æternæ desiderio? Quid verò utilitatis nobis ad hanc consequendam conferre potest omnis rerum terrenarum scientia? Vana sunt omnia ac fluxa, quæ hic in terris scire ac nosse cupimus; proinde etiam scientia ipsa vana est: sed Deum & Christum nosse, est vita æterna, ut ipsa veritas veridico ore suo testatur. Si quid nobis terrena sapientia ad hanc vitam prodest, ideoque ejus comparandæ causa multum laboris ac molestiæ suscipimus; quanto magis convenit, ut omni cura incumbamus in studium istius cognitionis, quæ habet promissionem vitæ æternæ? Quare si nos vexat cupido sciendi, si sapientiam amamus, si alios præcellere in intellectu cupimus, id unum agamus, ut Deum Christumque cognoscamus. Atque hanc divinam ac cælestem sapientiam hauriamus ex limbo ac vivo fonte verbi Dei: hoc diurna atque nocturna verlemus manu, in meditatione ejus simus assidui, ejusque lectionem nobis in succum & sanguinem convertamus. Sit nobis verbum Dei melle dulcius, & desiderabilius auro etiam purgatissimo, quam plurimo. Psal. 19. 11. Sit Sacra scriptura collyrium oculis nostris Apoc. 3. 18, & lucerna pedibus nostris Psal. 119. 105, ut in hoc perverso ac pravo mundo luceamus tanquam luminaria. Phil. cap. 2. 15. Illa nos divinitus sapientes reddet, & perducet nos ad cognitionem unius veri Dei, & quem ille misit, Jesu Christi, perque hanc cognitionem ad promissam vitæ æternæ ademptionem.

Cæterum quia ex verborum Christi explicatione intelleximus, cognitionem illam Dei & Domini nostri Jesu Christi, quod est medium consequendæ vitæ æternæ, non debere esse inefficacem ac infructiferam cognitionem, quæ in nuda mentis scientia consistat, atque in mente tantum hæreat, sed debere esse vivam, efficacem & actuosam cognitionem, quæ in nobis operetur ac producat vivam fidem, simulque sinceram induciam erga Deum, & sanctam obedientiam: enitatur, ut ea omnia nobis insint, quæ ad tam efficacem ac salutarem cognitionem requiruntur.



tur. Ac primum adhibeamus operam, ut quicquid in ea nobis proponitur, amplectamur tanquam verum Dei verbum, quod nobis cœlitus patefactum est, adeoque de nulla re dubitemus, quæ nobis in ea clari & expressis verbis ob oculos ponitur. Si cognitio hæc salutem nobis asserere debet, opus est ante omnia, ut animus noster de veritate in ea revelata certus ac plenè convictus sit. Arque hæc certitudo ac firma persuasio gignet in nobis spiritum eundem, qui in sacra Scriptura divina cum efficacia se exerit, dum ex ea elucet dignitas, necessitas atque utilitas, earum rerum, quæ in ea continentur, & majestas quædam verborum, plenumque spiritus flumen singularis cujusdam facundiae, quæ manat omni melle ac nectare dulcior, per quam Spiritus sanctus incomparabilem gratiæ Dei thesaurum cordibus nostris inserit, si adhibitis ad Deum seriis precibus omnes nostros sensus ac intellectum ad debitam meditationem conferamus. Ex hac certa animi persuasione de inenarrabili gratia atque amore Dei nascitur filialis ac sincera fiducia, nec non ardens charitas erga Deum tantum nostrum benefactorem ac optimum Patrem. Proprium enim hoc est humanæ naturæ, ut eos vicissim diligamus, qui nos diligunt, nobisque benefaciunt: quæ dilectio tanto major est & ardentior, quò majora sunt beneficia, quibus affecti sumus. Talis autem dilectio non potest non producere in nobis promptitudinem ad omne obsequium. Quis enim non ultro ac summa cum alacritate faciat cuncta, quæ novit grata esse ei, à quo summopere diligitur? si cognitio Dei & Christi, quam ex fonte verbi divini haurimus, hæc omnia in nobis non efficit, si vim tantam in nobis non habet, ut producat veram fidem, charitatem & obedientiam, tum sapientia & cognitio nostra non est salvifica, non affert nobis vitam æternam, sed potius sempiternam damnationem. Non est ille vir sapiens, qui opera facit stulta & amentia, etsi haberet omnem rerum divinarum & humanarum scientiam. Vera sapientia casta est, pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ ac bonorum fructuum: ut ait Iacobus cap. 3. 17.

Quamobrem unicuique cui salus sua cordi est, omni opes studendum est, ut Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum rectè cognoscat, & quidem non otiosa, sed efficaci ac viva cognitione. Non sufficit scire, quid bonum sit. *Qui scit benefacere*, inquit iterum Iacobus, & non facit, is peccato tenetur. Jac. 4. 17. Non sufficit, ut ore tantum & labris ad Deum appropinquemus, cor verò interea procul sit ab eo. Cum talibus enim Deus mirificè agat, modo stupendo & inusitato. Esai. 29. 13, 14. Non sufficit, ut dicamus, Domine, Domine, Matth. 7. 27, ut nomen Dei Caristiquè ore coniteamur: hoc iolum enim nullam habet promissionem vitæ æternæ. Neque prodest promittere Deo obedientiam, si reipsa non sumus ipsi obedientes: id quod Christus egregie ostendit in exemplo filii, qui iussus à Patre suo ire in vineam ibique laborare, annuit promptè, dixitque: Rectè; sed tamen non abiit. Matth. 21. 30. Etiam si omnes Dei leges memoria teneamus, etiam si alios quoque mandata Dei transgredientes reprehendamus, si tamen ipsi ea non faciamus, officio nostro neutiquam erit satisfactum. Tales enim sic alloquitur Paulus Apostolus: *Quapropter inexcusabilis es, ô homo, quisquis alium damnas. Nam hoc ipso, quòd damnas alterum, teipsum condemnas: eadem enim facis, quæ damnas. Scimus verò iudicium Dei esse secundum veritatem adversus eos, qui talia faciunt. Cogitas autem tu, ô homo, qui damnas eos, qui talia faciunt, & facis ea, fore ut effugas iudicium Dei?* Rom. 2. 1, 2, 3. Quocirca Deus & Christus ità à nobis cognoscendus est, ut in omnibus, parati simus Dei ac Christi præceptis morem gerere. *Circumcisio nihil valet, neque præputium*, ait Paulus, *sed observatio præceptorum Dei.* 1 Cor. 7. 19. Audiamus, quid Christus ipse hac de re dicat: *Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Quisquis igitur audit sermones istos, & servat eos, assimilabo eum viro prudenti, qui ædifica-*

*vit domum suam super petram: deciditque nimbus, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam; sed non cecidit: quia fundata erat super petram. Et quisquis audit sermones hos & non servat, assimilabitur viro fatuo, qui ædificavit domum suam super arenam: descenditque pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & impegerunt in domum illam; & cecidit, & fuit casus ejus magnus.* Matth. 7. 21, 24, & seqq. Proinde & animam & corpus nostrum obsequio Dei devoveamus, & quæcunque nobis mandat, ea animo prompto ac sincero, ardentique ac constanti cum zelo exequamur. Id si fecerimus, tum demum Deum ac Dominum Iesum rectè cognoscemus, promissaque virâ æternâ certò potiemur.

Sed quàm multi, obsecro, sunt in universo orbe Christiano, in quibus tam pura, sincera, & efficax cognitio Dei ac Christi reperiatur, ut fidem ac obedientiam in eis producat? sanè talium plena sunt regna atque regiones, qui Euangelio ac pura veritate, divinaque sapientia gloriantur: in iis nullam deprehendas de salute dubitationem, omnes se credunt esse cives cœli, charissimos Dei filios, hæredesque futuræ gloriæ. Verùm ne de ipsa Christianorum vita, deque stolidis, temerariis ac impiis operibus nunc nihil dicamus, quæ huic divinæ sapientiæ, quam Christus hic nobis inculcat, apertè repugnant: oprandum esset, ut saltem scientia & cognitio, quæ in solo intellectu consistit, ita comparata foret, ut hac gloriatione ac stude, quam pars quælibet sibi arrogat, digna esset. Si enim utras veræ cognitionis ac sapientiæ habere, utique etiam plus fructuum istius cognitionis in eis appareret. Veritas enim seu vera cognitio est lux, & quisquis eam in animum admittit, in eo vim habet producendi opera lucis, si modò probus & rectus sit animus. Sed quia orbis Christianus tenebris densis turpissimorum ac perniciosorum errorum undiquaque circumfusus est, & quicquid adhuc veræ cognitionis Dei ac Christi inter homines reliquum est, id spinis perplexarum scholasticarum disputationum est obrutum, ut fructum ferre nequeat: idè mirum non est, tantis è tenebris nihil nisi tenebrarum opera nasci. Imò quod dolendum, eo deventum est, ut etiam si Sacras Literas homines legant, ac relegant, oculi tamen eorum præstricti sint ad eò opinionum pravarum nebula, ut jam fermè quid peccatum sit, nesciant, aut ficiant, non tamen credant, Deum ad eò peccata abominari. Quæ res profectò si perpendatur à piis & zelo gloriæ Dei ac Christi ex animo flagrantibus, lacrymas tenere haud poterunt.

Cæterum in tanta hominum cœcitate atque caligine, non desunt tamen hominibus excusationes: nemo in omni sua ignorantia tam rudis est, ut non aliquod ignorantiae suæ integumentum aut colorem inveniat. Quidam enim, cum monentur, ut veritatem melius inquirent, inque ea proficere studeant, prætendunt sibi deesse ingenium ad res tam sublimes percipiendas, se eas assequi non posse. Quæ hominum istorum excusatio tantum abest, ut iis profutura sit apud Deum, ut eis potius noitura sit, cum ita sese excusando Deum accusent, & contumeliâ insigni afficiant. Deus enim eos non minus quam alios creavit homines rationales; non minus eis quam aliis lucem sanctissimi verbi sui dedit, quæ oculos mentis eorum illustrare queat. Alia quæ ad vitam hanc conservandam faciunt, optimè possunt capere & assequi: quæ igitur ratio est, quòd nequeant capere ea, quæ ad salutem ipsorum spectant, cum illis media divini verbi & gratiæ Dei, si eam à Deo precibus flagitent, ad manus sint? Mera est tantum negligentiae ipsorum culpa, quòd nolint quicquam laboris in res tanti momenti impendere, vel quòd florem ætatis suæ virentis pessimè contriverint. Beatus ille, qui à teneris animum suum ad res cœlestes applicuit, nihilque habet jucundius verbi divini meditatione. Multi quoque si in adulta ætate vellent tantum operæ impendere veritati inquirendæ, quantam impendunt rebus terrenis, facile omnes difficultates, quas causantur, superare possent. Verissimum quidem



quidem est, Deum non æquali mensura dona sua distribuere; sunt enim etiam pusilli & infirmi in Dei populo Matth. 18. 6, ea tamen Deus nulli denegat, quæ ad salutem sunt necessaria. Si quis ex animo pius sit in oculis Dei, & ab eo Spiritus sancti auxilium petat, is cognoscet de doctrina Christi, quod ex Deo sit. Joh. 7. 17. Deus bona dona dabit petenti. Matth. 7. 11. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur ei. Jacob. 1. 5. Qui negotiatur strenue parvo, quod habet, ei plus postea adjicietur. Matth. cap. 25. vers. 29.

Sunt alii, qui dicunt; Quid opus est multâ scientia? sufficit mihi pie vivere; scientia parum prodest. At, mi homo, si non recte informatus sis, quid ad veram pietatem pertineat, si nescias, quid verè peccatum sit, si sis constitutus in via erroris, in qua te subinde labi ac cespitare oportet, quomodo pie vivere potes?

Nonnulli solent dicere, sibi parum curæ esse, ut multa sciant, ne Deus etiam multa ab eis exigat. Cui enim multum dedit, multum etiam ab eo requirit. Luc. 12. 48. Sed qui ita loquuntur, sunt miseri & depravati homines. Ubi enim scriptum est, Deum ab eo, qui multa scire non vult, neque curat, cum tamen plura scire posset, non etiam multum esse requisitum? In loco ex Lucâ allegato id certè scriptum non est. Deus nobis præcepit, ut ipsum ac Legatum ejus Jesum Christum cognoscamus; idcirco dies & noctes de iis rebus, quæ ad hanc cognitionem spectant, debemus esse solliciti, & promissiones divinas semper habere præ oculis. Non est res ista posita in nostro arbitrio: non sumus ipsi nostri iudices. Caveat sibi quisque à negligentia atque socordia, neque Deo recalcitret. Sane ita est, non ab omnibus parem rationem exactum iri: nam ab eo, qui non nisi duo talenta accepit, non requireretur tantum, quantum ab eo cui quinque talenta concredita fuere. Sed eorum alia est ratio, qui de industria scire nolunt, adeoque talentum suum in terram desodiunt. Christus ait: *Qui non habet* (id est, qui non utitur dono, quod accepit) *etiam id, quod habet, auferetur ab eo.* Matth. cap. 13. v. 12.

Non ea autem est mens sacræ Scripturæ, quando nos ad sapientiam & cognitionem Dei exhortatur, ut profundis speculationibus & multis subtilibus disputationibus nosmet aut alios fatigemus: sed Deum ac Christum cognoscere jubemur, id est, discere ea quæ ad salutem nostram à Deo per Christum sunt revelata. Sciendum est, quid nobis Deus in Evangelio Christi præceperit, quam ingentia bona obedientibus sibi promiserit: Hoc intelligere, hoc animo tenere debemus. Hoc est unicè necessarium. Quod si Deus alicui gratiam & opportunitatem concedat, nemo tempus perdet, si præter omnino necessaria, etiam reliqua, quæ nobis sacra Scriptura proponit, scrutetur diligenter & in iis se exercent. Nihil enim in ea, frustra conscriptum est; imò nihil est in Sacris Literis, quod si benè consideretur, non magnam utilitatem asferre queat ad spiritualem hominum ædificationem: quæ utilitas etsi non semper præsens sit & appareat, cum tempore tamen non rarò animadvertitur. Estque hic homini summa cautione opus, ne dum sibi persuadet, hoc vel illud non esse sibi scitu necessarium ad salutem, modo in hanc, modo in illam partem summo cum detrimento suo impingat: id est, ne vel sub hoc prætextu periculosa ac saluti noxia dogmata sibi obtrudi patiarur, vel id quod præcise quidem necessarium non est, sed interea tamen maximè utile est ad Dei cognitionem, tanquam rem parvi pretii & inquisitione indignam spernat atque contemnat. Nullus hominum in mundo est, qui non id omni studio vitet, quod sibi nociturum ullo pacto ac obfuturum novit. Nemo vulnus sibi infligi permittet, etsi lethale non sit: nemo cibum sciens sumet, è quo morbum sit contrahiturus, tametsi non mortiferum. Contra verò dat quisque operam, ut quicquid utile ipsi est ac profutu-

rum in re familiari, in mercatura, aut aliis negotiis sibi comparare queat. Quantò magis id curandum est in rebus spiritualibus, ubi tam damnum quam commodum longe majoris momenti est, quam in rebus corporeis. Fieri potest, ut error qui per se damnabilis non est, causa sit vel occasio alterius erroris, qui damnationem afferat. Ex adverso potest veritas, cujus notitia per se quidem omnino necessaria non est ad salutem, tamen utilis esse adeò, ut absque ejus notitia etiam id, quod necessarium est, amitti possit. Non omnibus enim hominibus par est vis ingenii; sicut nec vires corporis omnibus sunt æquales. Multi vitæ tam ac valerudinem suam conservare possunt solo pane aut quocunque vulgari cibo, etiam duriori: alii imbecilliores sunt, & indigent peculiari refectione, sine qua vires eorum prius deficerent, vitæque eorum in discrimine versaretur. Hac eadem ratione etiam sunt quidam animo ac intellectu infirmi, adeo ut fundamentum scientiæ ipsorum, quæ in necessariis solum consistit, facile concuti ac labefactari queat. Itaque talibus necessarium est, ut fundamentum istud suum adversus perniciosas doctrinas bene muniant, sequæ etiam in aliis particulis divinæ veritatis exerceant, quo in necessaria veritate confirmentur. Nam, ut jam diximus, nulla veritas in rebus divinis tam exigua est, quin infirmum habeat usum, & propterea delectat animum possidentis, ac tandem, quod maximum est, non carebit olim mercede sua apud Deum. Necessaria sunt remedium adversus mortem: utilia, adversus morbos. Necessaria præservant contra lapsum: utilia adversus periculum lapsus. Necessaria sunt instar medicamenti: utilia instar refectionis corroborantis.

Quapropter, multum dilecti in Domino, ut colophonem huic nostræ adhortationi imponamus, videndum nobis est atque cavendum, ne quoddam alias solam necessariam scientiam ac veritatem ugemus, opposcentes eam subtilibus & intricatis ac plus nocu-menti, quam emolumenti afferentibus Scholasticis contentionibus ac controversiis, quæ hodie tanta vehementia inter Christianos agitantur, inde sumat aliquis ansam ad socordiam ac negligentiam inexcusabilem, quali liceat ipsi sublimioris cognitionis ac sapientiæ in rebus divinis studium proflus seponere. Necessaria sufficiunt ei, qui propter intellectus impotentiam longius progredi non noverit: at non est, qui aptus est ad majorem sapientiæ thesaurum sibi comparandum. Ab Apostolo sanè monemur, ut ad sublimiora ac meliora aspiremus. 1 Corinth. 12. 31. Precatur, ut impleamur divina sapientia: non tantum ut aspergamur ea leviter aut perfundamus; sed ut impleamur ait Ephes. 3. 19, vultque ut *sermo Dei habitet in nobis abundanter* (non parce) *in omni sapientia.* Coloss. 3. 16. Et revera est hoc signum animi humilis & haud generosi, qui vulgari sapientia contentus, altius ascendere in cognitione non vult, potius animi oblectationem quærens in iis rebus, quæ ipsum meliorem reddere nequeunt: perinde ut certum signum est corporis non bene sani, quod nulum alium cibum quam solum panem appetit. Si tales crederent, se etiam absque his necessariis vitam æternam obtinere posse, ne hæc quidem scire laborarent: sed hæc pauca necessaria discunt, non amore Dei & studio cognoscendi ineffabilem ejus gloriam impulsæ, sed metu salutis amittendæ coacti. Excusamus igitur animis nostris veterum, eosque verè amemus sapientia, ut adversus omnes tentationum insultus tuti simus. Necessarii articuli se habent instar alphabeti, vel lactis, quod infantibus competit: non adultis, qui solido cibo opus habent. Hinc divinus scriptor ad Hebræos graviter arguit fideles, quod lacte adhuc indigerent. Hebr. 5. 12. Eo tendere omnes debemus, ut fiamus *viri perfecti*, & perveniamus ad *mensuram stature Christi, ne fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ.* Ephes. 4. 14. Utamur in salutis nostræ negotio non minori prudentia, quam solemus ad uti in rebus hujus ævi. Etsi enim sufficiat solus panis ad vitam

vitam nostram conservandam, eo tamen contenti non sumus, sed quærimus & alia innumera, sæpe etiam plane inutilia & noxia. Demus potius operam, ut in divina sapientia ditescamus, ejusque quam maximos nobis acervos accumulamus. Hoc enim in terrenis rebus facere, vitium est; in divinis, virtus. Quo quis magis Deum diligit, eique obtemperare studet, eo confectatur ea, quæ ipsum in hoc studio juvare queunt. Si igitur nobis curæ erit, ut tam assiduis precibus adhibitis, quam diligenti exercitatione intellectus nostri in verbo veritatis, ex animo veram sapientiam quæramus, non denegabit eam nobis is, à quo omne bonum & perfectum donum superne descendit: Jac. 1. 5. Nosque fruemur aliquando inenarrabili fructu, quo hæc sapientia cultores suos beat, illo nimirum fructu, quem Christus hinc cognitioni illius solius veri Dei, & quem ille misit, Jesu Christi, adscribit, qui non alius est, quam vita æterna. Quam ut suo tempore reipsa consequamur, faxit Christus ipse benignissimus, pro immensa gratia sua, replens corda nostra Spiritu sapientiæ ac revelationis.

*Ipsi una cum Patre ejus cælesti, sit laus, honor, & gloria, in omnia secula. Amen.*

### Tertia Concio super locum Ioh. 17. vers. 3.

*Dilectissimi in Christo Jesu Domino nostro.*

**Q**uicunque accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum, & remuneratorem esse eorum, qui quærunt ipsum: inquit Scriptor divinæ Epistolæ ad Hebræos xi. 6. Quæ verba nihil aliud sibi volunt, quàm eum qui Deum religiose colere, & mandatis ejus se subicere cupit, hæc duo pro fundamento immobili in animo suo statuere, atque sine dubitatione omni credere debere: primo quod Deus sit, id est, quod existat talis supremus & absolutus rerum omnium Dominus, qui jus & potestatem habeat animis ac corporibus nostris imperandi, leges & mandata præscribendi, ad quorum observationem omnino obligemur: secundo, quod is sit tam æquus, benignus & sapiens Dominus, ut non sit passurus laborem & obedientiam nostram esse inanem, sed eam sit gratiose ac munificentissime remuneraturus. Hæc duo nisi ita certa sint in animo hominis, ut nulla sublit dubitatio, ad serviendum Deo nunquam se applicabit. Quomodo enim quispiam servire ei animum inducat, de quo, an existat in rerum natura, ambigit, dubius, annon meræ fabulæ sint ea omnia, quæ de ipso perhibentur? Posito verò etiam, aliquem credere, dari summum rerum omnium Dominum, dubitare autem de ejus circa res hujus inferioris mundi providentia, nec credere, eum curare humana, vel opera hominum aut cultum, quem ei præstant, respicere, eoque delectari ita, ut eum aliqua remuneratione dignum æstimet: is tamen ad serviendum Deo adduci se nulla ratione patietur; quia nemo dubii & incerti præmii causa, gravem ac molestum in se laborem suscipit. Posse autem hominem sana ratione utentem, etiam sine ope revelationis Dei extraordinariæ, per solum intellectus sui lumen ad hanc cognitionem pervenire, quod sit Deus, unive si hujus Dominus supremus; testatur Paulus Apostolus in Epistola sua ad Romanos, ubi omnes homines in genere tam Judæos, quàm Gentes impietatis accusat, & ne Gentes ignorantiam suam prætenderent, eaque se excusatos fore putarent, dicit, eos invisibilem Deum, id est æternam ejus vim potentiam, tum divinitatem cognoscere potuisse ex operibus, quæ a creatione mundi conspiciuntur. Rom. 1. 20. Inter quæ opera Apostolus non tantum ipsas res creatas quarum numerus iniri non potest, reponit, quæ omnes ac singulæ sapientiam ac potentiam auctoris sui loquuntur & arguunt; sed complectitur iis quoque opera, divinæ gubernationis ac providentiæ, quæ tot & tam admirabilia sunt, ut facili negotio ex iis colligere homo cordatus queat, ea neque ab humano intellectu, neque à natura, sed ab aliqua longe sublimiori causa proficisci. Ac de operibus quidem creationis ait David,

*cælos enarrare gloriam Dei, & firmamentum annuntiare opus manuum ejus.* Psal. 19. 1. Et alibi, Deum ex ore infantium & lactantium perfecisse sibi laudem: Psal. 8. 3. dam nimirum infantes ita creavit, ut simul ac nati fuerint, protinus fugere & alimoniam suam e mammis matrum suarum petere norint, tamen à nemine edocti. Sed si homo rationalis simpliciter tantum ortum suum perpendat, etiam simplicissimus quisque ad hanc cognitionem, quod Deus sit, pervenire potest. Notum enim cuius est, neminem vitæ suæ auctorem esse, nec esse posse, sed quemque accipere eam à Patre suo per generationem. Jam verò etiam pater vitam suam à seipso non habet, sed rursus eam à patre suo accepit, & hic pater rursus ab alio, & sic porro semper alius ab alio: & quidem ita, ut quilibet in utero matris suæ conceptus, & post aliquot mensium decursum parvulus infans natus atque in lucem editus fuerit. At hoc lumini naturalis rationis contrarium est, ut in ejusmodi generatione unius ex alio detur progressus in infinitum, sed à filio ad patrem, à patre ad avum, ab avo ad abavum, & sic consequenter subinde altius ascendendo, tandem deveniatur necesse est ad talem aliquem, qui non aliquot mensibus in matris utero delituerit, & infans natus sit, quique vitam suam ab alio non acceperit, sed eam ab æterno ex seipso habeat. Is autem est Deus, prima causa ac primus auctor, ideoque etiam summus Dominus rerum omnium. Sicut enim pater carnalis ob hanc ipsam causam, quia liberis suis vitam dedit, plenam potestatem ac dominium habet in eos, & in omnes, qui ex iis nascuntur: ita Deus quoque summam potestatem ac dominium habet in universum genus humanum, tanquam primus fons & origo vitæ atque existentiae ejus. Eodem modo etiam Deus habet supremam potestatem in omnes res creatas, inde, quia est earum creator; & quidem tanto magis, quod omnes aliæ visibiles creaturæ etiam hominis dominio ac potestati subjectæ sint.

Quod alteram rem spectat, quod Deus sit remunerator eorum, qui ipsum quærunt, illa quidem in humano intellectu, absque divina revelatione, non tam clare fundata est, ac prius illud: sed tamen hic quoque homo acutus & excitati ingenii in lumine intellectus sui potest tale quiddam invenire, quod ipsi quidem sicut ad sublimiorem Dei cognitionem. Naturali enim æquitati consentaneum est, iudicio omnium sapientium, ut etiam spontanea atque injusta officia, quæ ad honorem aut commodum alicujus ex animo amante ac sincero præstantur, præmio aliquo compensentur, præsertim quando compensatio ista absque incommodo ac detrimento, imo cum gloria summa ac laude dantis fieri potest. Quanto magis à Deo compensatio talis speranda est, qui in sapientia & bonitate est perfectissimus. Adde quod nulla causa fieri potest, ob quam Deus voluerit hominem condere, si nullum cultum atque servitium ab eo posceret, ut per immensam remunerationem bonitatis laudem ab eo consequi posset.

Hæc igitur duo ad religionem requisita, tanquam fundamenta salutis cognitionis Dei & Christi, nos quoque nunc absque ulteriori probatione pro concessis sumemus; quod nimirum Deus sit, & sit remunerator quærentium se: etsi ea plurimis argumentis lumine naturæ probare liceret. Et sicut in superiori concione cepimus occasione verborum Christi Joh. 17. 3. de hac sublimi cognitione agere: ita quoque in ulteriori ejus explicatione pergemus. Quod antequam faciamus, demittamus nostros animos coram throno majestatis Domini nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti auxilium ab eo enixis precibus efflagitemus. Confurgamus igitur, & hisce verbis nomen ejus sanctissimum invocemus: *O Domine Jesu &c.*

Verba Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi, quorum occasione in explicanda salutifera cognitione Dei pergere constituimus, leguntur in Evangelio Iohannis cap. 17. vs. 3. & sic sonant: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Pater) illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.*

Audi-

*Refutatio  
Atheistarum*



Audivimus concione præcedenti, secundum Christi Domini effatum in hisce verbis prælectis, unicuique ac certissimum medium esse consequendæ vitæ æternæ, puram ac veram cognitionem Dei & Domini Jesu Christi. Disseruimus etiam de ista cognitione in genere, & inter cætera monstravimus, eam necessario in se includere servitium & obedientiam Deo præstandam, ad quam tanquam ultimum finem ac scopum omnia dirigenda sunt, quæ de Deo ac Christo cognoscuntur ac intelliguntur. Tota autem hæc cognitio in tres partes principales distribui potest. I. Primum est, quod ad eam requiritur, ut sciamus & intelligamus, Deum propter divinam naturam & attributa sua perfectissima, dignum esse, cui à nobis honor, cultus ac obedientia deferatur.

II. Secundum est, ut cognoscamus, Deum æquifimo, & absolutissimo iure solum posse exigere à nobis cultum & obedientiam.

III. Tertium est, ut teneamus, Deo nobis serviendum & obediendum esse, non ex præscripto ullarum aliarum legum ac præceptionum, quam earum, quas ipsi visum est nobis præscribere.

Hæc tria necessario scienda sunt, si velimus Deo gratum & acceptum cultum obsequiumque reddere, & ab eo adipisci vitam æternam: & quidem ita, ne unum ab altero divellatur ac separetur; alioqui de tota Religione & cultu divino actum erit. Si enim Deus cultu, obsequio & adoratione non est dignus, ecquid est, cur ei servire debeamus? Si etiam non habet jus plenum & absolutum exigendi à nobis cultum & obedientiam, ecquid ei soli serviamus? Et si licet dignus cultu & veneratione, habeat quoque supremum jus & dominium in nos, si tamen non requirit à nobis ullum cultum atque obsequium, vel si eum non curat, quid causæ iterum est, cur ei servire debeamus? Quocirca hæc tria omnino sunt scitu cognituque necessaria, neque ea sunt à se invicem disjungenda, si Deum colere ei que rite servire velimus.

De istis tribus igitur nunc eo, quo posita sunt ordine, cum bono Deo agemus: & in præsentia quidem tantum de iis disseremus, quantum temporis angustia nobis permittet, reliqua in aliud tempus commodius dilaturi.

## PRIMA PARS.

**P**rima pars cognitionis Dei in eo consistit, ut sciamus cum cultu & obsequio nostro omni ex parte dignum esse. Quæ dignitas apparet præcipue ex inclytis & admirandis ejus attributis, quæ Deo non solum in Sacris scripturis tribuuntur, sed etiam naturale lumen humani intellectus in eo agnoscit. Priusquam autem ad explicationem Attributorum Dei accedamus, dicendum nobis nonnihil est de duobus. Primum de nomine *Dei*, quid significet? Secundo de essentia *Dei*, quænam illa sit? Primum nobis proderit adversus communem errorem quem Christianorum plerique de Christo foveant, dum ex hoc nomine *Deus*, quod ei interdum in Sacris Literis tribuitur, colligunt ac inferunt, eum esse ipsum summum Deum. Alterum verò nobis conducet ad majoris faciendæ & æstimandæ illa Dei attributa, quæ ipsi in Scriptura sacra adscribuntur. Ex perfectione siquidem essentiæ rei alicujus, optime etiam de perfectione attributorum ejus rei judicium ferri potest.

Quod igitur nomen Dei attinet, observandum est, id nomen esse natura sua pluribus commune, quod aliis etiam personis præter Patrem Domini nostri Jesu Christi communicatur ac tribuitur. Vox enim ista *Deus*, sive Hebraica, sive Græca, sive Latina lingua efferatur, nihil aliud significat, quam ejusmodi personam, quæ singulari potentia ac robore, vel sublimi aliqua potestate atque imperio in alios, vel utraque simul supra cæteros eminet: in primis autem quæ prædicta est robore & imperio usitatum naturæ cursum supergrediente. Inde est, quod Moses dicatur *Deus Aaronis* Exod. 4. 16, quia Aaron Moysi vice ac jussu

ad Pharaonem loquebatur. *Ille erit os tuum*, inquit Deus, ad Moysen, & *tu eris Deus ejus*: id est, Aaron pro te loquetur, & tu eum mandatis instrues, quæ proloquatur. Similem in modum etiam idem Moyses *Deus Pharaonis* nuncupatur. Exod. 7. 1. *Ecce te constitui Deum Pharaonis*, alloquitur eum Deus, *Aaronem autem fratrem tuum, ut sit interpres tuus*. Magistrarus quoque *Dii* vocantur Psal. 82. 6. *Ego dixi, vos Dii estis, & filii Altissimi omnes*. Sic etiam Angeli *Dii* appellantur: ut Psal. 8. 6. *Paulo minorem effecisti eum* (hominem) *Dus*. Ita sonant verba proprie in textu Hebræo: quæ Auctor Epistolæ ad Hebræos expresse de Angelis interpretatur: *Paulo minorem effecisti eum Angelis*. Hebr. cap. 2. 7. Qui Auctor istius Epistolæ etiam verba illa Psal. 97. 7. *Adorate eum omnes Dii*; de Angelis exponit, iisque applicat, sic verba illa citans: *Adorent eum omnes Angeli Dei*. Hebr. 1. 6. In libro Judicum Angelus, qui Manuë apparuit, Deus dicitur. Ita enim scriptum est Jud. 13. 22. *Tunc cognovit Manuë, Angelum Domini esse, & dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum*. Paulus Apostolus Satanam etiam *Deum* hujus mundi vocat 2 Cor. 4. 4. Et figurato loquendi modo idem Apostolus quoque *ventrem* eorum *Deum* appellat, qui ipsi serviunt, & totius vitæ curas impendunt. Phil. 3. 19. Istis enim quasi dominatur ac imperat venter, vitamque eorum regit, ac in sua habet potestate. Sic ergo etiam Pater Domini nostri Jesu Christi, & in hoc nostro textu, & alibi passim in Sacris Literis *Deus* nuncupatur: quia jus ac potestatem nos regendi, nobisque imperandi pro suo arbitrio habet.

Ut verò hanc rem rectius intelligamus, neque unum cum alio confundamus, sciendum est, nomen *Dei* vel proprie & in nativa significatione, vel improprie & in significatione figurata rei alicui adscribi. Improprie ac figurate venter appellatur Deus. Quia enim nomen Dei tale nomen est, quod imperium ac potestatem significat, imperare autem & dominari proprie personarum est: patet, ventrem, qui persona non est, improprie & nonnisi per metaphoram Deum dici. Proprie autem *Dii* vocantur, quibus proprie potestas imperandi ac dominandi aliis competit. Hi autem sunt iterum in duplici differentia. Alii vocantur quidem *Dii*, id est, imperium ac potestas super alios illis adscribitur, sed reipsa potestatem ac jus imperandi non habent, verum ab hominibus falso & per errorem talis potestas ipsis tribuitur. Atque isti dicuntur *falsi Dii*, vel *Dii extranei* Jerem. 16. 19. Gen. 35. 2. qualis fuit Baal, Astaroth, Chamos, Moloch & alii, qui in Scriptura *Dii* nominantur, sed revera & actu ipso nullum imperium ac potestatem veram in homines habuerunt. Alii vero non solum habentur pro Diis, sed reipsa potestatem ac dominium habent in alios: & horum quidem nonnulli legitime habent & exercent, nonnulli autem illegitime. Inter eos, qui illegitimo modo potestatem ac imperium exercent, est Satan: qui in Sacris Literis, ut indicatum, vocatur *Deus hujus mundi* vel *seculi*, & alibi, *princeps mundi* Joh. 12. 31. & 14. 30. & 16. 13. non, quod ipsi legitime ac jure imperium aut principatus iste competat, sed quod homines per suam improbitatem ac inobedientiam erga Deum, collocarint eum quasi in throno, & hanc potestatem ei supra se dederint, ac porro ipse, Deo permittente in hominum poenam, talem potestatem in impios exerceat. Ex iis autem, qui non modo veri, sed etiam legitimo modo *Dii* sunt, id est, eminentem potestatem ac jus aliis imperandi habent, solus Pater Domini nostri Jesu Christi est, qui potestatem istam à nullo alio accepit, sed eam à se & ex seipso habet, atque ob hanc causam in Sacris Scripturis *Deus Altissimus* vocitatur. Vide inter alia Psal. 7. 18. ix. 3. Luc. cap. 1. 35. vi. 35. Reliqui omnes, ut sunt Magistratus, Angeli, etiam ipse Filius Dei, etsi veri *Dii* sint, & legitime ac jure hoc nomen eis competat, non tamen potestatem ac imperium suum, propter quod *Dii* appellantur, ex seipsis habent, sed ex gratiosa largitione ac dono Altissimi illius Dei. Quocirca nomen



Dei, quatenus de talibus usurpatur, qui verè ac legitime Dii sunt, duplici significato in Sacro Codice accipitur. Primum in sensu strictiori, quo solus Deus Altissimus, nempe Pater Domini nostri Jesu Christi intelligitur. Quemadmodum etiam Christus in hoc nostro textu Patrem suum vocat *illum solum verum Deum*: non quòd non & alii veri Dii sint, sed quòd ei nomen hoc καὶ ἰσχυρὸν atque in supremo gradu conveniat, ut pote qui neminem habet, cui potestatem suam acceptam ferat. Deinde sumitur etiam appellatio Dei in sensu latiori, quo non Deus Altissimus, sed alii etiam, qui supereminentem potestatem gerunt, intelliguntur. Hujus distinctionis in nomine Dei, quæ probè observanda est, clarum exemplum habemus apud Paulum Apostolum in illis verbis: *Esti sint, qui dicuntur Dii, sive in cælo, sive in terra (sicut sunt Dii multi, & domini multi) nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia.* 1 Cor. 8. 5, 6. Ubi videmus, Apostolum utrumque affirmare, & quòd multi Dii sint, & quòd unus tantum sit Deus: nimirum illud intelligendum est in laxiori significato, hoc in angustiori. In priori enim dicto, cum ait, multos esse Deos, intelligit in genere omnes eos; qui ullam sublimem potestatem ac imperium habent, ut sunt in cælis Angeli, in terris Magistratus. In posteriori verò, cum dicit, unum tantum Deum esse, intelligit in summo gradu eum solum, qui dominium & potestatem suam totam ex seipso habet.

Ex dictis primò manifestum est, dum Christus hoc loco suum Patrem *solum verum Deum* appellat, id non propterea fieri, quòd alias nulli veri Dii præter ipsum sint, sed quòd voces *veri Dei* in strictissima & perfectissima significatione accipiat. Idcirco etiam non dicit, ut te verum Deum esse cognoscant, sed ut cognoscant te, qui es ille solus verus Deus, nempe modo excellentissimo, qui nemini alii præter te competat. Hanc ob causam etiam in Scripturis *Deus Deorum*, vel supra omnes Deos vocatur: non quòd sit Deus falorum Deorum, quorum numero neutiquam est accensendus, sed quòd verorum Deorum Deus sit, id est, illorum caput ac Dominus, & inter illos omnes supremus. Similis loquendi modus est in illis Iohannis verbis: *Lex per Moysen data est: gratia autem & veritas per Christum Jesum facta est.* Ioh. 1. 17. Quibus in verbis Evangelium Christi vocatur *veritas*, opponiturque legi, non quòd lex non etiam vera fuerit, sed indicatur, voluntatem Dei ratione omnium perfectissima per Christum esse revelatam. Fuit doctrina Veteris Testamenti etiam veritas, sed per excellentiam hæc appellatio tanquam propria doctrinæ Christi tribuitur.

Secundò hinc quoque perspicuum est, ex solo nomine Dei, quo Christus in paucis nonnullis locis Scripturæ insignitur, Joh. 1. 1. Rom. 9. 5, merito colligi non posse, eum esse eundem illum Deum Altissimum, qui Pater est. Abundè enim superque ex Sacra Scriptura productis exemplis docuimus, nomen hoc pluribus esse commune, nempe iis omnibus, qui summa cum potestate aliis præfunt ac dominantur. Quamobrem nomen hoc Dei Christo, maximo jure, & supra omnes alios, qui præter Patrem sunt veri Dii, competit: quandoquidem Pater ipsi dedit *omnem potestatem in cælo & in terra* Matt. 28. vers. 18. Pater eum *supra modum exexit, & donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu cælestium, terrestrium & subterraneorum, utque confiteatur omnis lingua Jesum Christum esse Dominum, ad gloriam Dei Patris.* Philip. 2. vers. 9. Pater eum collocavit *ad dextram suam in cælis, longè suprà omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & supra omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro.* Ephes. 1. 20, 21. Verum hac de re pluribus agemus, si Deus annuerit, in sequentibus, quandò ad cognitionis Jesu Christi tractationem pervenimus.

Tantum de nomine *Dei*: venimus jam ad alterum, de quo nobis ante explicationem Attributorum Dei aliquid monendum esse diximus: nempe de *Essentia Dei*, quid sit?

Certum quidem est, hominem lumine intellectus sui, si rem rectè consideret, posse agnoscere, quòd sit aliqua suprema, omnipotens, ac summe sapiens substantia, cujus vi tam homo quam totum hoc mundi universum productum est, quæque adeò est absolutus dominus sui operis. Quid autem aut qualis sit illa substantia, quæ ejus sit natura ac forma vel materia, id non tantum humano intellectu investigari non potest, sed, etiam nobis in hac mortalitate revelaretur, comprehendere & intelligere non posset. Cicero lib. 1, de Natura Deorum ait: *Roges me, quid aut qualis sit Deus? auctore utar Simonide, de quo cum quæsisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postredie quæreret, biduum petivit. Cum sapius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: Quia quantum, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Similiter Philosophorum princeps Plato agnovit censuitque, majestatem Dei tantam esse, ut neque animo concipi, neque ore ac verbis explicari queat. Vide Platonis Timæum. De Augustino quoque Ecclesiæ Doctorum celeberrimo narratur sive fabula, sive historiola, eum aliquando spatiantem in littore maris, profundis agitarum fuisse cogitationibus de Dei essentia atque natura; ac interea improvise conspexisse puerum quendam in littore foveam manu excavantem: quem cum interrogasset, cui bono id faceret? respondisse illum, se in hanc foveam mare transfusurum esse. Et dicente Augustino, id esse impossibile, inanemque eum operam suscipere, cum fovea tam parva non sit capax tam vasti maris; puerum retorsisse: *Quanto magis igitur tu inanem operam suscipis, dum divinitatem in comprehensibile ingenio tuo complecti laboras? Atque hoc ita narratur de Augustino, eum tunc inprimis totum fuisse in meditatione de mysterio Trinitatis, quomodo tres distinctæ personæ unam essentiam habere queant, ut nihilominus tres illi unus Deus sint: eumque ex responsione illius pueri, qui non alius fuerit quam Angelus, intellexisse, Trinitatem esse mysterium imperscrutabile, quod ratione rimandum non sit, sed tantum mirandum.* Et sanè verissimum est, mysterium hoc esse rationi imperscrutabile ac incomprehensibile: quia non solum in Sacris Literis nulla de eo extat revelatio, sed etiam omnium hominum sanorum ratio agnoscere cogitur, id contradictionem implicare ac seipsum evertere, ideoque nullum habere veritatis fundamentum. Cæterum quod essentia Dei hominis capta in hac vita superet, Deus ipse indicat, cum sic loquitur apud Eliam Prophetam: *Cui assimilareris me, ut æqualis essem ei, dicit Dominus sanctus Israelis?* Esai. 40. 26. Paulus quoque Apostolus ita describit Deum, quòd *habitaret in luce inaccessiblei, quod hominum nemo eum viderit, nec videre possit.* 1 Tim. 6. 16.

Interea tamen Christus nobis nonnihil de essentia Dei revelavit, dum apud Evangelistam Johannem in colloquio suo, quòd habuit cum muliere Samaritana inter alia de loco vero Deum adorandi, dixit: *Deus est Spiritus, & qui adorant eum, eos in Spiritu & veritate eum oportet adorare.* Ioh. 4. 24. E quibus verbis elucet, Deum esse spirituales quandam substantiam. Vox *Spiritus* autem denotat subtilem quandam substantiam, quæ ab omni crassitie corporea, quam in rebus visibilibus ac sensibilibus cernimus, remota est. Hoc modo Angeli, animæ humanæ, nec non aër (quanquam is etsi non videatur, sentiatur tamen) aliaque subtilia corpora, spiritus vocantur. Quantoque res aliqua subtilior atque à sensibus externis remotior est, tanto magis ipsi hoc nomen *Spiritus* competit. Deo autem convenit hoc nomen in summo perfectionis gradu, cum ejus essentia magis quam ulla res, iudò prorsus & omni modo à sensibus nostris

nostris se juncta sit. Ex quo intelligere est, membra humani corporis, ut oculos, aures, os, manus, pedes &c. quin & membra nonnulla aliorum animantium, ut alas, pinnas ac similia, Deo in Sacris Literis non propriè, sed per tropum ac similitudinem attribui. Omnia enim membra ista cum natura spiritus nihil commune habent. Ideo autem Deo adscribuntur, quia in eo vel tales vires operandi, vel talia opera sunt, quibus similitudine & analogiâ quadam respondent vires sive opera, quæ membris istis insunt, vel per ea perficiuntur.

## DOCTRINÆ.

1. **E**X dictis modò de essentia Dei primò id ipsum discere possumus, quod initio statim innuimus, formam Dei, qualis sit, à nullo hominum intellectu comprehendi, multo minus vero imagine ulla exprimi aut representari posse. Quæ enim forma potest tribui Spiritui, qui nec oculis cerni, nec manibus palpari potest? Cumque omnia, quæ homo animo potest concipere, longè magis autem, quæ manibus suis effingit & efformat, infinitis partibus inferiora ac viliora sint majestate Dei: inde clare liquet, eos qui Deum effigiare & per simulacra oculis hominum representare audent, gravissime in Deum peccare, divinamque majestatem ejus contumelia afficere, & plurimum de reverentia Deo altissimo debita detrahere. Qui quidem tanto graviori se crimine obstringunt, quia Deus id ipsum fieri expresse prohibuit, & quandoque id ab hominibus factum, severe punivit.

2. Secundo notanda nobis hic est insignis doctrina, quam nobis suppeditat locus modo allegatus ex Johanne Evangelista, ubi Deus Spiritus appellatur. Sic enim Christus ait: *Venit tempus, & nunc est, cum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Etenim Pater tales querit, qui adorent eum. Deus est Spiritus, & qui adorant eum, illos oportet in Spiritu & veritate adorare eum.* Joh. 4. 23, 24. Quibus verbis Christus indicat, quod ipsa etiam sana ratio dicat, Deum, cum sit Spiritus, nonnulli impostantibus rebus detectari: ideoque carnalem Dei cultum, qui in Veteri Fœdere vigeat, & nill nisi umbra erat, atque à Deo ipso certo loco affixus erat, nunc ex ipsius proprio consilio abrogari, ejusque in locum spirituale religionem ac cultum divinum surrogari debere. Itaque & nos meminisse debemus, Deum totis spiritus & animi sacrificiis propitiari, atque interna mentis pietate: ita scilicet, ut summam majestatem ac potestatem ejus in nos, nec non bonitatem ejusdem immensam ac sapientiam, qua etiam reconditos cordium nostrorum recessus scrutatur, agnoscere, ei nos totos subjiciamus, voluntatique ejus in omnibus pareamus; ut eum ex animo diligamus, ac simul liberorum instar metuamus ac veneremur, omniaque mandata ejus sincero & alacri animo exequamur; ut animos nostros ab omni labe impurarum cogitationum aut concupiscentiarum repurgemus adeò, ut corpus quoque nostrum ab omni inquinamento peccati immune conservemus. Non enim ita Deus vult, ut in Spiritu serviamus, ut nihil interim de externis operibus solliciti, credentes, etiam si corpus in cœno peccatorum volutemus, animum tamen eo non maculari: qualem impiam sententiam quidam mente sua fovant. Omnia enim peccata quæ corpore designantur, promanant ex impuritate animi, adeoque rursus ad animum redeunt, eumque ac conscientiam polluunt, & nisi Dei gratia ac seria poenitentia interveniat, indelebilem notam ac stigma ei inurit. Deo serviendum est non pigro ac somnolento animo, non otioso proposito, sed actuoso & omnis generis bonorum operum feraci; quæ opera si non adsint, animus ipse sibi non potest satisfacere, multo minus Deo. Itaque id omne ad spirituale Dei cultum pertinet, quod faciendum esse dicat talis animus, qui cognitione voluntatis divinæ & reverentia erga ejus sanctissimam majestatem imbutus, nec certa in eum fiducia firmatus est. Unde

opera illa, quæ Ceremoniæ vocantur, & per se nihil in se continent, quod ad virtutem ac honestatem impetret, Deo nonnulli eatenus placuerunt, quatenus ex animo pio ac mandatis ejus morigerò proficiscerentur. Ea verò postmodum à Christo sublata sunt, quia neque cum natura Dei erant consentanea, neque virili ætati, intellectui ac moribus humani generis sub Novo Fœdere amplius conveniebant. Ex his igitur judicare licet, quid de illo cultu divino sentiendum sit, qui hodie apud Pontificios exercetur, & an quicquam illi sit commercii cum vero Dei cultu, qui Spiritu & veritate perficitur: ubi non tantum à Judæis, sed & ab Ethnicis mutuata innumeræ Ceremoniæ in religionem Christianam introductæ sunt, majorique zelo ac rigore urgentur, inculcantur & observari imperantur, quàm vera pietas. Verum hac de re non est hic fasius differendi locus.

Atque hæc hætenus etiam de Essentia Dei, quod nimirum Deus sit Spiritus. Unde facile est colligere, quam excellentia atque eximia sint omnia ejus attributa, propter quæ dignus est, ut colatur, & obsequium ei præstetur. Manifestum enim est, naturam Spiritus alicujus per se nobiliorem multo ac præstantiorem esse, natura rei corporeæ ac palpabilis: proinde etiam attributa ac proprietates Spiritus multò præstantiores esse necesse est, quàm sunt proprietates & attributa rei corporeæ.

Ad istorum igitur divinatorum attributorum explanationem iam accedemus, utpote cum in eorum cognitione ac scientia plus ad salutem nostram situm sit, quam in cognitione divinæ essentia.

### I. Quod tantum unus Deus sit.

**I**ncipiemus autem nunc ab eo, ad quod ipse præfatus textus nobis occasionem præbet, quod scilicet unus tantum sit Deus, quodque is nullus alius sit, quàm Pater Domini nostri Jesu Christi. Sic enim Christus hic Patrem suum describit, quod sit ille *solus verus Deus*. Non immorabimur autem hic istis, quæ in scholis prolixè de variis significationibus vocis *unus* disputari solent. Satis est, ut eam significationem delectaremus, qua Deus Altissimus in Scriptura sacra, quin & vulgò ab omnibus Christianis *unus Deus* appellatur. Nimirum unus dicitur, quia est numero unus, quia solus est in suo genere, nec ullum sui habet similem. Perinde ac dicimus, solem unum tantum esse, unam lunam, unum mundum. Deum hoc sensu in Scriptura unum dici, neminem latere potest, qui novit, Deum propterea unum vocari, ut ostendatur, non esse plures Deos Altissimos, qui potestatem ac divinitatem suam à nullo alio acceperint. Loca porro sacra Scriptura, quæ testantur, unum tantum Deum esse, passim sunt omnibus nota & obvia. Inter multa alia legimus apud Moysen hæc verba, quibus Israeliticum populum ammonetur: *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est.* Deut. 6. 4. Et iterum: *Tibi patefactum est, ut scires, Dominum ipsum esse Deum, & nullum amplius esse præter eum.* Deut. 4. 35. Sic etiam apud Esaiam Prophetam ait Deus ipse: *Ego sum Dominus, & nemo amplius; præter me non est Deus.* Esai. 45. 5. Paulus Apostolus quoque inquit: *Unus est Deus, & unus Mediator Dei & hominum.* 1 Tim. 2. 5. Plura testimonia Scripturæ accumulare non est necesse, cum hoc unanimi consensu omnes Christiani fateantur, quod Deus tantum unus sit.

Verum & sana ratio idem quoque dicat & doceat. Ut enim alia argumenta prætermittamus, certum est, omnem multitudinem esse signum imperfectionis. Nam si unum iungeret, non opus esset pluribus: imò ubi plures sunt, quorum alter alterius ope non indiget, id potius noxium est. Quocirca quod perfectissimum est, unum tantum esse necesse est. Quis verò dubitet, supremum numen, primum naturæ principium esse perfectissimum? quis id aliquo defectu laborare dicat? Deinde si ab unitate numinis discesseris, nulla afferri possit causa, cur aut duo magis sint



Dii, quam tres, aut vice versa tres quam duo vel quatuor, & sic deinceps: ita ut vel in unitate sit acquiescendum, vel cum nullius certi numeri ratio constare queat, ad infinitam Deorum multitudinem sit deveniendum, qua nihil est à ratione sana alienius. Absurdiſſima ergo est multitudo Deorum, quam impia olim Gentium superstitio invexit: qui quidem duplici ratione peccarunt. Primò quòd in tres supremum hujus universi imperium distribuerunt, Jovem cœlo potissimum, Neptunum mari, Plutonium inferno, summa cum potestate præficientes. Deinde, quòd ut hos, ita & alios pro libitu finxerunt, ac coluerunt Deos propè innumerabiles, qui supremis illis subessent.

Sed, ut ad Deum verum redeamus, unum tantum numero, omnes Christiani, ut modo diximus, fæſentur. Quia verò unius numero rei nonnisi una est essentia, ideo omnes unam tantum esse Dei essentiam seu substantiam affirmant. Et rectè quidem: essentia enim rei est, id quod res est; cum ergo una res nonnisi semel sit id quod est, manifestum est, eam necessàrio nonnisi unam essentiam habere. Si enim plures essentias una haberet, pluries etiam quam semel una res foret, id est, non una res foret, sed multæ res. Quare si in Deo plures una essentia essent, non unus tantum Deus esset, sed multi Dii: tot nimirum Dii forent, quot haberet essentias. Jam vero creditur vulgo in Christiano Orbe, etsi Deus Altissimus unam tantum habeat essentiam, non tamen unam illius esse personam, sed tres distinctas inter se. Quod dum dicunt, perinde est, ac si dicerent, Deum unum tres distinctas habere essentias, adeoque tres Deos esse. Est enim persona nihil aliud, quam substantia prima intelligens. Ubi ergo una tantum est ejusmodi substantia, una tantum est persona: ubi plures personæ sunt, ibi etiam plures ejusmodi substantias esse necesse est. Si igitur in Deo, ut isti volunt, tres distinctæ personæ sunt, sequitur etiam tres distinctas in eo esse essentias, adeoque tres distinctos Deos esse. Quocirca ii qui dicunt in unica suprema Deitate unam duntaxat essentiam & tres personas esse, loquuntur inter se pugnantia, & quæ veritati nullo pacto sunt consentanea. Accipiunt illi vocem *unius* in ea significatione, cujus exemplum neque in divinis libris, neque in ullo profano auctore, neque in communi sermone monstrari potest. Per inductionem enim omnium exemplorum, quæcunque excogitari queunt, patet, rem quamque per se subsistentem ac intelligentem, si una sit numero, unam tantum esse personam, non plures. Etenim unus homo, una est persona; similiter & Angelus unicus, una persona est. Ac ne in rebus tantum creatis id locum habere dicas; idem in divinis cernimus. Nam omnes agnoscunt, unum Patrem Jesu Christi, unam personam esse; & unum Filium Dei tantum unam personam esse; sic etiam de Spiritu sancto, qui unus est, sentiunt, eum nonnisi unam esse personam. Breviter, nullum neque in terrenis rebus, neque in coelestibus reperiri potest exemplum rei, quæ aliter se habeat. Cum ergo & Deus supremus, ipsis quoque fatentibus, unus sit numero, & unam essentiam intelligentem habeat, quid est, cur is quoque una persona non sit? Quomodo igitur erit tres personæ? Præterea *Dei* nomen supra docuimus esse nomen imperii potissimum ac potestatis, & hoc loco eum denotare, qui summo imperio cuncta regat. Imperare autem & regere nonnisi personarum est. Qui ergo unum esse dicit Deum, unam dicit esse personam, summo imperio pollentem: qui plures hujusmodi personas dicit, plures Deos dicit. Quod si idem nihilominus unum dicat esse Deum, sibi ipsi contradicit, & non Deorum magis, quam personarum supremam divinitatem habentium pluralitatem hac ratione tollit.

Jam cum intelligamus, ex iis, quæ hætenus dicta sunt, supremum Deum, qui potestate absoluta atque imperio super omnia præditus est, tantum unum esse tum essentia, tum persona; quæritur porro: Quænam persona sit ille unus summus Deus? Confitetur autem

totus Christianus orbis, nemine contradicente, Patrem Domini nostri Jesu Christi esse illum unum verum ac summum Deum. Unde sequitur evidenter, solum Patrem Domini nostri Jesu Christi, neque ullam aliam præter eum personam, esse Deum summum: quandoquidem Pater Domini nostri Jesu Christi unica tantum persona est.

Atque hoc ut pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis insuper confirmemus, nunc nihil attinet: sufficiet nobis hoc irrefragabile atque invictum argumentum, quod textus noster, quem præmanibus habemus, clarissimis ac disertis verbis continet, ut nemo sanæ mentis absque præjudicio ea legens, possit de firmitate argumenti dubitare. Nam ut in superiori Concione indicatum est, ostendit Christus in hoc nostro textu medium, vitam æternam consequendi, idque non aliud, quam cognitionem Patris & Domini nostri Jesu Christi. Patrem describit hoc modo, quod sit ille solus verus Deus. Christum autem describit, quod ab illo missus sit. Unde tale argumentum validissimum formari potest:

*Solus Pater Domini nostri Jesu Christi est ille verus summus Deus.*

*Nulla alia persona, quæ est præter Patrem, sive in cælo, sive in terra, est Pater.*

*Ergo nulla alia persona, quæ est præter Patrem, sive in cælo, sive in terra, est ille verus summus Deus.*

Major propositio in textu habetur verbis clarissimis & expressis. Minor à nemine negatur, quia apud omnes in confesso est, Patrem Jesu Christi tantum unam personam esse. Conclusio igitur falsa esse non potest.

Nihilominus tamen præjudicata opinio facit, ut homines, præter Patrem, etiam Filium & Spiritum sanctum pro uno altissimo Deo habentes, quærant hic rimam aliquam elabendi, & hunc validum ictum declinare variis modis studeant. Ajunt, Patrem solum quidem hic verum Deum dici, sed non ideo, ut ab eadem illa Deitate excludatur Filius & Spiritus sanctus, verum, ut excludantur tantum idola, seu falsi Gentium Dii, ad quos Christus solos in his verbis respexerit. At effugium hoc nimis est infirmum ad argumentum nostrum evertendum. Est quidem verum, ideo Patrem solum verum Deum à Christo appellari, ut ii à vera Deitate excludantur, qui jam tum pro Diis falso habebantur, ac colebantur: sed ea tamen ratione & iis verbis id fit à Christo, quæ latius pateant, & non tantum illos falsos Deos, verum & quavis alias personas, quæ Pater non sunt, à vera seu suprema illa Deitate excludant. Ea namque est vis vocis solius, ut omnes alios excludat à communione prædicari, præter eum, cui apponitur. Ut in exemplo, cum dico, Christus solus est verus & unigenitus Dei Filius, patet, sensum horum verborum esse, quod nullus alius sit verus ac unigenitus Dei Filius, præter Christum, ita ut hisce verbis etiam Pater excludatur, & y eorum rectè concludi queat, Patrem non esse unigenitum Dei Filium. Ita cum dico, solus Elias igneo curru vectus est in cœlum; sensus est, neminem alium, præter Eliam, tali modo in cœlum esse subvectum. Item: Sola virgo Maria enixa est filium absque viro; sensus est, nullam aliam foeminam præter Mariam filium absque viro esse enixam. Atque sic se res habet in omnibus ejusmodi locutionibus, ut cum aliquid de aliquo solo prædicatur, id de nullo alio amplius prædicari possit. Nec datur ullum dissimilis locutionis exemplum. Cum igitur in his Christi verbis solus Pater Jesu Christi verus Deus dicatur, perspicuum est, à communione hujus prædicati omnes excludi, præter Patrem, ac porro etiam Christum & Spiritum sanctum. Et certè, si, præter Patrem, etiam Christus & Spiritus sanctus verus Deus essent, perperam, etiam propter falsos Deos, *solus Pater* diceretur verus Deus. Perinde enim id foret, atque si quis propter falsos Apostolos diceret: Paulus solus est verus Apostolus. Vel,



fi diceretur propter falsos Prophetas: Elias solus est Propheta.

Alii agnoscentes hujus effugii vanitatem, totum ordinem verborum invertere non dubitant, contenduntque verba sic construenda esse, ut sensus sit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & eum quem misisti, Jesum Christum, esse illum solum verum Deum.* Itaque tantum abesse, ut his verbis Christus à suprema Deitate excludatur, ut ea potius illi expresse tribui censenda sit. Sed revera magna est audacia istorum hominum, qui planam verborum constructionem ita pervertere, atque violenter detorquere audent. Si ita liceret cum Scriptura Sacra pro cujusque libitu agere, & transponere verba prout placer, quid tandem certi in Scriptura nobis relinqueretur? Verum etsi concederetur, hanc esse verborum istorum sententiam, quod Pater & Iesus Christus solus sit verus Deus, evertetur nihilominus hac ratione adversariorum de Spiritus sancti Deitate sententia. Si enim Pater & Christus solus est verus ille Deus, Spiritus sanctus Deus supremus revera non erit, quia is neque Pater, neque Iesus Christus est. Adde quod hic ipse textus noster non unum nobis præbeat clarum argumentum, ex quo liquet, Christum non esse illum verum ac supremum Deum, qui Pater est. Primum est, quod Christus preces ad Patrem fundat. Preces verò semper instituuntur ad aliquem superiorem, & ob res ejusmodi, quibus is, qui precatur, ipse caret, neque eas ex se habere potest, sed ab alio sublimiori efflagitare cogitur. Ex quo evidens est, Patrem superiorem esse Christo, & Christum id tunc non habuisse in sua potestate, neque efficere potuisse, quod à Patre petebat. Jam verò Deus Altissimus se neminem superiorem habet; alioqui non foret supremus atque Altissimus. Non etiam opus est, ut Deus summus ab alio aliquid petat, ut qui omnia quæ ad perfectam ac summam felicitatem ejus pertinent, ab omni æternitate ex seipso habeat, & quicquid vult ac cupit, propria sua vi ac potentia efficere possit. Deinde Christus hoc loco ita describitur, quod sit missus à Patre. Deus autem supremus à nemine mittitur, à nullo superiori accipit mandata, prout solent legati à mittentibus instrui mandatis, quæ quàm diligentissime curare atque executioni mandare tenentur. Præterea dum Christus hic Deum Patrem suum vocat, eo ipso testatur, & indicat, se esse ejus Filium. Deus autem Altissimus nullius est Filius, à nemine genitus, neque productus est, originemque suæ essentiae nemini fert acceptam, sed est ab æterno à seipso & ex seipso. Verum hac de re, in sequentibus, si Deus nobis concesserit, pluribus agemus, ubi ad cognitionem Jesu Christi ventum fuerit.

Hoc insuperad refellendam hanc objectionem ultimò allatam, addere juvat, quod non solum ordo verborum, sed etiam concinnitas orationis postulet, ut prior descriptio, nempe *illum solum verum Deum*, Patri, cui proximè adhæret, sit propria: quemadmodum etiam posterior descriptio, *quem misisti*, Christo est peculiaris. Nimis enim absurdum foret, si Christus primum peculiari ratione describeretur, & iterum ea, quæ illi sit cum Patre communis; idque iis verbis, quæ si ordinem spectes, non minus Patri propriè attribui videntur, quam posteriora Christo. Cumque Christus se Patri, & cognitionem sui cognitioni Patris adiunxerit, omnino statuendum est, eum simul, quantum inter se & Patrem suum interfit discriminis, ostendere voluisse. Significare enim voluit, Patrem tanquam summum rerum omnium Monarcham ac Principem cognoscendum, ejusque voluntatem per se attendendam esse; se verò tanquam legatum ejus spectandum, qui voluntatem ejus annunciet, & certissimis documentis demonstret, eandem porro Dei nomine executurus ac perfecturus.

Argumentum hoc, probans, solum Patrem Do-

mini nostri Jesu Christi esse Deum summum, quod textus noster hic nobis suppeditat, etsi sit solidissimum & sole clarius, adeoque per se sufficit ad veritatem istius rei demonstrandam: accedit tamen non exigua lux ab aliis locis Sacrae Scripturae, quæ idem de Patre luculentissimis verbis testantur. Quælis inter alia est locus Pauli Apostoli in priori Epistola ad Corinthios cap. 8. vers. 6, qui sic habet: *Etsi sint, qui dicuntur Dii, sive in cælo, sive in terra (sicut sunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum.* In hisce verbis Paulus Apostolus nobis declaraturus, quisnam sit ille unus Deus, simpliciter tantum Patrem nominat: non dicit, Deum illum unum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Qui autem fieri potuisset, si unus ille Deus non solum est Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus, ut Paulus nos docere volens, quis sit Deus ille unus, solius Patris meminisset, reliquis duabus personis penitus omisis?

Non minus clarum a gumentum est & illud, quod ex ejusdem Apostoli Epistola ad Ephesios sumitur cap. 4. vers. 3, & seqq. ubi sic legitur: *Studete conservare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum est corpus & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, una baptisma; Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis.* Quibus verbis Apostolus Ephesios ad unitatem exhortatur, atque ad hanc persuadendam hoc utitur argumento, quod singula ista hic enumerata, unum tantum sint: ac inter alia dicit etiam unum tantum Deum esse, eumque non alium esse indicat, quam Patrem.

Idem Apostolus quoque scribit 1 Tim. cap. 2. vers. 5. *Unus est Deus, & unus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.* Quo in loco per unum Deum solum Patrem intelligi, inde patet, quod ipsi adversarii fateantur, Christum quatenus est Deus & homo simul, inter Patrem & homines mediatorem esse.

Huc faciunt quoque verba Christi Matth. 24. 26, ubi sic discipulos suos alloquitur: *De die autem illa & hora (nempe ultimi judicii) nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Apud Marcum autem ait Christus cap. 13. vers. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit; neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Cum ergo solus Pater aliquando sciverit ultimi judicii diem, idque ita, ut eum ne Filius quidem sciverit, evidentissimum est, solum Patrem esse summum Deum.

Sed in re clara satis pluribus argumentis uti necesse non est: cum eorum plena sit Sacra Scriptura, & alibi à nostris integri libri ea de re conscripti sint, in quibus argumentis solidissimis res hæc sole meridiano clarius demonstrata est, atque adversus omnes subtilissimas adversariorum objectiones ac sophismata accuratè communita. Vide librum Crollii de Uno Deo Patre. Nos nunc videbimus, quem usum nobis hæc cognitionis Dei pars, quod unus tantum sit Deus, afferre possit.

#### DOCTRINÆ.

**H**æc pars cognitionis Dei, quod Deus Altissimus unus tantum sit, qui potestatem suam à nemine accepit, utum habet in universa religionis Christianæ ac cultus divini ratione longè maximum, & imprimis necessarium. Nam primum in eo ipso pars magna consistit gloriæ, quam supremum sibi Numen jure suo vindicat, ut solum pro eo rerum Domino & Rectore agnoscat ac prædicetur, qui à seipso imperium omne habeat. Pars hæc magna est honoris ac reverentiæ, quam ipsi debemus, ne quem ei audeamus apponere socium. Et hoc est, quod Deus honorem suum in prima decalogi parte

feu, ut loquuntur, tabula sanciens, id primo omnium vetuit, *ne Deus alius coram ipso habeatur*. Quod populo quidem Israëlítico nominatim dictum est, sed omnes tamen revera obstringit omni tempore. Habent autem Deum aut Deos alios coram supremo Numine, non tantum qui plures uno Deos supremos statuunt aut colunt; sed & qui supremo Numinaliquem adjungunt in imperio naturæ limites excedente focium, & occultiozem rerum humanarum gubernationem ac procurationem audent impertiri ei, quem ipse Deus summus sibi non adjunxerit, & adjunxisse clarissime non fuerit testatus. Et hi, & illi lætæ Majestatis divinæ sunt rei; utrique unitatem supremi Numinis oppugnant: quanquam illi apertissime, hi posteriores aliquanto occultius. Unum Regem aperte non agnoscit, qui plures supremos in eodem regno aut Republica dominos manifeste statuit: sed & ille plures quodammodo Reges inducit, qui ea munia, quæ ad Regem primo spectant, & nonnisi ab ipso met cum aliis communicari possunt, cum iis sententia sua communicat, quibus ea Rex ipse non commisit; ac porro honoris eos regii participes facit: ut ut illos interea Reges non appeller, imo Regi subesse aperte dicat. Sic & plures Deos apertissime quidem illi statuunt, qui plures supremos, ac sibi invicem minime subordinatos in hanc rerum universitatem introducunt dominos: verum & illi, quanquam aliquanto minus aperte, idem faciunt, qui occultam illam, & naturæ limites excedentem gubernationem & providentiam, ac porro & cultum religiosum sua sententia in plures dividunt, quibuscum ista Deus non communicavit, aut communicasse manifeste testa-

tus est; utut eos Deos non appellent, imo Deo supremo hac in parte ministrare aut subesse dicant, & honorem illis exhibitum, in ipsius honorem cedere putent. Nam si unus est supremus rerum omnium arbiter, unus qui à seipso imperet omnibus; quicquid est imperii, id nonnisi ipso dante aut permittente potest teneri: & tanto quidem minus, quanto id est supremo propius. Proximum autem illud est, quod naturæ limites excedit, & rationem imperiorum humanorum omnem superat. Hoc enim vere divinum est: quemadmodum & cultus ille vere divinus est, qui cuiuspiam ob huiusmodi gubernationem ac procurationem rerum tribuitur. Et tamen hodie quoque occulta illa, & naturæ limites excedens gubernatio ac procuratio, & simul cultus religiosus, citra ullum divinum testimonium, nedum, quod hic requireretur, apertum & omni exceptione majus, in multos dividitur ab iis, à quibus minime debebat. Nam & mater Domini Maria, ut reginacæli, & divinisimorum donorum veluti dispensatrix quædam colitur; & alius ex sanctis vita functis, ut hujus, alius ut illius regionis aut urbis coelestis quidam patronus, alius ut huic, alius ut alii præcipue rei curanzæ præfectus, religiose adoratur, & precibus auxilium ejus, licet longissime absentis, infinitis etiam locis simul imploratur: quo ipso divinitas illi revera adscribitur, etiamsi ut quidam apud Deum intercessor compelleretur. Porestatis quidem aut virium imperfectionem intercessio arguit: at divinitatem non tollit. Neque vero desunt inter hujus erroris patronos, qui sanctis aliquid intercessione majus adscribere non dubitent.

Reliqua desiderantur.



# ANNOTATIONES

## Ad quatuor Quæstiones, de Magistratu, Bello &c. & quæ cum his conjuncta sunt.

**C**irca Quæstiones vexatas de Magistratu, Bello, & quæ his connexa sunt, tantum jam in utramque partem disputatum est, ut vix novi quid in medium adferri posse videatur. Quapropter in propositarum quatuor Quæstionum disquisitione, cæteris omiſſis illa tantum præcipuè prosequemur, quorum occasio ex authoris verbis nobis nascetur.

### QUÆSTIO I.

An Christianis Magistratum gerere liceat?

**Q**uæstionis hujus tractatio admodum imperfecta est, quia potestatis coactivæ, seu Juris gladii nulla fit mentio, sed separata de illâ instituitur quæstio, quarta in harum ordine. Forſan non absque causâ, nimirum, ne pius Lector, furcâ, patibulo, gladio, tantquam, Medusæ capite perterrefactus, judicium in iis præoccupet, quæ Author molliter & quasi per obliquum, sub solo Magistratus, & quidem non dominantis sed quam humillimè servientis nomine, insinuare satagit. Unde quarta illa quæstio quæ de potestate coactivâ agit, ad calcem rejecta videtur. Talis autem Magistratus, de quo Author hîc præcipuè quærit, absque potestate coactiva nulla ratione consistere, nec illa potestas ab alio, quàm à tali Magistratu exerceri potest. Quapropter primæ hujus Quæstionis examen commodè institui non potest, quin potestatis quoque coactivæ fiat mentio.

### VERBA AUTHORIS.

*Quod ille de Philosophis dixit, regna tum demum fore beata, si aut Philosophi regnarent, aut Reges philosopharentur, hoc longè meliori jure dixerit quispiam de Christianis, si aut Christiani regnarent, aut Reges essent Christiani. Quid enim tali regno foret felicius?*

### ANNOTATIO.

**A**n majorem felicitatem Christianus populus sperare potest sub Rege aliquo ex hominibus, etiam optimo, quàm quâ, si modo ipse velit, nunc frui datur sub Christo Rege sapientissimo, justissimo, benignissimo? Quænam pars felicitatis excogitari potest, quæ desit Christiano vere pio & Christo Duci suo ex toto corde obedienti? Civilis tranquillitas, dicet quispiam deest sub Regibus non Christianis. Itane? Ergo Christus Rex cœlestis ita impotens est, ut hanc populo suo præstare non possit, si eam ex ipsorum commodo esse agnoverit? Cui igitur acceptam debet Ecclesia tranquillitatem summam, qua diversis temporibus inter medios hostes frui solet, & in hoc ipso etiam Regno hætenus fructa est? Præterea, tranquillitas civilis non simpliciter ad felicitatem Christianorum pertinet: imo plerumque longe felicius est ipsorum conditio, si sub Regibus non Christianis aliquantum premantur, quam si sub Regibus Christianis summa fruuntur quiete. Nam luxuriant animi rebus plerumque secundis. Sic primitiva Ecclesia nunquam magis pietate floruit, quam sub Imperatoribus tyrannis. Christianus etiam verus tranquillitatem civilem non aliter optat, quam quatenus sibi salutaris est, & gloriæ Christi promovendæ intervire potest, alias mavult sub cruce exerceri quam gaudere secundum carnem. Meminerint illi qui novum hoc regimen per magistratum ex hominibus introducere satagunt, quæ Deus olim populo suo per Samuelem dixit, ne idem à Domi-

no Jesu audiant: *non te sed me rejecerunt, ut non sim Rex super illos.* 1 Sam. 8. 7.

### VERBA AUTHORIS.

*Sed nunquam tam benè actum est cum rebus humanis, nec fortassis agetur unquam, ut Christiani, quales intelligimus, Reges fiant, aut Reges fiant tales Christiani, simulque utrumque consistat.*

### ANNOTATIO.

**I**Ta est, nunquam hoc futurum: sed non ob illam causam quam author subjungit, propter errantium multitudinem & potentiam, piorumque perpetuam paucitatem, sed propter rei ipsius naturam, quæ heterogenea talia simul non admittit. Regnum Christi non est de hoc mundo; quare alius Rex quam cœlestis locum in eo non habet. Qui sibi Vicariatum Christi sub quocunque etiam prætextu arrogat, & jus tam in bona quam in vitam fratrum suorum sibi sumit, is proculdubio Usurpator est. Sed nec ipse populus Christianus hoc munus & jus alicui deferre potest, cum nemo jus in alium transſerre possit, quod ipsemet non habet. Loquor autem de Regno Christi, in strictiore significato, quatenus solam Ecclesiam comprehendit, in cujus regimine nullum ipse habet Vicarium, quam Spiritum suum qui corda suorum regit, & salutaria quæque suggerit. Nam in latiori significato, quatenus Univerſum sub se complectitur mundum, habet Christus extra Ecclesiam iræ suæ administratores & Vicarios ex hominibus, sed non ex filiis, verum ex servis.

### VERBA AUTHORIS.

*Deo inutilis & supervacanea videtur esse hæc Quæstio in tanta errantium multitudine & potentia, piorumque perpetua paucitate.*

### ANNOTATIO.

**I**Mo multo inutilior esset quæstio in paucitate errantium & multitudine ac potentia piorum: Cui enim bono præficeretur Magistratus ex hominibus iis, qui cœlesti suo Regi ex animo parent? Sed quocunque in statu Ecclesiæ hæc quæstio proponatur, illa non modo inutilis est, sed ejus decisio ab autore allata etiam valde noxia, ut pote quæ ipsa Religionis Christianæ fundamenta tentat, dum Ecclesiam Christi carnali subjicit administrationi, quæ hætenus sub Spiritu Christi regimine tam bene se habuit. In tanta hominum etiam veritatem profitentium imbecillitate, in tanta naturæ regni Christi ignorantia, satius esset ejusmodi quæstiones æterna sepelire oblivione; quam toties ad incudem revocando, incautis & infirmis mentibus talia sensim instillare, quæ successu temporis Ecclesiæ Christi quam maximam adferre possunt noxam. Quid enim facilius est, quam ut imbecilliorum multi sibi persuadeant jam esse felicia illa tempora, quibus Christiano



licet Regio jure in fratres uti, & ex hac persuasione talia incant consilia, quæ religionis Christianæ puritati è diametro sint contraria. Mirum, quam crasse & crude jam nonnulli ex junioribus, qui hanc sententiam propugnant loquantur! Et exempla etiam recentia piis omnibus quam tristissima, perniciem hujus quæstionis comprobant. Talia sub Constantino imperatore putabantur felicia tempora Christianis sub persecutione jam defatigatis, quæ tamen extremæ Ecclesiarum corruptioni initium dederunt. Annon eadem foret Ecclesiæ Christi facies, si hisce temporibus Regum aut potentiorum Principum aliquis veritatem amplecteretur & in Ecclesiæ gremium (quod proculdubio, suffragiis majoris numeri in hanc partem inclinantibus fieret) reciperetur?

Sed videtur Author argumentum adferre ex verbis Salomonis, pro quæstionis suæ affirmativa, dum ait,

#### VERBA AUTHORIS.

*Per me Reges regnant, & Judices justa decernunt, inquit apud Salomonem Sapientia. At quæ Sapientia? Illa in Lege Moysi descripta: quanto igitur magis dicere de se possit sapientia à Christo perfectissimo sapientiæ magistro tradita?*

#### ANNOTATIO.

Nihil hic dicit Author, cui contradici possit, omnia enim vera sunt, sed quæ nihil pro ipso concludunt, imo potius, sententiam ejus evertunt. Reges Veteris Fœderis quam optime populum regebant, si administrationem ex præscripto Legis Mosaicæ (hanc enim Salomon per sapientiam intelligit) quam exactissime instituebant. Novi Fœderis Rex Christus eo præstantius populum suum regit, quo ejus divina sapientia, legalem sapientiam infinites antecellit. Et ii, quos regiminis sui administratos constituit, olim quidem Apostoli, Evangelistæ, Prophetæ, nunc vero Pastores, Doctores, Seniores, quam optime Ecclesiam regent, si à norma legum ab ipso & primis illis Ecclesiarum fundatoribus præscriptarum, non recedant.

Sed videtur Authori in hoc regimine Ecclesiastico esse quædam imperfectio in eo, quod flagitiosi non alia quam excommunicationis poena afficiantur; perfectam verò sapientiam omnino requirere putat in quovis regimine ut exempla statuatur, hoc est, ut morte vindicentur graviora delicta, in metum cæteris quo in officio contineantur. Ita sane est, absque exemplis imperfectum esse quodvis regimen. Propterea videmus sapientissimum Regem Christum tot exempla illustrissima in impiis statuere, per horrenda supplicia, quibus orbem vix non evertit; & quidem tanta cum sapientia simul & benignitate, ut servos castiget, quo filii timeant. Imo Christum etiam suos gravissime castigare, non solum variis afflictionibus, sed etiam mortis poena, quotidiana comprobatur experientia, & ipse etiam Paulus clare innuit 1 Cor. 2. 30. dum ait, *Propterea inter vos plurimi imbecilles & invalidi & multi dormiunt*, hoc est, præmatura morte sunt abrepti. Quem hæc exempla non absterrent à malo, illius conditio jam est deplorata. Ejiciantur impii in exemplum aliis ex Ecclesia, & ecce foris paratum habebunt gladium, patibulum, rotam etiam. Eruntque sic intra & extra Ecclesiam exempla. Fatendum est, plurimos esse tam duræ cervicis, ut excommunicationis poenam, vilipendant; sed annon sunt etiam tales innumerabiles, qui nec carnificis supplicium reformidant? Exempla sunt in promptu in toto orbe, ubi nulum non flagitii genus grassari videmus, etiam in optimis Republicis. Certe quos vitæ æternæ præmium non incitat ad virtutem, & metus æternæ damnationis, quam excommunicatio impoenitentibus denunciât, à vitiis non absterret, illorum animos carnificis metus non flectet ad bonum. Et quid indignius religione Christiana, quam populum liberrimum vi carnali ad pietatem cogere?

Præterea, si Ecclesiæ regimen imperfectum est absque potestate coactiva ab hominibus exercenda, necessarium omnino fuisset, ut sapientissimus ille Legislator Christianus, leges certas, claras, perspicuas dedisset, quæ docuissent, qua poena, aut quonam mortis genere unumquodque flagitium esset puniendum. Sed cum altum sit de iis silentium in scriptis Novi Fœderis, neque in praxi Apostolorum vel minimum vestigium appareat, ipsos tali potestate in fontes fuisse usos; patet, potestati coactivæ à civili magistratu exercendæ in Ecclesia Christi nullum esse locum. Sunt quidem Leges nonnullæ circa quorundam peccatorum poenas à Christo præscriptæ, sed tales, quarum executio nulli mortalium, sed soli Christo competit.

Videlicet, cum iram Christus Matth. 5. 22, 28. homicidio æquiparat, libidinosum aspectum mulieris adulterio, cum verbum contumeliosum Gehennæ supplicio dignum censet, &c. Unde de graviorum flagitiorum poenis judicium ferri potest, quod nulla humana potestas illis infligendis par sit. Neque est, quod quis dicat, legem Mosaicam hac in parte non esse sublatam, sed secundum illius præscriptum supplicia esse irroganda. Jam enim dictum est, in Regno Christi longe graviora supplicia peccatis destinata esse quam sub lege. Quis igitur ausus fuerit rigori huic quicquam derogare, & judicia Christi ad mitiores leges restringere? Præterea si quis secundum leges Gentium judicia exercenda esse contendat, adhuc pejus dicit. Leges enim Gentium cum Republ. Judaica consistere non poterant, nedum cum Christianæ. Si ex Legis Mosaicæ præscripto punienda sunt peccata, misericordia nullum habet locum, exulare debet Christiana illa æquitas, quæ de peccatis nonnullis, ob quasdam circumstantias, quas Lex Mosaicæ non considerat, mitius fert judicium, & aut venia, aut leviori poena digna censet. Sunt, qui tales conceptus & cogitata animovolvunt: si magnus esset piorum numerus, ita, ut integram provinciam, insulam aut civitatem soli possiderent illorum Rex publica brevi dissolveretur, si gravior poena quam excommunicatio in flagitiosos non statueretur. Numerus enim impiorum excommunicationis impatientium, brevi pios superaret, illosque persequeretur. Sed hoc posterius dubium est. Quam enim unquam persecutionem perpessa est Christi Ecclesia ipso non permittente? Et quam evadere potuit afflictionem etiam numerosissimus Christi populus, cum ipsi placuit sub cruce illum exerceri? Quid si ipsemet Christus talem populum judiciis suis prosequatur, qui metu persecutionis & carnalis tranquillitatis desiderio, fœdissimos hædos, hypocrítica pelle tectos, gregi suo, cum ingenti bonorum periculo, potius permixtos, quam ejectos cupiunt, illos, nimirum, qui sprete benigna excommunicationis poena, quæ veniæ locum relinquit, non filiali amore, sed servili solum carnificis metu, ipsi obediunt? Si quis rem penitus consideret, videtur quæstionis hujus scopus is esse, ut Ecclesia Christi sit numerosus populus, par aliis gentibus aut sectis, cui vires sufficiant, persequentium vim vi repellendi, & bellum ipsi inferentibus paria opponere arma carnalia: eo enim secunda quæstio spectat, ut suo loco apparebit. At Christi gregis conditio semper talis est, ut sit parvus, & conformis Regi suo, nimirum, ut sub perpetuis afflictionibus militet. Tranquillitate diuturna corrumpitur non aliter, ac aqua stagnans & raro commota cito putrescere solet.

Post hæc Author novam explicationem affert illustris illius loci apud Matthæum & Marcum, quem præcipue suæ sententiæ obstare novit, & ait:

#### VERBA AUTHORIS.

*Neque huic rei quicquam obstiterint, illa Christi verba, apud Matthæum & Marcum, ad discipulos de principatu inter se contententes: scitis, inquit, quod principes gentium dominantur in eas, & qui magni sunt potestatem exercent in eas; Non sic autem erit inter vos: Sed si quis*

si quis velit, inter vos esse magnus, sit vester minister, & si quis velit inter vos esse primus, sit vester servus. Apud Lucam similiter. Reges gentium, inquit, dominantur eis, & qui potestatem exercent in eas, benefactores appellantur, vos vero non sic: sed qui major inter vos, sit tanquam junior, & dux tanquam minister. Quis enim est major, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem sum in medio vestri, tanquam ministrans. Apud Matthæum autem & Marcum, ait: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionis pretium pro multis. Quibus sane verbis non tollit Christus ex Ecclesia sua Reges & principes & dominatores gentium. Nam & ipse Rex erat & Dominus.

## A N N O T A T I O.

**H**Ujus loci verum ac genuinum sensum nullus nos interpres melius docuerit, quam perfectissimus ille totius Novi Foederis commentarius, nempe *vita Christi*, quam ipsemet in exemplum adducit, & Author etiam urget. Hanc si imitentur ii, qui qualicumque officio in populo Christi funguntur, proculdubio non aberrabunt. Sed quam longe abest vita Christi ab illo Regio Dominio, quod Author in Ecclesiam Christi introducere satagit? nimirum, quod potestatem coactivam sive jus gladii sibi junctum habet, cujus potestatis vi & facinora morte vindicare & violentas hostium invasiones armis reprimere licet.

Et si enim Christo Regia destinata erat dignitas, tamen reipsa Rex non fuit dum in terris versaretur, imò nec fas ipsi fuit, regiam exercere potestatem, antequam ad thronum majestatis eveheretur; id quod deum post mortis triumphum in præmium perfectissimæ obedientiæ factum est. Quapropter ne nimirum quidem actum Regia Majestate dignum, & dominio illi coactivo, quod author intelligit, convenientem in terris exercuit: in inobedientes non animadvertit, flagitiosos nullos morte affecit, injurias contra majestatem suam non vindicavit, deficientes à se & rebelles violenta manu non cohibuit, nec ipsam mortem innocenter sibi illatam à se propulsavit. Miracula verò à se edita, quæ quidem divinæ majestatis evidentissima erant signa, non ad Regiam dignitatem pertinebant, sed ad Propheticum munus, & doctrinæ suæ confirmationem. Unde illis ne minimum quidem in ullius hominis perniciem, aut facinoris alicujus vindictam usus est; cæterum, in omni vita ita salutem humani generis curæ sibi habuit, ut nihil illorum omiserit, quæ ab humillimo etiam servo requiri possent.

Præterea, cum Regium dominium non solum in potestate coactiva consistat, sed etiam in singulari quadam dignitate & præ eminentia, quæ Regibus honorem & metum apud subditos conciliare solent, tantum abest, ut Christus tali dignitate in vita sua fuerit usus, ut etiam illa sese abdicaverit, qua absque ullo scandalo uti potuisset; nimirum, quæ ipsi ut Doctori seu Magistro supra discipulos competeat. Sunt enim quædam dignitates & præ eminentiæ, quas etiam in Ecclesia Christi conservari ipsa rerum natura & decor jubet, nimirum, dum filii parentes, servi dominos, uxores maritos, discipuli præceptores (qui parentum loco haberi solent) decenti modo venerantur. Christus profecto, ut divinus Doctor & discipulorum suorum Dominus, perpetuo uti potuisset accumbentis jure, discipulorumque suorum ministerio; tamen, ut perfectissimum humilitatis exemplum præberet, etiam servientis seu ministrantis unum atque alterum actum perpetravit, lavando tergendoque discipulorum pedes: imo, ut recte author quoque monet, per totam vitam non ut accumbentem sed ut ministrantem & humillime servientem sese gessit. Quod si igitur author tales Reges, Duces, majores sci. in Ecclesiam introducere satagat, qui ad exemplum Christi omnibus serviant, nemini imperent, nisi domesticis suis, idque ex lege Christi, ministrari sibi non patiantur (præter leviuscula illa ministeria quæ quilibet servus Domino

suo ex lege naturæ præstare tenetur) omnibus profint, nemini noceant, vi nulla coactiva utantur, facinora corporali poena non vindicent, sed vindictam supremo Regi Christo, in cœlis nunc reipsa regnanti committant, populumque liberrimum liberrime regant; præcepta Christi ad summam patientiam & fiduciam in Deum, pertinentia, nec ipsi violent, nec populo violandi authores sint, nimirum vim vi non repellant, sed in periculis etiam gravissimis divinum Regis sui præstolentur auxilium, quæ omnia exemplo Christi conformia sunt; præterea qui ipsimet Ecclesiæ judicio & decretis subjectos sese agnoscant, si qua in re præcepta Christi transgrediantur: Si tales, inquam, Reges & imperatores author intelligit, non est quod cum ipso multum contendamus. Sed quid talis Rex differet à communi quovis œconomo, procuratore, Seniore, aliove ministro Ecclesiæ? Ad lites & controversias civiles inter partes dirimendas, ad proventus Ecclesiarum administrandos, ad illarum causas in foro civili apud Magistratum externum agendas, aliaque communitatis commoda procuranda, nunquam defuerunt nec deerunt, viri muniis hisce digni in Ecclesia Christi, qui aut perpetuo illa administrarent, veluti Diaconi & Seniores, aut quibus pro re nata & occasione oblata, illa deferantur ad tempus. Quid aliis Regibus opus est, qui præter inanem titulum, nil supra hosce præstare in Ecclesia possunt? Imò talem Regem quemlibet Christianum esse decet, etiam non peculialiter ad hoc munus vocatum, ut nimirum Ecclesiæ commodum omni quo potest studio, promoveat.

Quare si Authoris explicationem verborum Christi apud Matthæum & Marcum exactius inspicias, aut nihil dicit, quod causæ suæ faveat, aut contradictoria statuit. Nam dicere Regem, & omnia Regia jura, regium imperium, regiam dignitatem & potestatem adimere; & ad humillimam servi conditionem, qualis in Christo patuit, redigere, est sibi ipsi contradicere. Nam Regis, ut Regis, seu Magistratus ut Magistratus constitutio propria consistit, in dominio & potestate coactiva, eaque, si rei naturam spectes, absoluta; cujus vi ipsi singularis honor, metus & obedientia debetur, tanquam Dei vicario; quamquam ipsius potestas, limites legum à superiore Magistratu ipsi præscriptos excedere non debet. Cui hæc majestas & potestas, aut immediate à Deo, aut à populo aliquo, qui hoc jus habet, confertur, is revera Magistratus est, sive cætera, quæ ad publicum commodum spectant, quorumque respectu omnium Minister esse deberet, observet sive non. Nam si illa observat, bonus Magistratus est, sin minus, malus: at nihilominus Magistratus est, cui in omnibus obedientia debetur, quæ conscientiam non lædunt. Unde Petrus Apostolus jubet, ut famuli subditi sint Dominis, cum omni timore, non solum bonis & humanis, sed etiam pravis. 1 Pet. 2. 18. Id quod multo magis locum habet in Magistratu, cujus munus divinius quidpiam est, quam simplicium Minorum. Et si populus Christi uni alicui ex sese regiam dignitatem conferret, (id quod ipsi minime liberum est) iis conditionibus quas author in Rege vere Christiano requirit, is vero cum tempore degeneraret, non quidem in tyrannidem sed in vitam dissolutiorem; an fas esset populo Christi obedientiam ipsi denegare, aut dignitate sua eum privare. Minime: nihil igitur est, quod author dicit, Christum in his verbis non tollere ex Ecclesia Reges & Principes & Dominatores gentium &c. Satis enim tollit, dum omnia tollit, quæ ad Regiam dignitatem & potestatem pertinent, & conditione sibi ipsi parem facit, in quo nihil Regii in terris conspectum fuit. Sed dicit Author;

## V E R B A A U T H O R I S.

**N**on tollit Magistros, primos, majores, juniores, duces, ministros; cum & ipse Primus & dux fuerit; non tollit recumbentes & ministrantes, cum & ipse non semel recubuerit, & ministrari sibi passus sit.

## A N N O T A T I O.

**C**hristum non collere Magnos, primos, majores duces, accumbentes, falsum est. Ut enim de solis accumbentibus loquar, an non satis tollit, cum accumbentibus opponit ministrantes & dicit se inter Apostolos fuisse tanquam ministrantem? Unde clare patet, ipsum non fuisse tanquam accumbentem; proindeque cum omnes ad exemplum suum revocet, statum & conditionem accumbentium in suo Regno locum non habere. Christus non tollit ipsum actum & opus accumbendi, cum quis accumbit, & alius ipsi porrigit panem, orbem aliaque necessaria; sic enim quilibet Rusticus in sua domo accumbit, & uxor aut puer necessaria præbent. Sed Christus per metonymiam adjuncti accumbentium nomine omnes intelligit qui carnali præeminentia, dignitate & Dominio supra alios sunt elati: quilibet enim horum accumbere solet, & sibi ab aliis serviri patitur, non solum quantum necessitas postulat, sed ad carnalem dignitatem tuendam, & ad demonstrandum Dominium & potestatem in ministrantes, ac proinde plerumque à majori famulorum numero, & gestibus ad singularem reverentiam, compositis. Christus quidem ipsemet accubuit mensæ, & leviuscula illa ministeria, accumbentibus necessaria sibi præstari passus est, sed accubuit, non ut accumbens, sed ut ministrans, hoc est, nulla dignitatis alicujus habita ratione. Unde etiam in exemplum summæ humilitatis unum atque alterum actum perpetravit, omni accumbente indignum, dum Apostolis pedes lavit. Inde patet Christum nullum statum ordinem, aut munus in Ecclesia sua aut utile aut necessarium sustulisse, sed tantum *Dominatum & potestatem* in alios. Qualecunque igitur munus talem Dominatum & potestatem sibi conjunctam habet, ei locus in Regno Christi nullus est. At talia munia sunt omnium Regum, principum & Magistratum, ita quidem ut Dominatus & potestas ad essentialem ipsorum constitutionem, tanquam anima ad hominem pertineant; illisque sublati nil sint nisi umbra.

Præterea sciendum est Christum ut spiritualem Regem etiam spiritualiter regnum suum administrare à coelis, nec ullum in terris habere vicarium, suam personam sustinentem, præter spiritum suum cohabitantem Ecclesiæ suæ, cui certam certisque legibus limitatam potestatem concessit, spiritualem non carnalem, nimirum non in poenis executioni dandis, quod ipse Rex supremus sibi reservavit, sed denunciandis per spiritum, illum Evangelii quo agitur. Quæ quidem potestas cum tanta majestate, conjuncta est ut quidquid Ecclesia in terris ligaverit, aut solverit, Christus in coelis ratum habiturus sit. Quapropter sola Ecclesia jus habet unicuique secundum potestatem & leges sibi præscriptas imperandi, poenasque in inobedientes decernendi. Quod ita verum est, ut nullus in toto orbe Christiano reperiatur Rex aut princeps, si modo Christianam profiteatur religionem, qui se non agnoscat Ecclesiæ judicio obnoxium in omnibus quæ conscientia male à se facta esse suggerit. Quomodo igitur Ecclesia hoc est populus Christi tali subiectus esse potest, in quem ipsemet Dominium habet? Imò populo Christi non est liberum potestatem à Christo traditam in alium transferre, nequidem in minimis rebus, & si id fecerit pari sese crimini obnoxium reddit, ac populus olim Judæus, de quo Deus ad Samuelem ait: *Non te rejecerunt sed me ut non sim Rex super illos.* 1 Sam. 8. 7. Si quis verò per vim in tale imperium in populum Christi sese intruserit, is proculdubio læsæ Regiæ majestatis Christi se reum facit. Cæterum qualecunque quis officium in populo Christi sustinuerit, is ipsi populo tanquam superiori subiectus est, ipsique reverentiam & obedientiam debet.

## V E R B A A U T H O R I S.

**Q**uin potius ad verum Principatum, magnitudinem, primatum, ducatum omnes exhortatur, veramque illis viam dictis & factis ostendit.

## A N N O T A T I O.

**S**i veræ magnitudinis & principatus nomine talem Author intelligat, ut quis jus habeat aliis absolute imperandi, obedientiam per vim exigendi, inobedientes puniendi, falsum est Christum ad talem principatum discipulis viam ostendisse. Scopus Christi erat ab ambitione ad humilitatem ipsos revocare, quod quidem efficacius facere non potuit, quam cum viam Dominationi, quam affectabant, è diametro contrariam commonstrat, sicque ambitionem totam radicatus ex animis eorum evellit.

## V E R B A A U T H O R I S.

**N**on sic erit inter vos, inquit, vos autem non sic, nempe facite. Quomodo non sic? Non sic, inquit, ut principatum & magnitudinem ex dominatu & potestatis exercitio in alios aestimetis, eosque qui dominantur & potestatem in alios exercent, Principes & magnos & evergetas ducatis: sed aliam ego vobis ad Principatum & magnitudinem monstrabo viam: isti quam mundus sectatur, & vos veram creditis esse, ut ex contentione vestra apparet, contrariam:

## A N N O T A T I O.

**N**ihil hîc ad mentem Christi. Quoniam enim omnis Principatus aut magistratus etiam gentilium est à Deo, hoc est, à Deo in id ordinatus, ut vices ejus in terris gerat, & quidem cum potestate absoluta in vitam & necem facinorosorum; quis talem vel ex sola potestate tam divina, non pro vere magno & pro Principe habeat, & ut Dei Vicarium, personam ipsius sustinentem non summopere veneretur? Non hominum opinione ut author vult, sed revera magnus & princeps est, qui aliis divina cum potestate, licet certis limitibus determinata imperat; neque hominum solum opinione sed revera parvus est, qui ad exemplum Christi sese demittit. Quare verborum Christi, *vos autem non sic*, is potius est sensus, quasi diceret: Reges & Principes Gentium Dominium in eas exercent, tanquam superiores in inferiores sibi subiectos; Et id quidem recte. Status enim & conditio Gentium, quæ non sunt de populo meo, non aliter postulat, & Deus pro sua sapientia ita disposuit, ut sub tali Dominio carnali & sub formidine corporalis poenæ in officio contineantur, qui virtutis amore bonum operari nesciunt. At alius est regni mei status, populus meus carnalis non est, sed spiritualis; propterea tale imperium & Dominatus in eo nullum locum habet; proindeque nulla carnalis præeminentia, aut unius supra cæteros prærogativa, quam nonnulli vestrum affectant. Quod si tamen talis ambitio vos urgeat, ecce viam monstrabo, qua ad summam affurgere possitis dignitatem, nempe, per *humilitatem*. Qui vult esse magnus, is sit omnium minimus, qui vult esse Rex, aut Princeps, is sit omnium Minister. Huic præstantissimæ virtuti parata est maxima gloria in regno meo, qui in illa sese exercet in hac vita, is coronabitur olim in regno meo summa gloria & honore, longeque supra alios efferetur. Multum igitur abest à mente Christi, Authoris explicatio; quasi Christus dicere voluisset: Magnitudinem veram consistere non in Dominio & potestate, sed in servili conditione & ministerio. Contradictoria enim sunt, esse parvum & esse magnum: & nisi talem, qui sese hoc modo demittit, alia maneret in coelis magnitudo, revera magnus nulla ratione dici posset, neque coram ipso Deo, nisi respectu futuræ magnitudinis olim



olim ipsi in præmium humilitatis conferendæ. Et ipse Christus, dum aliis inserviret, nequiquam magnus fuit, sed miserrimus omnium. Quare Christus, ut ante dictum est, viam discipulis ostendit perveniendi ad veram magnitudinem, non quam possiderent in hoc mundo, sed quæ ipsis in præmium humilitatis expectanda sit in futuro seculo; quemadmodum ex loco parallelo Matth. cap. 18. vers. 4. apparet, ubi Christus ait; *Quisquis demiserit semetipsum, sicut est puerulus iste hic est maximus in regno cælorum*; nempe, ille maximus de quo discipuli quærebant, quisnam ille futurus esset in regno cælorum. Quod si humilibus etiam in hac vita magnitudo quædam concedenda sit, illa tota spiritualis est, & in eo consistit, quod effervere sese animi spiritus sub jugum humilitatis reducere, vere magni animi est & magnitudo omni carnali Dominio superior. Pergit Author Christum introduce-reloquentem:

## VERBA AUTHORIS.

*Qui vult esse inter vos magnus, non id agat, ut aliis dominetur, sed sit vester minister, seu pro ministro sese gerat; qui vult esse primus sit vester servus, seu pro servo sese gerat; qui vult esse major, gerat se pro juniore, quamvis junior non sit, qui vult esse Dux, gerat se pro ministro, quamvis minister non sit.*

## ANNOTATIO.

Author vult Christum non Regum, Principum, dominantium &c. Officia excludere ex Ecclesia sua; sed solum quomodo sese gerere debeant præscribere normam; nimirum, non dominium exercendo, sed serviendo, ministrando &c. Quæ omnia contradictoria sunt. Idem enim est, ac si dicerem: qui bene vult currere, non id agat, ut per gressus incedat sed quietus sedeat, & tum bene curret. Etsi enim Regis officium postulet summo & indefesso studio commodum & salutem populi sui procurare, & revera qui id spectant Reges, sæpe plus molestiæ & laboris subeunt, quam ulli ex servis; sed propterea non est dicendum, talem populo suo non revera dominari, non principatum in ipsos gerere. Dominando salutem populi procurant Reges. An non is dominatur, qui jus vitæ & necis habet in alterum? an is alterius servus dicitur, qui delinquenti caput amputari jubet, aut patibulum adjudicat?

Quam ridiculum esset, si talis Rex, alii insigne facinus perpetranti diceret: ego me humillimum servum tuum profiteor, nec aliud affecto, quam ut tibi omni studio ministrem: ecce cras suspendendus es absque ulla misericordia. An non talis pro ministerio tam prompto summas ageret gratias; malletque hoc humanitatis officium ipsi potius exhibere, quam ab illo recipere? Dicet quispiam Regem Universalitatis servum esse, dum castigando impios in exemplum, bonum totius populi procurat, privatorum vero dominum esse; Sed qui is Universalitatis Dominus non sit, qui singulorum, ne uno quidem excepto, dominus est? Ex hisce igitur sequitur, si Christus ex Ecclesia sua dominatum & principatum excludere, & in locum illius servitutem & ministerium introducere voluit, quemadmodum author concedit; ipsum etiam dominantium & regentium officia, quæ ulla ratione dominatum sapiunt, simul exclusa velle. Pergit Author in paraphrasi verborum Christi:

## VERBA AUTHORIS.

*Cujus rei exemplum in me videtis, quamvis sim Rex & Dominus omnium, tamen non veni ut mihi ministraretur ab omnibus, sed ut ego omnibus ministrem & inserviam, idque adeo, ut animam meam redemptionis pretium dem pro multis; quamvis ille major sit, qui recumbit ad mensam, quam qui recumbenti ministrat, ta-*

*men ego, cui recumbendi jus erat, non vobis ministrandi, ita me inter vos gero, tanquam ministrans, ad lavandos & tergendos pedes vestros me abjiciens.*

## ANNOTATIO.

De exemplo Christi, jam ante actum est, & ostensum, quomodo illud solum Authoris sententiam refutet. Ait porro:

## VERBA AUTHORIS.

*Hoc qui fecerit, & me imitatus fuerit, ille demum vere magnus, vere princeps erit.*

## ANNOTATIO.

Ilminus. Eo ipso dum hoc fecerit, erit omnium abjectissimus; at magnus olim, futurus est, & in Throno cum ipso sedebit in Regno coelesti, si per humilitatem & patientiam vicerit. Vide Apoc. 3. vers. 21.

## VERBA AUTHORIS.

*Id ipsum, si qui inter vos Principes & magni secundum carnem fuerint, faciant, quoties usus feret, ut vere magni, verè Principes sint, non ut esse videantur.*

## ANNOTATIO.

Longè à mente Christi aliena hæc sunt. Vult author Christum non ipsa officia Regum & Principum sustulisse in Ecclesia sua, sed tantum, qui digne officio fungi debeant Regibus & Principibus leges præscripsisse, idque in gratiam Apostolorum, si aliquando unum aut alterum illorum ad talem carnalem dignitatem evehi contingeret. Sed quis, nisi mente præoccupatus credat, Christum ad futurum Apostolorum, (qui potius *spectaculum mundi excrementa mundi omniumque rejectamentum*, quam Reges esse debebant) aut vilis ex suis veris discipulis regium munus aliquando obtinendum respexisse? Neque ullus unquam e Christi sectatoribus apertis, nedum ex Apostolis tali officio functus est, usque ad Constantini Magni tempora, qui non tam Christianus factus est, quam gentiles mores in Ecclesiam Christi introduxit. Deinde quænam causa Christum impulit, hæcce in hoc ipso loco proponendi, Regibusque regnandi leges præscribendi, ubi res postulabat, discipulorum ambitionem reprimere potius, & deposita crista ad humilitatis studium eos revocare? Nonne in ambitione illos potius confirmasset, quam ab illa revocasset? Nullam enim conditionem à Christo præscriptam non acceperant, modo se Reges & principes in Regno ejus terreno, quale credebant futurum, sperare potuissent. Nonne hæc verba Christi, quorum prolixam paraphrasin author proposuit, si illa de humilitate interpreteris, cum tota præcedenti historia eleganter cohærent? Filii enim Zebedæi petebant per matrem (vers. 21) ut Christus uni illorum ad dexteram, alteri ad sinistram in Regno suo consideret daret. Christus respondit, (vers. 22) non posse illos ad tantas dignitates aspirare, nisi eundem cum ipso calicem biberent, & eodem baptismo baptizarentur; innuendo nec semetipsum nisi per durissimam hanc afflictionem & mortis viam, ad regium fastigium evectum iri. Cum vero se hæc omnia præstare posse illi præfidentius profiterentur; Christus (vers. 23) nil aliud respondere voluit, quam non esse in sua potestate tales in regno suo distribuere dignitates. Patet igitur & Christo (vers. 24) & cæteris Apostolis valde displicuisse duorum ambiciosum postulatam. Quam eleganter & tempestive nunc sequitur Christi admonitio, non decere discipulos suos tam altos gerere Spiritus, & Regias affectare digni

dignitates, quæ inter carnales gentes locum tantum habent, discipulos suos decere summam humilitatem & infra omnes subjectionem; quæ virtus tamen præmio suo non careat, sed vera sit via ad summam olim in cælo emergendi gloriam. Quàm è contra intemptivum fuisset hoc loco Regum describere officium, & ita quidem, ut dum commodo populi sui incumbunt, jus tamen vitæ & necis, quæ summa est potestas, non deferant? Pergit author:

## V E R B A A U T H O R I S.

Hinc Marcus, verba Christi referens, *videri dixit esse Principes gentium, qui eis dominantur*, non reipsa esse.

## A N N O T A T I O.

Rectè hîc monent Interpretes *δοκῆν* hîc non significare *videri*, sed in *honore* aut *exaltatione* esse quemadmodum Gal. 2. vers. 2, & 6. Nam quis dicat Reges & Principes Gentium non reipsa, sed suâ tantum opinione tales esse, qui non ipsimet dominium sibi usurpant, sed à Deo in id ipsum ut summa cum potestate dominantur, saltem concessivè, ordinati sunt? Author in Commentario suo ad Rom. cap. 12. ubi Apostolus de Gentium Magistratibus agit, anxie contendit, magistratus officium Christianum non dedecere, quia omnis potestas à Deo fit ordinata, Deique fit vicarius, Dei minister &c. Neque est quod quis dicat, Principes & dominantes hîc considerari in eo statu in quo plerique sunt, nimirum qui tyrannicum in subditos exercent imperium, proindeque de abusu, non de vero usu imperii, quem Apostolus ostendit, sermonem esse. Nihil enim tale in verbis Christi apparet, neque verba *dominantur in eas*, id insinuant. Et licet pleraque imperia gentium tyrannica sint, & impia, Christus tamen id nunc non attendit, neque ad scopum ejus pertinet, sed Apostolorum ambitionem retundere sibi proposuerat. Præterea si Christus non ipsum dominatum gentium, sed tantum abusum in dominando sustulit; quî dominatui, servitutem, imperio ministerium opponit? Debuisset imperio illegitimo & tyrannico, imperium legitimum non ministerium opponere. Ait porro Author:

## V E R B A A U T H O R I S.

**E**T sane, qui vere sunt Reges, non tam sunt Domini populi, quam servi & ministri, seu in id ipsum sunt Domini, ut populi bonum salutemque procurent, prompti etiam vitam suam illi impendere, exemplo illius, qui non timidus fuit pro patria mori: Imò ipsius Christi Regis, qui cum in forma Dei esset, & instar Dei, ob divinum robur, & sapientiam & potestatem, non dubitavit humani generis bono, formam servi suscipere, & sese instar illius, qui nihil supra hominem possit, gerere, dum sese humiliat, & fit obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis.

## A N N O T A T I O.

**H**Æc omnia ut suo sensu vera sunt, ita nihil ad rem propositam pertinent. Regem enim, etiam qui gentili populo imperat, talem debere esse ex instituto & voluntate Dei, ut populi salutem summo & quasi servili studio procuret, extra controversiam est: sed de eo quæritur; an in Ecclesia Christi tale imperium locum habeat, quale est inter gentiles etiam optime & ad Dei voluntatem constitutum; nimirum, ut Rex potestatem exercent coactivam, & ipsemet frater in fratris vitam jus habeat? An Rex, quatenus Rex est, ex Dei ordinatione teneatur vitam pro populo ponere, adhuc controversum est, cum mors Regis intemptiva maximas calamitates populo adferre possit. Unde axioma illud Politicum: supremum exercitus Ducem nunquam sese debere vitæ periculo ex-

ponere; cujus axiomatis ratio, in quovis Regulo cum habet. De Christi exemplo jam actum est superius. Forma Dei in qua fuit, non Regiam suam dignitatem denotabat, sed muneris sui divinitatem, quod ut Legatus Dei & Propheta, obibat. Unde illa potestate sua divina, non ad ullius hominis etiam perversissimi supplicium; Sed solum in hominum salutem & ad conciliandam legationi suæ auctoritatem usus est. Neque etiam mortuus est, ut Rex, sed ut summus sacerdos. Pergit Author.

## V E R B A A U T H O R I S.

**H**oc exemplum, si quis Regum quoties res ita exegerit, imitetur, hic demum vere Rex, vere magnus & *ὑψηλός* dicendus sit, & secundum ista Christi verba, sese gerat.

## A N N O T A T I O.

**S**I Christi exemplum imitetur, non verè Rex erit, nec vere magnus, sed servus humillimus, & minimus omnium, qualis Christus in his terris fuit; neminem occidet ob crimen commissum, memini imperabit violenter; humilitate tamen ad Regiam majestatem olim obtinendam viam sibi sternit: quemadmodum satis jam inculcatum est. Quod ad nomen *ὑψηλός* attinet Gentium Dominatores hunc titulum in signum obedientiæ & subjectionis sibi tribui volunt, pro beneficiis, quæ subditis suis conferunt. Cæterum nomen illud commune est & omnibus competit, qui aliis beneficium insigne præstant; etiam quibus non imperant. Quapropter hoc nomen quoque Christo & quidem in excellentissimo gradu competit etiam nullo ejus in nos imperii, sed cæterorum beneficiorum maximorum habito respectu Pergit:

## V E R B A A U T H O R I S.

**I**ta Christus discipulos suos docuit, ex verò res æstimare, & ea quæ apud homines sunt magna, pro parvis, parva verò quæ sunt pro magnis ducere.

## A N N O T A T I O.

**I**S res ex vero æstimat, qui eas æstimat, prout sunt in rei veritate. At qui illos dicit esse veros Reges & magnos, in quorum tota vita nihil regii apparet, qui actum nullum regia majestate dignum exercent; qui sese infra omnes demittunt, &c. Is res non ex vero æstimat, sed ex falso. Christum revera in his terris Regem non fuisse, neque revera magnum in iis, in quibus discipulis suis exemplum imitandum hic proponit, jam dictum est non semel? Sed dicet quis; hominum judicio tales parvos esse, at apud Deum, è cujus judicio res æstimandæ sunt, illos esse in maxima dignitate. Ita quidem est, illos apud Deum esse maximos, sed non propter conditionem aut munus servile quo funguntur, sed propter animi sublimitatem, quod spe futuræ magnitudinis non detrectant ita sese demittere. Nam vera humilitas excelsi animi soboles est, quæ tum maximam meretur laudem, cum à tali exercetur, cui natura altos indidit spiritus; quos, cum Dei & cælestis magnitudinis obtinendæ causa reprimat, vere magnum animum testatur, & propterea coram Deo vere magnus est. Sed hæc magnitudo non illa est, quam author hic intelligit, quamque humillime servienti & ministranti, ut tali, tribuit. Dominatum quidem aliquem humilis exercet, sed non carnalem in alios homines, sed spiritualem in carnis suæ ambiciosos affectus quos magnanimitate retundit & frænât. Ait præterea Author:

## VERBA AUTHORIS.

**N**on vult ut Reges regno se abdicent, cum nihil opus est: imo cum opus est, ne abdicent, sed ut & regnum possint, si sit opus, & regno non deposito ita se, cum opus est, gerant, quasi non Reges, sed ministri essent, ut vere magni, vere Reges fiant.

## ANNOTATIO.

**V**ult Christus omnes qui altum spirant & Principatum affectant, exemplo suo sese reddere conformes, in vera humilitate & submissione: qui id fecerit, five Rex five Princeps fuerit pristina conditione, ei locus proculdubio in Ecclesia Christi non est denegandus. Sed tali non licebit, posthac populo suo pristino more imperare, nimirum, violenta in ipsorum vitam uti potestate, aut alios actus exercere regios, quos Christus in tota vita sua non exercuit. An vero hoc non sit Regno se abdicare, ipsimet Authori iudicandum relinquo. Tandem Author ait:

## VERBA AUTHORIS.

**N**am & Christus ipse, non quia Regis ac Domini & Dei speciem gesserat, sed quia servi, ad cœleste solum longe supra omnes erectus & omnium Dominus factus est.

## ANNOTATIO.

**H**is verbis Author omnia, quæ in præcedentibus dixerat, ipsimet infringit. Docet enim, Christum sese humiliando aliisque inserviando non regium gessisse munus, sed aditum tantum ad cœleste demum imperium, sibi præparasse. Ergo nec Reges, dum sese ad exemplum Christi componunt, Reges sunt seipsa, nec Christus his verbis regii muneris conditiones, sed viam ad summam olim in futuro seculo dignitatem emergendi, præscripsit.

## QUÆSTIO II.

An Christianis militare & bellare liceat?

## VERBA AUTHORIS.

**N**ullum Regnum esse potest sine Viribus, nullæ Regnorum vires sine militibus. Ideo hæc quæstio priori affinis est, ut tantisper suspendi debeat, donec Christiana, qualia intelligimus, videamus Regna.

## ANNOTATIO.

**Q**uam male hæc cum præcedentibus cohærent! In priori quæstione author exemplum Christi pro norma & regula posuerat, secundum quam Reges munus suum administrare teneantur, si vere Reges esse velint. Si igitur unquam Regna Christiana futura sunt, quorum ideam sibi forsân author mente concepit, illa omnino talia esse debent, ut illorum administratio à regula & exemplo Christi non recedat. Sed quales vires Christi regnum in his terris, (si modo regnum, appellanda sit servilis ejus conditio) habuit? Qualibus stipatus ipse fuit militibus? Quod si alia regna author intelligat, ad quorum exortum hæc quæstio suspendenda sit, in quibus vires carnales locum habituræ sunt & militum robur; ipse viderit, quomodo probare possit, talia Regna, quæ Christi exemplo (quod ipse urget), conformia non sunt, Christianorum Regnorum nomen mereri; quascunque tandem conditiones alias Christiano dignas Regibus præscripserit. Cætera quæ Author de bello in hac secunda quæstione differit, commodius ad finem tertiæ quæstionis examinabuntur. Videtur enim hæc secunda quæstio pendere à tertia, quæ naturæ ordine hanc præcedere debebat.

## QUÆSTIO III.

An Christianis liceat vitam suam suorumque contra Latrones & Invasores, vi oppositâ defendere, si possint?

**Q**uæstio hæc valdè intempestiva est & præpostera. Præcedere enim hanc deberet, alia quæstio; nimirum; an ex vi Fœderis novi fieri ulla ratione possit, ut Deus hominem vere pium, ipsique ex animo confidentem, tali involvi patiatur periculo, in quo quidem ipsum servatum velit, sed non aliter quam sanguinis humani effusione? Quod ego quidem simpliciter nego. Tenerrimus enim & plus quam paternus amor Dei erga suos, & clarissimæ ejus promissiones talia ne cogitare quidem de benignissimo Deo, salva pietate, permittunt. *Nomine duo passeres*, inquit Christus apud Mattheum, *minuto a se veniunt, & unus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro? Vestri verò etiam pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuas, vos plus estis, quam multi passeruli.* Sub Vet. Fœdere tam præclarum promissum divinæ tutelæ habebat Judaicus populus, ut dum ter in anno omne masculum in conspectu Dei apparebit, relictis interea domi uxoribus liberisque inermibus, Deus effecturus sit, ut nullus hostis insidiaturus sit illorum limitibus. Exod. 24. v. 23, 24. Anne deterior erit conditio populi Novi Fœderis in regno spirituali, pacifico & inermi? An minus curæ erunt Deo filii in Spiritu & veritate ipsi servientes, & filiali fiducia ipsius tutelæ sese committentes, quam carnales illi servi? At Deus per media agit, dices.

Ita quidem fere est, si illa media intelligas, quibus Deus ipsimet utitur in suorum tutela, quæ media nobis plerumque sunt improvisa, admiranda, & ante eventum imò sæpe etiam post eventum incognita. At Deum nos tueri nolle, nisi per media à nobis ipsis usurpanda, & nominatim quidem per sanguinis humani profusionem, illi certe probandum incumbit, qui id asserit. Promisso enim divino de tuendis piis, conditio illa neque in Vet. neque in Novo Fœdere est adjuncta; quæ tamen omnino expresse adjungenda fuisset, vel ob eam solum causam, quod alibi contrarium clare & perspicue nobis præcipitur, nimirum, ne malum pro malo reddamus, ut pro illis potius oremus, qui nos lædunt & insectantur, ut nosmet ipsos non vindicemus, sed vindictam Deo committamus. Illa verò conditio nobis contrarium præcipit, nimirum, ut malum pro malo reddamus, ut nosmet ipsos vindicemus, &c. Etsi enim non vindicandi, sed vitam tantum tuendi animo, latronem occido; revera tamen tale homicidium, à vindicta excusari non potest. Eo ipso enim quod vitam latro perdit, justa ei infligitur, pro sua temeritate, poena. At quid poena à vindicta differt? Et quis est qui ipsi hanc poenam infert? Annon tu ipsemet? Ad Deum enim referre non potes, quia probare nequis, te ab ipso esse vindictæ administrum constitutum, sed tantum credis, licere tibi hanc poenam latroni inferre, quod nihil aliud est, quam licere tibi vindictam exercere. Si rursus rege- ris, latronem poenam seu vindictam quidem experiri, sed non per te, cui animus sit ab omni vindicta alienus, nil aliud agis, quam quod in circulo oberras. Rursus enim quæro, A quonam poena latroni infligatur, an à Deo; an à temet ipso? Non certe à Deo immediate, neque ab ipso per te, tanquam administrum, quia id officium tibi non demandavit; sed à temet ipso, qui id tibi licere persuasus es. Majus adhuc addo, tale homicidium aggressoris pro graviore delicto habendum esse, quam est ipsa vindicta. Vindicando enim retribuo injuriam jam acceptam, at hic occido hominem, qui me forsân nondum læserat, nedum occiderat, sed qui voluntatem tantum me lædendi aut occidendi habuit; imò de quo certo scire non possum, an me animo occidendi & non potius terrendi tantum, quo tutius me spoliare possit, aggrediatur. Rursus dices: Non respicio ad latronis temeritatem,



tem, sed tantum ad vitæ meæ tutelam, quare homicidium tale vindictæ rationem non habet. Nondum quicquam agis: nam ille nihilominus pro temeritate vindictam patitur, & quidem à nullo alio quàm à te. Tua tutela & vindicta ita sunt inter se conjuncta, ut ne mentis quidem conceptu separari possint. Tuendo enim vitam vindicas crimen, & vindicando tueris vitam. Præterea conditio illa propriæ defensionis ipsi promisso divino de piorum tutela plane contradicit. Sensus enim esset, Deum nos velle defendere, sed hac lege, ut nosmet ipsos defendamus. Quænam igitur sunt divinæ tutelæ partes, si mea hîc propria requiritur opera? Illæne, quod Deus armis meis benedicturus sit, si strenue pugnvero? Sed unde sum hujus benedictionis certus? Profecto, si hoc ipsum quoque Deus promissit, certum erit, me nunquam à latrone occisum iri, (non si ipsi ex animo confidero, sed) si strenue pugnvero: occidar vero, si in pugnando non bene fuero officio functus, aut in armis instruendis negligentior aut in iis tractandis imperitior; quæ omnia ad defensionem carnalem pertinent. Sed annon hæc sunt absona & tanto Patre benignissimo indigna? An igitur, dices, in tali periculo à latrone versanti nullis uti licet mediis quibus vitam salvet? Imo licet, sed non quibuscvis pro lubitu. Licita est fuga, declinatio à via, prudens circumspectio, diligens inquisitio, preces, largitiones, & similia, quæ ab omni vindictæ suspitione absunt; quibus aliis non lædatur; quæ nulli præcepto Christi, vel ulli Christianæ virtuti, ne per speciem quidem contraria sunt; quorum exempla habemus in Christi vita & Apostolorum. Quamquam hæc ipsa, non ita promisso divino ut necessaria conditio annexa sunt, ut Deus hominem pium in hisce non satis circumspectum & cautum in periculo perire patiatur, quemadmodum infinita testantur exempla. Ex eo vero quod talia innocentissima media tuendæ vitæ concessa sunt, non licet tam ingentem saltum ad homicidium facere.

Author sub finem hujus tertiæ quæstionis, verba Christi generalia, *ne resistatis malo* Matth. 5. 39. restringit tantum ad mala leviora, qualia sunt percussio in maxillam, tunicæ ablatio & similia, non verò ad graviora, ubi vita in periculo versatur. Liceat igitur etiam hic, media illa restringere, & à paterna Dei providentia excludere illa, quæ quilibet non præoccupatæ mentis, pro absurdis agnoscere cogitur; nimirum, carnalia arma, quæ non unusquisque tractare novit, aut sibi comparare valet, quæ in infinita casuum varietate, quos sæpe ne prudentissimus declinare potest, incerta & dubia sunt; quibus facillime in excessu peccari potest & innocens lædi.

Quis nam sapiens Pater ex hominibus paternam tutelam filioli dilectissimi, simplici & recta fiducia in sinu suo recumbentis ad propriam ejus adeo incertam & imbecillem defensionem adstringat? Quanto minus de sapientissimo Deo id cogitare fas est? Quod verò Deus cætera media ut pote fugam, & quæ antea recensui non solum concedat, sed etiam ex parte requirit (eatenus nempe, quatenus tota Religio Christiana non stultos sed prudentes nemini tamen nocentes homines requirit & præsupponit) evidens est causa. Deus enim hisce temporibus non ita aperte miracula facere solet, ut ea impiis etiam innotescant. Miraculosum verò esset, si latro pium hominem nec fugientem, nec armis resistentem ferire aut spoliare non posset. Interea Deum sæpissime suos vere miraculose ex hostium ipsorum manibus eripere, hostibus non animadvertentibus, aut illa ipsa media iis suppeditando, aut aliis innumeris modis, quotidiana testatur experientia. Quæ præterea Esaïas de temporibus Messiae, prædicat *quod tum non exercebitur populus ultra ad prælium* Cap. 2. v. 4. Quid si igitur homo pius arma tractari nesciat, nec discere velit, nec sibi arma comparare, aut armatus incedere, Deo filiali animo confusus, an propterea extra Dei tutelam positus erit? An ideo Deus eum protervix petulantis aggressoris tradet? Quid si ne fugere velit, dicet quispiam, aut

viam periculosam prudenter declinare, aut vitam precibus à latrone redimere? An ipsum quoque Deus propterea tutabitur? Quid casus fingimus, qui in rerum natura non dantur, vel qui nonnisi de stupidissimo cogitari possunt? Quis, nisi insanus vitam fuga non salvet, aut alia prudenti ratione periculum declinet, si inermis sit? Quod si armatus incedat & fugere nolit, causa erit nulla alia, quàm quod armis viribusque suis confusus, periculum sese evasurum speret. Armatum verò esse, nec pugnare velle nec fugere, non nisi in stultum cadit. Sed exempla comprobant, regeret aliquis, tales inermes perisse. Si exempla numerari possent, proculdubio plures armati perierunt, quàm inermes, si hi sola in Deum fiducia, arma gerere neglexerint. Quod si autem talem inermem perire contingat, causam Deus, cur id permiserit, novit. Forsan non erat ita pius, ut hominibus apparebat. Forsan Deus occulta peccata voluit vindicare. At propter tales casus raro contingentes, non est conficienda regula, ad determinandam & tam absonis limitibus circumscribendam paternam Dei curam & tutelam. At videmus, dices, multos armis instructos evadere, qui proculdubio si inermes essent, perirent. Proculdubio non perirent, si cæteroquin pii sint, Deoque ex animo confidant, & illi armati proculdubio non evadent, si impii sint, & tempus vindictæ, quam peccatis suis promeruerunt, instet. Quod si verò tales impii armis suis interdum vitam suam conservent, idem ipsis contingit, quod omnibus qui extra Dei providentiam positi sunt, nimirum, ut alii salventur, alii pereant, prout cæca fors & humani casus ferunt. Hoc certissimum est, omnes illos, qui armati incedunt, aut domum armis instructam habent, eum in finem ut invasorem aut latronem occidant, non in filiali in Deum fide versari, sed Deo diffidentes in armis præsidium querere; nisi evidentissime probetur, paternam Dei providentiam & tutelam hanc sibi adjunctam habere conditionem, ut bene armati incedant & vim à latrone illatam vi repellant, quod si hoc probari solide possit, jam alia ratione juvenus, quam hæcenus, erit instituenda; nimirum, simul ac Deo confidere discunt pueri, etiam in armis tractandis, bombardis instruendis dextreque explodendis, & quæ præterea ad solertem corporis defensionem pertinent, sedulo exercendi sunt. Alias, si hæc non norint, nonnisi timide Deo confident, nec de corporis sui salute unquam extra metum erunt. Quod si hoc probari non possit, quemadmodum non probatum iri persuasissimum, omnia illa sponte corruunt, quæ author prolixius pro hujus quæstionis tertiæ affirmativa tuenda differit.

Sed audiamus ipsum Authorem ad hanc quæstionem respondentem. Quæstio est, *An Christianis liceat vitam suam, suorumque contra latrones & invasores, vi opposita defendere, si possit?* Respondet author:

#### VERBA AUTHORIS.

**Q**uid ni liceat? Imò verò non licet tantum sed etiam id cuiusque boni ac probi officium est. Charitatem quidem omnibus debemus, etiam invasoribus ac latronibus, quatenus homines sunt, & quoties charitatis erga eos exercenda locus est. Sed si charitas erga illos, cum charitate qua nobis ipsis, qua nostris, qua bonis & innocentibus, qua Christiani Christianis devincti sumus, pugnet, nec utraque simul possit consistere; hæc illi omnino præferenda est.

#### ANNOTATIO.

**C**asus tales sibi fingere & eo modo decidere est hominis plus quam Christianum decet, de carne sua providi, & de providentia Dei diffidentis. Tales casus non dari ex vi divinarum promissionum, jam demonstratum est. Quod si tamen contingat, hominem, qui se pium putet, ob causam aliquam singularissimam Deoque soli notam, in tale incidere periculum, is faciat, quod conscientia ejus tum suggeret. At propter ipsum

ipsum ne regula constitutur universalis cum præjudicio paternæ Dei providentiæ : ne Christi præcepta summam & soli homini Christiano dignissimam patientiam & fiduciam in Deum claris verbis inculcantia, restringantur. Male alicubi Socinus adhuc casum, sibi ab aliquo propositum respondet; satius esse aliquod subire periculum scandalum apud ceteros fratres, quam vitam perdere, hoc est, aggressorem potius occidere, quam ab ipso occidi. Non debebat conclusivam ferre sententiam, & ullum scandalum concedere, præsertim in casu, cujus nec eventus certo sciri potest, nimirum, illum omnino vitam perditurum, nec Dei voluntatem quid de homine illo statuere decreverit. Unicuique in tali casu relinquenda est sua voluntas, & conscientiæ dictamen, non vero consilio instruendus, quid facere debeat. Certe si talis mallet perire animo voluntati Dei ita de se statuentis perfecta obedientia obtemperandi, is virtutem exerceret maxime præmio dignam; Quam virtutem illi omnes exercent, si non re ipsa, saltem animo & voluntate, qui freti divina ope, semper inermes incedunt, aut armis, si quæ pro more consueti gestent, in tali casu non uti constanter sibi proposuerunt.

## VERBA AUTHORIS.

**N**O: diligo invasorem & latronem cum occido. Verum hoc est, sed diligo meam, meorum, piorum, innocentum vitam, cum eam Latronis & Invasoris cæde, si aliter non possim, conservo; quam si prodidissim, certe non magis dilexissim, quam Latronis vitam, cum eum occido.

## ANNOTATIO.

**E**Rgo ut perfectam charitatem erga me ipsum & charitimos meos exercere possim, necessum est, me in omnem casum sinistrum armis semper esse instructum, & in iistractantibus optime exercitatum. Quid si id nolim, Dei paternæ providentiæ ex animo confusus? An in minori pretio apud Deum erit virtus mea sincera & inermis, quam illius armata, & nescio quid de carne sapiens? Quid si ego inermis me, meosque salvem, Deo innocentiam & fiduciam meam benigne respiciente, ille vero armatus pereat? Quis tum charitatem melius exercuit? Præterea, quam lubrica est illa conditio quam author addit, si aliter non possim? Unde enim certus sum me omnino aliter non posse, aut si ego non possim, Deum qui posset saluare me nolle, etiam ferventissimis suspiriis à me invocatum? Imo, unde certo scire possum latronem me occisurum? Quid si solum spoliandi, non vero occidendi me animum induxerit?

## VERBA AUTHORIS.

**N**imirum sicut omnes actiones, circa quas virtus ac vitium occupatur, sic & diligere & odisse Invasores, Latrones, hostes, amicos, fratres, nos ipsos, quosvis homines, suos certos habet fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Intra hos fines consistere, & modum rebus in omnibus convenientem tenere, id demum virtutis & pietatis Christianæ est. Itaque apprime cavendum est, ne quod multis iisque probis alioquin, sed simplicibus imponit, virtutem putemus, quod vitium est.

## ANNOTATIO.

**A**N in virtute extremum detur, quod in vitium abeat, in Ethicis controvertitur à Viris doctissimis. Id quidem, absque dubio est, stultum fore amorem illum in hostem animæ meæ insidiantem, si pro ipso eodem modo meam impenderem vitam, sicut pro fratre id facere teneor. Exempli gratiâ: Si in ipso facto ante quam facinus in me perpetrasset, ab alio mihi favente deprehensus occideretur; proculdubio stultum foret, si summis precibus aut etiam ære vitam ejus redimere non possem, me vel meos pro ipso in necem darem. Sed dum me mactari ab hoste patior, cujus manus effugere alia ratione nequeo, non id facio ex tali amore quod ipsius vitam magis amem quam meam, sed summæ patientiæ exercendæ & voluntati

Dei, cui tales vitæ meæ terminos constituere placuit, obtemperandi causa. Quanquam interea ille amor in hostem non pereat, qui me injuriæ illatæ veniam ipsi à Deo ex animo optare jubet. Hanc meam simplicem fiduciam & obedientiam apud Deum in vitio, (ut author satis dure loquitur) aut saltem nimis superstitiosam & imprudentem fore, quo argumento evincet? Quodnam præceptum aut exemplum in vita Christi aut Apostolorum proferet, quod me obstringat ad arma gestanda, ut me, meosque in tali casu à morte vindicem? Ut meos ad summam in Deum fiduciam & obedientiam sedulo cohorter, ut discant omni tempore esse parati vitam suam Deo reddere, quocunque modo ipsi placuerit, sive placida, sive violenta morte eam ab illis repetere, id mei officii est; non vero pro illis incerto eventu pugnare, & (quod non raro contingit) pugnando vitam ipsorum pellundare, quam forsitan alia ratione innocentiore, imo Dei, virtutem meam respicientis ope recimere potuissim. O quam alio Spiritu præditus fuit Author, cum contra Antagonistam quendam suum pro hac insigni virtute adeo nerveose & Christiane pugnat! Non pigebit ipsiusmet verba adscribere. Cum Antagonista ille suus, defensurus licitam esse in propriæ vitæ defensione privatam cædem, inter cætera, argumentum petit ex lege naturæ; nimirum, cuius animanti naturam intelvisse vitæ appetitum & studium illam conservandi, ex quo illa lex naturalis orta sit, vim vi repellere licet &c. Ita respondet Author: \* 1. Merito dubitari potest, an vim injustam tali vi depellere, quæ non tantum vis injusta inhibetur, sed etiam vim facienti gratis noxa infertur, sit naturæ lex in hominibus mente & intellectu præditis. Aliter enim sese res habet in illis rebus, quæ vel anima, vel sensu, vel denique ratione destituta sunt; aliter in hominibus mente præditis. Illa tantum naturæ suæ conservationem spectant: Homo autem unice id, quod rectum ac honestum est, spectare debet, & illud vitæ suæ longè antepone. Itaque nisi M. ostendat, occidere grassatorem, cum vitam propriam aliter tueri nequeas, nihil cum eo, quod rectum prorsus & honestum est, pugnare, frustra ad iudicium curvis animanti vitæ appetitum ejusque conservandæ studium confugit. Nam recta ratio, proinde natura hominum injurias patienter ferre jubet, illud pulchrum prorsus & eximium putat. At quanta potest esse major injuriarum patientia, quàm injustam vim ulla vi noxia nolle repellere? Nonne ipsa rei pulchritudo, & eximium decus id à te ipso expressit, ut post hanc de privata defensione tractationem scriptum reliqueres: Nos hoc modò (cum scilicet occidi malumus, quàm vitæ conservandæ causâ alios occidere) magis conformari Christo ejusque Apostolis & Martyribus; & in patiando nullum esse peccati periculum, sed quo plura patiamur, eo majora præmia in cælis ex Dei gratia nos consecuturos esse. 2. Demus, hanc legem, quæ vis injusta vi & cæde grassatoris, cum aliter vita defendi nequit, repellitur, esse naturæ hominum consentaneam, num idcirco etiam Christianorum hominum moribus & vocationi protinus erit consentanea? Nonne, cum Christianorum felicitas non hujus vitæ terminis continetur, ipsa ratio jubet, ne presentem hanc vitam adeo ament, ejusque cupidi sint, ut propter illius conservationem eripiant vitam alteri, in qua ipsius felicitas omnis sita sit, & qua erepta simul illi omnis ad æternam salutem & conversionem ad Deum aditus eripitur? Hinc tu ipse paulò post: Charitatem, inquis, nos ad hoc magis inclinare, ne proximus in peccato suo interficiatur, & æternum pereat. Si Christianorum hominum conditio non omnes naturæ limites longissimè excederet, conveniret fortassis, ut legibus naturæ obsequerentur, & si vitam suam aliter tueri non possent, vel cum cæde grassatoris eam defenderent. At nunc quid mirum est, hanc naturæ legem non valere in illis, qui longe ultra naturam spes suas extendunt, id est, cælestem illam & gloriosam, ac in omne ævum durabilem vitam post mortem expectant? Quid magis natura hominibus insculpsit, quam irasci, & odisse eos, qui sibi perniciem machinantur, quæ hunc in finem nobis affectus istos indidit? Et tamen frangere hunc impetum Christus jubet, illisque, qui no-

\* In duabus quæstion. pag. 365. &amp; seqq.

bis pessime volunt, optime cupere, ac beneficia pro maleficiis reponere præcepit. Adde, quod Christiani homines peculiariter sint Deo curæ, & ab Angelis Dei custodiantur, sic, ut ne pilus quidem de capitibus eorum sine Dei nutu cadere queat, nedum ut illis à quo quamvita eripi possit. Unde consequi videtur, illos propter vitæ conservationem eoque progredi non debere, ut alterius vitam appetant, cum Deus, si vitam illorum servare voluerit, alios, citra hanc tam duram & truculentam rationem, modos facile sit reperturus. Itaque in periculis constituti Deo vitam suam commendare debent, & circumspicere, si qua innoxia ratione elabi, & vim intentatam avertere queant: si nequeant, Dei auxilium opemque expectent, & ipsius divinæ providentiæ penitus sese permittant. Novit enim Dominus pios ex tentatione eripere, injustos autem in diem iudicii puniendos servare. Ex quibus omnibus patet, quid ad M. argumentum, quod ex superius dictis nescit, responderi debeat. Quicquid, inquit, cum lege naturæ congruit, non est peccatum, nec divinæ voluntati simpliciter adversum: quoniam lex naturæ ab ipso Deo suam habet originem. Sed tueri vitam suam per grassatoris occisionem, si nullum aliud suppetit medium, congruit cum lege naturæ. Ergo. Major falsa est: cum legem naturæ abrogare possit lex religionis. Nec refert, quod lex naturæ suam ab ipso Deo habeat originem; Deo enim leges à se latas, novis & melioribus legibus abrogare liberum est. Quam multa olim Deus sub lege libera esse voluit, imo etiam præcepit, quæ nunc prohibita esse cernimus? De Minori jam à nobis actum est.

Et in præcedentibus, cum Antagonista ipsius, exemplo Abrahami captivitatem Loti per armatam familiam vindicantis, probare anniteretur, licitam esse privaram Latronum cædem, ita inter cætera Author respondet: Ex hoc Abrahami factum nullum firmum argumentum elici potest; cum in illis mundi tyrocinis & rudimentis multa licuerint, quæ cum sanctissima Christi disciplina consistere non possint. Licuit, v. c. Abrahamo, cum conjugem haberet Saram, Agari se miscere, & ex ea sobolem procreare. Licuit Jacobo plures habere conjuges, imo & concubinas; at Christianis quis id concessum esse putet? Quocirca non omnia Abrahami, aut aliorum patriarcharum & virorum sanctorum, qui vel ante legem, vel sub lege vixerunt, facta, pro norma & regula vitæ haberi debent; sed Christi ipsius & Apostolorum sanctissima tum vita, tum disciplina. Cogitet, M. num hoc vel Christus ipse, vel aliquis Apostolorum fecisset, quod Abrahamus fecit? Num armata manu, cum invasorum cæde, vel suam, vel alienam vitam atque fortunas tutatus fuisset? Atqui hos potius imitari convenit, quam Abrahamum. Hactenus authoris verba ibidem. Pergit vero in hac tertia quæstione.

#### VERBA AUTHORIS.

**S**peciem quidem virtutis ac charitatis habet, etiam à Latronis cæde abhorre. Quid nunc, habeat? Abhorre enim omnino à cuiusvis hominis cæde debemus: Sed abhorremus etiam à membrorum nostrorum absissione, à corporis uisione, & similibus, & tamen cum reliqui corporis & vitæ conservatio requirit, ea facimus à quibus abhorremus. Abhorremus à morte eaque truculenta, & tamen officii erga Deum & homines causa, adimus eam, idque recte ac merito. Sic etiam à cæde facinorosi hominis, & vitam innocentium appetentis abhorre debemus, & tamen si ita abhorreamus ut nos ipsos nostrosque in cædem dare malimus, ac perdere, talis abhorrentia non in Virtute sed in Vitio ponenda est.

#### ANNOTATIO.

**I**ta sane est; nos magis abhorre à propria cæde quam ab aliena. Sed Vir vere pius magis abhorret à diffidentia in Deum & transgressionem sanctissimi præcepti de patientia, quam à propria cæde. Et talis abhorrentia non in vitio est ponenda, sed in maxima virtute, non nisi excelsa & vere spirituali homine digna. Non abhorret pius à propria cæde à facinoroso sibi inferenda, quia persuasissimus est, illum in sese nullam potestatem habere, nisi Deo singulariter concedente, proptereaque nunquam arma in promptu habet, sed extra omnem metum positus, vias suas benignissimo Patri commendat, à cuius voluntate, ut in se fiat, nunquam

abhorret, & si vita ponenda sit. Miror vero, cum author dicit, nos officii erga Deum & homines causa mortem recte ac merito adire; cur ab officio hoc excludat summam patientiam & fiduciam in Deum. Si quis me ob solum nomen Christi trucidare vellet, author concedit, tali non esse resistendum, Officii enim causa mortem sub eo. At si ob aliam causam, illum potius à me quam me ab illo esse trucidandum: & si id non fecero in vitio esse ponendum.

#### VERBA AUTHORIS.

**A**tenim, inquit, Christi præceptum esse ne malo resistamus, Est sane. Quia de eo loquitur, cum virtus est, cum rectum est, malo non resistere, nec vim vi repellere. Opponit enim ipse virtutem huic vitio contrariam. Sed quite, inquit, percutiet in maxillam tuam dextram, obverte ei & alteram, & volenti tecum judicari, & tunicam tuam accipere, dimitte ei & pallium, & qui te adigat ad miliare unum, abi cum illo duo. Itaque præcipit Christus, ne in alapis, in tunicis, in confectioe mille passuum & similibus injuriis, malo resistamus, & vim vel lites opponamus. Ad eoque injurias istiusmodi parvi, ut & revera sunt, ducamus, ut alteram similem adversario ipsimet ultro largiamur.

#### ANNOTATIO.

**S**i in vitio est extremam vim non vi repellere; in vitio quoque erit, armis, quibusvis repelli potest, non esse instructum; In vitio etiam erit in extremo vitæ periculo à Deo opem & redemptionem sperare: & virtus erit Deo in tali casu diffidere, & præsidium in armis quærere. Cum potius fiducia in Deum eo illustrior sit & auxilium divinum promptius, quo majus periculum est, & animus in Deum fiduciâ infractus. Nec est quod quis dicat, non minus in vitio esse nolle armis vitam tueri, quam nolle fugere. Nam & hoc ipsum in vitio non esset si pio & Deo confidenti animo fieret, sed tantum imprudentia, & quidem talis, quæ, si malitia omnis abesset, venia à Deo & ejus auxilio non indigna. Quapropter author manifestè principium petit, dum ait, Christi præceptum de non resistendo malo locum solum habere, cum virtus est nimirum in levioribus injuriis, innuendo (quod etiam ex seqq. ejus verbis patet) vitium esse, cum graviore malo non sisto. Quod id ipsum est de equo quæstio instituitur, & quod author hactenus nullo probavit vel argumento vel exemplo Christi aut Apostolorum.

#### VERBA AUTHORIS.

**U**ltra hos fines, præceptum illud Christi, Ne malo resistamus, tendendum non est; neque enim vitium latius, patere potest virtute, qua illud arcet Christus.

#### ANNOTATIO.

**I**ta est, quia ultra hos fines levium injuriarum casus graviores non dantur. Talia leviuscula ut pote percussio in maxillam, ablatio tunicæ, &c, Deus sapientissime suis contingere permittit, in exercitium patientiæ: at graviore casibus illos objicere est contra paternum amorem & sapientiam. Quis enim ejusmodi tentationum finis aut scopus esset? quis vel ad ipsius gloriam vel hominis istius salutem fructus, eum in tale conjicere periculum è quo non nisi humani sanguinis profusione in Novo Fœdere summe detestanda emergere possit? Quapropter Christus alia exempla ad graviores injurias pertinentia adducere non potuit. Quam durum enim fuisset, si Christus dixisset: Si quis te in maxillam percusserit, aut tunicam abstulerit, patienter injuriam feras; at si quis vitæ tuæ infidietur, si te lethali telo aggrediatur, ne parcas, sed ictum quoquo modo prævertas. Annon maxime offensi fuissent discipuli, si intellexissent, talia pericula illis posse contingere, in quibus non ab ipsius protectione, sed à propriis viribus & dubiis armis auxilium petendum sit? Hæcne conformia sunt (dicere poterant) sanctissimæ tuæ promissioni, tantam coelestem Patris tui de nobis esse curam, ut omnes etiam capilli



numerati sint? Cum alibi prædicit Christus discipulis fore, ut occidantur propter nomen suum, animum illis erigit maximi præmii promisso; Matth. 5. v. 12. Luc. 21. v. 16, 18. & tales casus ipsis contingere posse, non potuerunt mirari, si tam immensa remuneratione damnum compensatum iri, intellexerant. At dum Christus (ex mente authoris in illo loco Matt. 5) præsupponit, fieri posse, ut latro vitæ ipsorum infidetur, cui vi resistere magna sit virtus, nec illis ullum five succumbant, five vincant pugnae præmium propositum sit; an non maximi scandali ansam dedisset? Si enim pugnare nolint, sed vitam sibi potius eripi patiantur, apud authorem vitium erit? Si latronem interfecerint nulla virtus mercede singulari digna: nec si ipsi vitam quamvis strenue pugnando perdant damni recompensatio ulla expectanda. Præterea, ratio quam author adfert, cur præceptum hoc ultra illos, fines levius injuriarum extendi non debeat, est, quod vitium latius patere non potest virtute, qua Christus vitium illud arcet. Virtus autem illa, quam Christus inculcat, authori (si bene ejus mentem percipio) est nemini damnum inferre; ergo vitium contrarium erit; damnum alicui inferre. Si igitur quis patiatur se suoque à latrone potius mactari, quam ut illum mactet cum possit, vitium est authori, & quidem majus virtute, qua latroni parcat. Sed hoc rursus nil aliud est quam principium petere; Vitium enim id esse, & non potius maximam virtutem, manus suas sanguine humano polluere nolle, probandum est authori. Neque etiam proprie damnum sibi infert, qui damnum sibi inferri patitur, præcipue si pio & Deo obedienti animo fiat.

VERBA AUTHORIS.

**N**ihil sanctius est, & Christianæ modestiæ convenientius, quam ne res ad graviora mala, ad oculorum putæ & dentium excussiones (unde occasionem præcepti sui sumpsit Dominus) membrorum mutilationes, sugillationes, vulnera, cædes denique, aut litium certamina deveniat, in talibus injuriis, quæ, nisi carveamus, graviorum malorum præludia sunt, non patientem tantum sed etiam liberalem sese præbere, nec tanti ducere, ut eorum causa, si ve manus, seu lites cum adversario conferendas putes.

ANNOTATIO.

Hæc omnia recte & sancte dicuntur.

VERBA AUTHORIS.

**A**t longe aliter se res habet, in vitæ ac fortunatum defensione contra violentes Invasores, quibus resistere si possis, æquissimum est.

ANNOTATIO.

**Q**uid ad hoc dicendum sit, ex jam dictis patet. Hoc solum monendum authorem in defensione non solum vitæ, sed etiam fortunarum aggressionis cædem pro licita habere, sed cum quibusnam fortunis humanæ animæ perditio comparari potest?

VERBA AUTHORIS.

**N**am & protinus jubet Christus, ut petenti demus, apud Lucam addit, ut omni, & ne ab eo, qui mutare vult à nobis, nos avertamus: quod tamen haud dubie similiter intra limites recti & æqui intelligendum est.

ANNOTATIO.

**O**mni petenti & indigenti dandum est, ut in præfenti necessitate levamen aliquod sentiat. Sed & non indigenti dandum potius, quam ad lites graviores cum illo descendendum. Quid si vero totam substantiam meam petat? Non dabo, nec Christi præceptum ad id me obstringit. Quid si vitæ minetur, nisi dederò? Est ejusdem farinæ casus cum præcedente, quales veri Christiani nec sibi fingunt, nec in illis solvendis anxie se torquent: quippe quales piis contingere Dei paterna

providentia, nisi ob singularissimas causas, non permittit.

Ulterior secundæ Quæstionis de Bello disquisitio.

VERBA AUTHORIS.

**N**ullum Regnum esse potest sine Viribus, nullæ Regnorum vires, sine militibus. Ideo hæc quæstio priori affinis, & tantisper suspendi debet, donec Christiana, qualia intelligimus, videamus Regna.

ANNOTATIO.

**D**E his verbis jam supra actum est. Id solum hic adjiciendum est, quæstionem hanc non minus quam tertiam præposteram esse. Prius enim disquirendum est, an sanctissima Nov. Fœd. promissa permittant, populum Christi pium, ipsumque sancte colentem, hostili invasione tentari, adeo, ut nisi vi hostili vim parem opposuerit, periturus sit misere? Repetatur promissum populo Israëlítico factum. Exod. 34. v. 23, 24. Quod supra in tertiæ quæstionis examine citavimus; Ubi Deus pollicetur, si omne masculum ter in anno in conspectu suo apparebit, effecturum se, ut hostes limites ipsorum non appetant, sed secure interea vivant, quos domi relinquent, imbecilles uxores & liberi. Non solet tentare Deus suos electos supra vires, tales vero tentationes sunt hostiles illæ invasiones gentis immanis & misereri nesciæ; nimirum, non sunt paternæ castigationes, sed horrenda judicia quibus vindictam exercet in impios. Quod si Christi populus eo jam prolapsus sit, ut Deum in se incensum experiatur, quid arma contra ipsius furorem & potentem manum efficient? Si vero Deus non in electos suos innoxios, sed in cæteros impios, quibus illi permixti vivunt, quique semper cum cæteris comparati, exigui sunt numerus, talia exercent judicia; cogitet quilibet pius, an fas sit Christiano homini arma sua cum impiis contra Deum iratum conjungere? Sed simul peribunt pii cum impiis, dices, nisi hostis arceatur? Peribunt sane, si sese impiis immiscuerint & Deo restiterint, idque justo ipsius judicio; non vero peribunt, si Dei vindictam agnoscences, devote ipsius opem imploraverint. Dabit enim Deus aut fugiendi, aut alia ratione vitam salvandi media. Illustre exemplum est in primis Christianis Hierosolymis, qui divino oraculo admoniti judiciis Dei subducti sunt. Videmus tamen, dices, multos etiam pios perire in simili casu. Ita est: sed de illis idem judicium est, quod de iis qui à latronibus pereunt: sed multo plures pereunt pagnantes in bello, quam fugientes.

VERBA AUTHORIS.

**N**am ut nunc res sunt, quis piorum dubitat, si possit à bel-  
lis & militia, id est, à promiscuis cædibus, rapinis, direptionibus, vastationibus (ne mores dissolutissimos, quorum sunt plena omnia, non castra tantum, commemorem) quam longissime abesse?

ANNOTATIO.

**B**ellum aversatur author, prout nunc temporibus geritur; non simpliciter. Quod si bellum, quale à Christianis geri posse putat descripsisset, aut Ideam haberemus Platoniam, qualis in rerum natura esse non potest; aut bellum hodiernis bellis haud multum dissimile. Bellare enim, & non promiscue cedere, rapere, vastare, idem est ac non bellare; lavare tunicam & non madefacere, incendere paleas & non comburere. Simile bellum est, quod & hodie simpliciter defensivum appellari & offensivo opponi solet.

VERBA AUTHORIS.

**N**am si qui Legibus aut vi ad militiam & bella adi-  
gantur, hi, cum non ultro ad ea veniant, non stipen-  
(g 2) diis.

*diis, non lucris, non spe honorum vel praeda illecti, sed inviti ac reluctantes, & animo detestantes omnia quaecunque contra Christi sanctissimam disciplinam patrari quotidie vident, corpore tantum inter milites agere videntur, non animo & moribus, tantoque promptius opem in vitiis debellandis (cum quibus illis majus bellum incumbit, quam cum hostibus) à Deo impetrare possunt, quanto minus in culpa fuerunt, quod in hac peccandi pericula devenerint.*

### ANNOTATIO.

**Q**Uænam leges, quæ vis hominem Christianum ad bellum cogere valet? Legeſne Christi? Ubinam illæ extant? Politicæ Regni leges, dices. At hiſcene Christianus eſt obſtrictus in re, cui conſcientia contradicit? An vim ſibi inferri patietur ab hominibus iſis, qui ſeſe Deo totum conſecravit, & pro conſcientia etiam mortem ſubire paratus eſt? Non leges ipſum cogunt, ſed carnis ſuæ imbecillitas, quia fortunas terrenas, poſſeſſiones, famam & exiſtimationem, juſ nobilitatis carnalis, in periculo verſari novit, ſi Regni legibus non pareat. Sed hæccine ita propria ſunt hominis Christiani? Itane iſta ad religionem pertinent Christianam, ut conſcientia potius cauterio unctionanda, quam hæc deferenda ſint? Sed quam durum eſſet hæc omnia deferere? Ita ſane eſt, homini carnali durum id eſſe, vel unicum juvenis illius apud Matthæum exemplum docet cap. 19. v. 22. Sed non eſt durum illi, qui magnanime mundum & omnia quæ in mundo ſunt: ſprevit, qui non ſicte, ut plurimi faciunt, ſed ſincero corde abnegavit ſeipſum. Sed ſi hæc perdam, dices, unde vivam? An unquam pius, qui propter conſcientiam ſua perdidit, fame periit? David ſub lege dixit Pſal. 37. 26. *Se nunquam vidiſſe juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærere panem:* An deterior erit piorum Christi ſectatorum conditio, ſub gratia? Corradimus pecuniam contra expreſſum Christi præceptum & diſciplinæ Chriſtianæ indolem, coacer- vamus villas & poſſeſſiones, immergimus nos rotos rerum terrenarum curæ, & dicimus poſtea, nos per regni leges ad bellum cogi. Quid coegit te ita rebus mundaniſte onerare & intricare, ut, cum conſcientia exigit, extricare te non poſſis, ſed cor in illis tanquam muſ in pice hæreat? An ignorare poteſt verus Chriſtianus, ſuam conditionem ſimilem eſſe militis, cui licitum non eſt, tot talibusque ſeſe onerare impedimentis, ut cum caſtra ſolvenda & alio promovenda ſunt, ille Ducem ſuum ſequi non poſſit? An non talis miles exauctoratione dignus ceniebitur? Sed conſcientia mea non læditur, dices cum in tali caſu legibus pareo civilibus. Etſi enim bellum ſimpliciter improbem, in hoc tamen caſu, ubi de fortunarum mearum omnium jactura agitur, cur non comitari liceat turbam, ſi mihi propoſitum ſit, neminem lædere? Sed quis hanc libertatem tibi dedit, fingere te legibus parere civilibus, cum tamen revera non pareas? Non enim iſta leges jubent ſolum turbam comitari, ſed hoſtem cædere & oppugnare. Quis præterea libertatem tibi dedit fingere aliud, quam in animo foves? Dum enim fingis Te bellare, fingis Te credere, licere Tibi bellare, ſaltem in hoc caſu (neque enim te contra conſcientiam quid agere de te credi voles) & animo tamen perſuaſus eſtibi id non licere. Tandem, quale lucrum reportabis dum fortunas ſuas cum conſcientiæ morſu tueri ſatagis; vitam, ad nonnullis contigit, perdis. Parcere quis hoſti poteſt, at ut hoſtis ipſi viciffim parcat, quis ſpondebit? Scio hanc quaſtionem non ſemel magnis ſtudiis fuiſſe agitatam. An bona conſcientia liceat publicæ expeditioni ad bellum intereſſe? Scio rationes, quæ pro affirmativa afferri ſolent. Nimirum, non tantum fortunas omnes, ſed etiam libertatem Religionis in discrimine verſari, ſi legibus publicis obedientia hac in parte non præſtetur. De quo, ut meam proferam ſententiam, dico, illos qui bellum ſimpliciter improbant, ut pote Christi legibus adverſum, bona conſcientia publicæ expeditioni intereſſe non poſſe, etiamſi neminem ſe læſuros ſibi propoſuerint. Omnis enim illa jactura quæ metuitur, tanti non eſt, ut illius cauſa vel mi-

nimus apex legis Christi ſolvi debeat: & ille proculdubio ſe maximo in cælis præmio dignum reddet, qui conſcientiæ cauſa hæc omnia ſpreverit. Quod ad liberum religionis cultum attinet, illum ſi publicis legibus non ſatiſſiat interdictum iri, dubium eſt & incertum: in Dei enim poteſtate iſta ſunt, non in hominum. Et tandem ille etiam cultus, quem homines impedire poſſunt, non ille eſt ſine quo Chriſtianus ſalvari nequit; ſed alius qui corde ſit puro, quique hominum poteſtati non eſt ſubjectus.

Obiter hic monendum eſt, illos valde præpoſtere agere, qui, cum vident tantam diſciplinæ Christi perfectionem, quam pauciſſimi aſſequi poſſunt, malunt præcepta Christi hominum moribus & imbecillitati accomodare, quàm mores hominum præceptis Christi. Non aliter ac, cum ludimagiſter pueris, qui pingendarum literarum operam ſolent dare, formulam præſcribit omnium perfectiſſimam, illi vero, quia nulus perfecte eam imitari poteſt, ſuſciperent alicubi deformare prototypum, quò facilius eſſet illius imitatio. Eodem modo illi agunt, qui Christi præcepta, quorum obſervatio tam dura eſt carni, interpretantur, emolliunt, in ſenſum mitiorem torquent, quominus moleſta ſit adverſus vitia & carnis cupiditates pugna. Christi leges ac diſciplina, ſunt inſtar præſtantiſſimi prototypi, in quo nil reperitur quod vel minimum imperfectionis redargui poſſit, nil ſub quo caro ſuas imbecillitates & affectus tegere poſſit. Ad hanc perfectionem qui pertingere nequeunt, imbecillitatis ſuæ veniam, non ab ipſis legibus Christi petere debent, detrahendo quicquam illarum perfectioni, ſed in ſola Judicis benignitate, qui etſi ab omnibus perfectam obedientiam requirat, tamen pro ſua ſapientia uniuſcujuſque vires, & qua manſuerudine unumquemque ferre debeat, optime novit. Et hanc eſſe Chriſtianæ diſciplinæ indolem Chriſtus ſuo exemplo comprobavit, à quo perfectiſſima legum ejus interpretatio tuto peti poteſt. Quare viderint illi, quàm merito non virtuti ſed vitio tribuant, ſi qui vitam ſuam alieni ſanguinis profuſione redimere nolunt, Chriſtum hac in parte imitantes, & ab ipſius exemplo patientiæ ab ipſo præſcriptæ interpretationem petentes. Addo, non commodam eſſe locutionem illam, quâ noſtrates paſſim in articulo de juſtificatione uti ſolent, nimirum, Deum ſub N. F. non requirere à nobis obedientiam, omnibus numeris perfectam. Omnino enim requirit perfectiſſimam obedientiam, parem nimirum prototypo quod in exemplo Christi, quem imitari jubemur, cernimus. Quod vero imbecillitatum noſtrarum veniam impetramus id non eſt ex conditione legi adjunctâ, ſed ex judicis benignitate & miſericordiâ. Sed ad rem revertamur. Quid de illis ſtatuendum eſt, qui bellum ſimpliciter improbant, bello tamen ſeſe in hoc caſu, cum animo neminem lædendi, immiſcent? An è Chriſtianorum aut fratrum numero excludendi ſunt? Minime: Sed pro Chriſtianis habendi valde infirmiſ & imperfectis, qui, quantum pura conſcientia omnibus hujus mundi fortunis præferenda ſit, aut non recte norunt, aut ex magna imbecillitate præferre nolunt, affixi nimirum rebus hujus mundi, plus quam veri Chriſtiani conditio permittit. Quare hujus quaſtionis decifio non ut dubia ſuspendenda eſt, ſed directe decidenda; nimirum, non licere homini Chriſtiano publicis legibus hac in parte obedire, etiamſi propoſitum ipſi ſit neminem lædere. Interea tamen qui contrarium fecerint non à nobis judicentur (ſi alioqui pietatem ſincero corde colant) ſed à Domino Jeſu, cui ipſimet infirmitatis ſuæ rationem reddant, eamque ſi poſſunt, ſpecioſo titulo pallient: à quo ſi veniam impetraverint ipſis erit in lucro. Non eſt illis concedendum quicquam, quod cum perfectione Chriſtiana pugnet, ſed ut infirmi cum lenitate & magna patientia tolerandi ſunt, donec majus in Chriſto robur acquirant. Interea tamen, ut tales infirmitatem ſuam agnoſcant, & ſeſe perfecta obedientia Christi diſciplinæ mancipare diſcant, laudabilis eſt ille Eccleſiarum noſtrarum mos, quod aliquandiu à ſacra menſa arcentur.

VERBA AUTHORIS.

**Q**ui bella esse Christianis licita contendunt, videntur de bellis in abstracto & in idea loqui, ideoque mirum non est, si iis varia in hanc rem argumenta suppeditent: at qui bella impugnant, in concreto ea considerare videntur; seu quatenus ex concretionem materiae constant, id est, eorum à quibus & per quos & qua ex causa, & quomodo, & quem in finem gerantur.

ANNOTATIO.

**Q**ui bellum Christianis licitum esse contendunt, proculdubio tale intelligunt bellum, quod à certis hominibus & per certos homines & ob certam causam & certo quodam modo & in certum finem geritur; quod nihil aliud est, quam bellum in concreto licitum esse contendere: è contra, qui bellum etiam simpliciter oppugnant, non aliud quam tale bellum oppugnant. Nam bellum quod non ab hominibus neque per homines geritur, bellum non est, neque ens quidem rationis. Bellum igitur tam illud quod alii Christianis concedunt, quam id, quod alii oppugnant, bellum in Concreto est, hoc est, quod ex concretionem materiae constat, hominum, causae, modi, & finis. Quapropter author, ut ex sequentibus patet, per bellum in abstracto, tale intelligit bellum (nescio an satis accuratè) quod à piis, per pios, ob causam piam, pio modo & in pium finem geritur. Cujus belli Ideam & formam si nobis vel leviter adumbrasset, magnum praestitisset operae pretium. Fortan tale esset futurum, quod nec ab ipsis angelis inculpatè geri posset.

VERBA AUTHORIS.

**E**t bellum quidem in abstracto consideratum, inter entia rationis tantisper reponendum videtur, quoad sancti & regenerati fuerint homines, qui bella gerant; posteriori autem modo consideratum bellum, & ut in ipso usu est, adeo malum est, ut in humano genere nihil bello videatur esse tetrius, nihil atrocius & horribilius.

ANNOTATIO.

**A**uthor bellum in abstracto non simpliciter inter entia rationis ponit, sed ad id tantum tempus, quo sancti & regenerati sint homines qui bella gerant. Misera Ecclesiae Christi conditio, si nunc temporis sancti & regenerati homines nulli sunt! Sed pauci nimis, dices. Quid inde? Illi saltem pugnent. Quoties enim sub Vet. Foedere perexiguus piorum numerus, fretus Dei auxilio, ingentes fudit exercitus? Cur idem non tentent pii sub auspiciis Ducis sui Christi? Præterea, quid regeneratio & sanctitas ad sui defensionem confert? Cum privatus melatros aggreditur, licet eum, ex mente authoris, absq; ullo regenerationis & sanctitatis respectu trucidare, ut vitam redimam; cur idem non liceat toti communitati aut populo, ut suae suorumque vitae salvanda causa vim hostilem pari vi reprimant? Vitam suam tueri non est à regeneratione, sed ab naturali amore sui, non tantum omnibus hominibus, sed ipsis etiam brutis animantibus infuso. Sed, inquires, non regenerati modum in bello Christianè gerendo servare nesciunt; facilisque illis est ad varia flagitia bellantibus nunc fere propria prolapsus. Quid si nec ille qui privatim contra latronem vitam tuetur, modum non servet, quippe qui regeneratus non sit? Deinde, propter abusum, non est tollendus usus rei tanti momenti, & ad virtutem magnam pertinentis. Virtus enim auctori est suae suorumque vitae tuendae causa latronem occidere; & vitium parcendo illi vitam perdere. An propterea integræ Ecclesiae peribunt potius, & hostium truculentiae sese objicient, quia non omnes regenerati sunt? Præterea, quid si casus detur, in quo nullum tale à flagitiis periculum metuendum sit? Videlicet, si mæniis suis inclusi hostem aggredientem reprimant trucidando, detrudendo, ignem ejiciendo aliisque modis quos vitae propriae amor suggerit. Quid in hisce mali homine Christiano indigni, si (quod author statuit) vitam hostium cæde redimere licet? Saltem igitur in illo

belli genere, quod pure defensivum dicitur, bellum Christianis, qualescunque sunt sine regenerati sine non, licitum erit. Cæterum bella prout nunc in usu sunt, mala esse, atrocia, & horrenda, nullum est dubium. Sed forsan, si etiam à talibus regeneratis & sanctis, quales author requirit, gererentur, non omnia illa rescindi possent, quæ author pro malis & horrendis habet. Sunt quædam valde atrocia, quæ bellum tamen ita comitantur, ut qui ab iis abstinere vellent, longe melius sibi consulerent, si plane à bello abstinendo, vel fuga vel alia ratione prudente periculum declinarent. Si in pace exempla statuenda sunt in terrorem aliis, ex auctoris mente, absque misericordia Christiana, quæ pœnitentibus veniam largitur; multo minus in bello locum habebit regeneratorum lenitas. Nisi enim cum atroce hoste atrociter agatur, & cum extrema violentia, ipsum potius irritabis quam vinces, non aliter ac si cum immani bestia molliter pugnare velles. Si prudentia humana, nimirum vitæ & fortunarum nostrarum amor, jam semel limites fiduciæ in Deum & patientiæ transgressa est, sub quocunque specioso extremæ necessitatis titulo, jam illis consentiendum non est, sed eo progrediendum, quo eadem prudentia humana, belli ratio & natura, leges & exempla omnium gentium etiam ipsius populi Dei sub lege, jubent, ut revera terror superstitibus incutiatur. Neque, si bellum per se Christianis est licitum, in illis circumstantiis, quæ author in bello Christiano vult considerari, nimium scrupulosum esse necessum est, nimirum, in quo, per quos, quam ob causam, quo modo, in quem finem bellum geratur, modo illa evitentur, quæ proprie ad bellum non pertinent, aut quæ ad finem obtinendum qui est populi salus & periculi propulsio nihil conferunt. Cætera fiant, ut fieri debere ipsa belli ratio & natura suadet.

VERBA AUTHORIS.

**Q**uanquam autem isti tam acuti non sint, ut bellum à suis vitiis, quæ ex materiae concretionem trahit, mente & cogitatione separare vorint; minus tamen periculose peccant dum à bellis simpliciter arcent, quam priores illi, qui dum de bellis loquuntur, ut in usu non sunt, infirmioribus & minus consideratis (quorum longe major est numerus) & alioquin etiam ad seculi mores valde propensis, ansam & occasionem præbent, ruendi in bella, ut in usu sunt, & sic in illis pereundi.

ANNOTATIO.

**S**ipsemet Author probe perpendisset, quæ hic discit, plane à quaestionibus hucce abstinuisset. Et si enim angelicum non humanum bellum Christianis concedere videatur, conditionibus circumscriptum impossibilibus, aut nunquam à mortalibus observandis, scandalum tamen non evitat. Quemadmodum enim, qui ingenti fame premitur, cibos non ita scrupulose discernit, sed proximum quemque etiam insalubrem accipit: sic qui ab hostibus urgentur, si bellum pro vitæ suæ incolumitate licitum sibi esse persuasi sunt, non expectabunt regeneratorum seculum, sed quocunque modo poterunt, hostis vim à se propulsabunt, & ne revertatur, alas nervosque præcident; rati extremæ necessitati condonandum esse, si alicubi limites Christiani belli egrediantur. Longe aliter facturi, si summam patientiam & fiduciam in Deum, non violentam periculi propulsioem, sibi à Christo præceptam, simulque tenerrimam & paternam curam & tutelam à Deo sibi promissam esse crediderint. Videmus quam prompti sint homines ad ipsamet Christianæ religionis præcepta limitanda, & vix non enervanda, dum illorum difficultatem vident: quanto magis emollirent duritiem illarum conditionum, quibus author Christianum bellum forsan circumscriberet, si experirentur illas observatu esse impossibiles.

VERBA AUTHORIS.

**H**ominum cædes, quanquam justæ dici possint, quia tamen hominum sunt cædes ad imaginem Dei creatorum, sola tantum necessitate sunt excusabiles.



## A N N O T A T I O.

**A**N ulla cædes hominis à Christiano perpetrata justa sit, & an ulla necessitas hominem pium urgeat, manus sanguine humano polluendi, ex iis, quæ ad quæstionem tertiam dicta sunt, intelligi possunt.

## V E R B A A U T H O R I S.

**Q**Uæ vero te necessitas cogit, ad cædes hominum perpetrandas, qui ultro in bellum proficisceris & inter milites nomen tuum scribis? Salus Patriæ, inquires.

## A N N O T A T I O.

**S**i necessitas permittit latronem occidere, quod author largitur; cur Patriæ salus non sit necessitas excusabilis?

## V E R B A A U T H O R I S.

**E**Rgone patria, nisi tu quoque cædes facias, aut te facturum profitearis, salva esse non possit? Potesť inquires, sed meæ in patria servanda nullæ essent partes.

## A N N O T A T I O.

**D**Um author summa necessitate urgente bellum concedit, imo necessarium ducit; certe patria absque me, & absque illo, & absque tertio & quarto &c. hoste ingruente, salva esse non potest. Unius quidem personæ absentia posset forsan nullum rei ad ferre notabile momentum: sed quod author uni dicit absque ipso salvam posse esse patriam, id cur non singulis dicat causa nulla est. Si vero singuli credant, absque sese patriam salvam posse: certe aut patria peribit aut ad Divinum auxilium confugiendum erit; quod illud ipsum medium est Christiano dignum quo malum à se declinet absque bello.

## V E R B A A U T H O R I S.

**N**Ullæ? Atqui multis aliis modis quisque civium ad servandam patriam contribuere potest, & sæpe plus præstare, qui domi manent, quam qui in bellum profecti sunt.

## A N N O T A T I O.

**Q**ui domi manentes aliquid ad servandam patriam contribuunt, id aut consilio faciunt, aut precibus ad Deum. Si consilio; siquidem truculentum id sit, & ad bellum pertineat, quid illud à cæde humana admodum differt? Imo satius interdum esset, ut quis ipsemet excqueretur, quod factu opus iudicat, quam ut aliis id exequendum committat, qui modum in rebus servare nesciunt. Si alia consilia pacifica intelligit author, aut precibus ad Deum tantum tribuit, ut iis plus effectum iri quam armis putet; cur non omnes etiam regeneratissimos abjectis hastis ad hoc telum confugere jubet? Si bellum author regeneratis concedit, quæcunque tandem id sit, necessum est, eum tum id suscipiendum esse existimare, cum existimat preces etiam regeneratorum nullum habere posse robur. Sed miserum illi præsidium in brachio carnali, quem divinum destituit auxilium!

## V E R B A A U T H O R I S.

**A**T militando patriam non adjuvissim. Quid tum? Neque etiam homines occidisses, aut te occisurum esse, ultro fuisses professus, & patria nihilominus absque te milite & occisore salva esse potuit. Non potuit, inquires. Atqui dixeras, potuisse. Tantumne tribuis tibi? Vide ne erres. Ergo nisi tu unus in rerum natura fuisses patriæ pereundum fuerat? Unde obsecro, hanc tantam de te opinionem concepisti? Non ante te suscepti belli purgaveris, quam hoc nobis liquido demonstres.

## A N N O T A T I O.

**Q**Uod unus sibi tribuit, id singuli sibi tribuunt, & sic conjunctis viribus salvant patriam, quæ ab omnibus deserta, periret. Sed videtur author illos alloqui, qui legibus Regni non coacti sed sponte bello sese immiscet, cæterique sese adiungunt, qui ut pote non rege-

nerati bellum non Christiano modo gerunt. Sed cur vitio vertatur illis, qui sola patriæ defendendæ causa id faciunt, si cæteroquin bellum licitum sit, modo nil agant, quod regeneratos milites dedecet? Et, si charitas in se & in suos omnino exigit, & cujusque boni ac probi officium est, (ut author in principio tertiæ quæstionis loquitur) ut etiam cum cæde humana illorum saluti prospiciat, in tantum in illos injurii sunt, ii, qui à bello etiam ut nuncgeritur, abstinere, quantum pro illorum salute operam suam non conferunt.

## V E R B A A U T H O R I S.

**N**on sine causa igitur Vetus Ecclesia, Apostolicæ disciplinæ, adhuc magis memor, milites, quamvis legibus ad militiam adactos, tantisper à sacra communione abstinuit, quoad in militia essent, quod non crederet, illos & militare posse & Christianè vivere: eos vero qui etiam sanguinem quanquam hostium, in bello fudissent, ad tempus longius: indignum arbitantes, ut antequam longiore penitentia manus suas à cædibus expiassent, accederent ad sacram illam mensam, apud quam memoria celebratur illius, qui sanguinem suum fudit pro salute hostium, & occidisse passus est, ut omnia bella & cædes hominum aboleret.

## A N N O T A T I O.

**V**ere pius & Christianus mos ille fuit antiquæ Ecclesiæ, ex quo clare cernitur, illos simpliciter bellum & in abstracto (ut author loquitur) improbasse; & militantes à sacra communione arcuisse, non quod in militia piè vivere non potuerint, sed quod etiam justissime humanum sanguinem fundere Christianæ disciplinæ adversum sit. Hoc antiquam Ecclesiam credidisse plurimæ illorum hac de re piissimæ sententiæ omnibus notæ, testantur. Legantur saltem illa duo loca Tertuliani & Cypriani, adducta à Grotio ad Matt. cap. 26. vers. 21. p. 465.

## V E R B A A U T H O R I S.

**I**Pse Deus, quamvis sub Vet. Fœd. in quo severitas magis regnabat, quam gratia, tamen noluit, ut David Rex, qui bella Dei gesserat, templum sibi edificaret, causam hanc addens, quod multum humani sanguinis in bellis illis effudisset. Quid putamus, an velit probetque ut sacrum illum panem corporis Christi, pro illis etiam quos occidimus, fracti, illum calicem sanguinis Christi pro omnibus & illis quoque quorum sanguinem effundimus, profuturi, recentes adhuc à cæde & madentes sanguine manus accipiant?

## A N N O T A T I O.

**Q**Uam invictum, ipsemet author contra se argumentum profert! David proculdubio bellum gessit, pro temporis illius ratione in abstracto, hoc est innocenter & nonnisi ex Dei mandato, nec tamen fuit impollutus. Quid de spiritali populo Novi Fœderis dicendum? ane ullum bellum homines etiam quam regeneratissimi gerere possunt absque pollutione? Anne ullus casus concedi potest, quo homini pio licitum sit sese indignum reddere sacra mensa?

## V E R B A A U T H O R I S.

**D**Enique, quæ causa est, ut clericis quos nunc vocant, bellare non liceat, nisi forte in extrema publicæ salutis necessitate? Non alia dari potest, quam quod spirituales vitam professos, bella dedecant. Atqui omnes Christiani spirituales sunt, omnes Clerici sunt, nam quæ nunc est inter Clericos & Laicos spirituales & seculares, distinctionem corrupti ac depravati mores Ecclesiæ invexerunt. In Christi disciplina, nulla in vitæ ratione inter utrosque differentia est, præterquam quod alteri præire, alteri præeuntes sequi debeant, & quod in præeuntibus quodvis delictum sit conspectius, quam in iis qui sequuntur.

## A N N O T A T I O.

**H**Æc omnia ut optime & pie, sic maxime in causæ suæ præjudicium, dicta, Author agnoscat.

# I N M E D I T A T I O N E S M E T A P H Y S I C A S,

R. C.

## *Breves Annotationes.*

### M E D I T A T I O I.

*De iis quæ in dubium vocari possunt.*

**C**um sensus nos sæpius fallant, prudentiæ verò sit, nunquam iis plane confidere, qui nos vel semel deceperunt; ideo dubia est omnis scientia, quæ per sensus comparatur. Et si verò quedam sensibus percepta minime dubia esse posse videantur, v. g. me habere corpus, manus, oculos, caput, me hic esse, foro assidere, & similia infinita; attamen, quia difficile est vigilias à somno discernere; quia non certus sum, annon Deus, quem omnia posse ajunt, me talem creaverit, ut in omnibus semperque fallar, annon malignus aliquis Genius omnem suam industriam in me decipiendo posuerit; ideo certa constansque nulla est scientia, quæ per sensus acquiritur. Omnia enim possunt esse aut falso apparentia, aut somnia, aut imposturæ phantasmatave rerum nullibi existentium.

*Nota:* Methodus exuendi præjudicia ab Authore præscripta, tantum abest, ut cuius imitanda censeretur debeat, ut potius per se imitatu impossibilis videatur. Præjudicia enim non exuuntur ut vestes, pro arbitrio, sed defixa pertinaciter menti, validisque rationibus illic firmata, nonnisi validiorum rationum machinis inde deturbantur: tales verò rationes non sunt, quæ à sensuum fallacia, à vigiliarum incertitudine, ac denique à Dei omnipotentis deceptione aut maligni Genii præstigiis deductæ sunt. Quod enim ad sensus attinet, an illi falli & fallere possint, verus quidem quæstio est, sed quæ meo quidem judicio minori difficultate decidi potest, quam olim à Stoicis, Epicureis & Academicis fuit agitata. Si enim rem penitus intuearis, sensus revera nec falluntur nec fallunt. Fallitur enim is, qui falsum recipit pro vero, & vicissim. At falsum & verum in sensus non cadunt, qui objecta simplici apprehensione recipiunt, absque ulla dijudicatione, quod res recepta sit hoc vel illud, sed judicio subjiuntur, cujus functio est, de objectorum veritate aut falsitate decernere. Sensus igitur non falluntur. Sed nec ipsimet fallunt mentem falsa denuntiatione aut oblatione objectorum receptorum. Si enim fallerent, in eo fallerent, quod objecta à se percepta aliter menti offerrent, quam ipsis sunt oblata, id quod fieri non potest, si sensus alias sani sint; quod si verò male affecti, fallere quidem possunt mentem, sed solummodo mentem non satis circumspectam, menti verò circumspectæ facile est de sensuum sanitate aut ægritudine dignoscere. Error igitur omnis, qui sensibus ascribi à plurimis solet, soli menti seu judicio tribuendus videtur, nimirum, cum mens non satis circumspecte agit, & de rebus sibi oblatiis judicat, circumstantiis non bene perpensis & consideratis. Errat autem partim circa sensorium, quod male affectum non animadvertit; partim circa objectum, non discernendo propinquum à remoto, agitatum à quiescente, repente oblatum à distincte percepto; partim circa medium, cum an aqua, fumus, nebula, aer commotus, virtum colore tinctum, aliave hujus generis in-

tercedant, non advertit. In quibus omnibus animus non bene attentus decipi potest, non à sensibus, sed à sua propria oscitantia aut præcipitantia. Erroris enim culpa jure illi imputatur, qui cum evitandi illius facultatem habuit, se nihilominus decipi passus est. Sed etsi vel maxime concedatur, sensus nos interdum decipere, non tamen prudentiæ erit illis omnem omnino derogare fidem. Quis enim niger, etiam judicium nos haud rarò fallere? nemo profecto mortaliū tantum sibi arrogaverit, ut nunquam in vita à suo se deceptum judicio affirmare auit. Sed propterea ne judicium nullas sibi partes in veritatis inquisitione vindicabit? Memoria quoque non pari semper fide reddit sibi commissā, nec tamen auctor eam ut deceptricem removet ab hisce contemplationibus suis, nimirum, memoria sublata ipsa facultas ratiocinatrix perit. Neque enim consequens ex antecedente deducere possum, si certus non sum, antecedens id ipsum esse, quod nunc primum sum meditatus. Cæterum, regula illa, prudentiæ esse illis nunquam fide-re, qui nos vel semel deceperunt, usum suum habet in illis rebus, in quibus deceptionem evitare in mea potestate non est, v. g. si quis sciens prudens rem falsam mihi narraverit, prudentiæ utique erit, illi nunquam simpliciter credere in talium rerum narratione, de quarum veritate inquirere non sit in mea potestate, cum primis si causa ob quam me decipere in animum induxit, non fuerit sublata. At si ille idem centum mihi aureos solverit, quos bonos, nec adulteratos esse ipsemet dijudicare, & ad bilancem explorare possum, imprudentiæ summæ fuerit, ipsi nolle fidere, nec aureos in solutionem accipere, quia me aliquando falsā narratione deceperit. Pari modo, si turrim è longinquo visam ad oculi judicium existimavero esse rotundam, quæ tamen quadrata sit, prudentiæ erit nunquam de figura turris è longinquo visæ judicium ferre, sed summæ imprudentiæ foret ob illam judicii mei deceptionem nolle unquam oculis fidere, etsi turri ita sim vicinus, ut latera ipsius distincte numerare possim. Sed hæc de sensibus. Quod ad vigiliarum incertitudinem attinet, haud difficilius fuerit vigiliam à somno dignoscere, quam lucem meridianam à crepusculo, aut à quadrato rotundum prope & distincte visum. Dormienti id quidem impossibile videtur, cui ipse sopor discernendi facultatem oppressit; at vigilianti, se non dormire, adeo promptum est agnoscere, ut non nisi protervo aut mente capto dubium esse queat. Ipsemet Author sub finem sextæ Medit. discrimen somni & vigiliarum ostendit in eo, quod somnia nunquam cum reliquis vitæ actionibus à memoria junguntur, sicut ea, quæ vigilianti occurrunt. Quæ ratio, quia à præcedentium meditationum argumento non dependet, non video, qui Author hic in ipso contemplationum suarum vestibulo, rerum per vigilias distinctissime perceptarum certitudinem in dubium vocare queat. Tandem quis aut potentissimus Deus, aut vaferrimus dæmon ita mihi imponat, ut serio dubitem, manus hæc quibus hæc scribo, hosce oculos, quibus hanc chartam intueor, non esse meos, aut

non esse in rerum natura? nisi deturbatâ mentis valetudine, animum occæcet amentia: quo ipso vero me ad hæc metaphysicas contemplationes, quarum causa præjudicia exuere jubeor, ineptum efficiet. Qui enim salva mente tales præstigias aut delusiones homini contingere posse contendat, is contradictoria simul admittet, quæ, ut simul consistent, nec in Dei potentiam, omnium rectè philosophantium calculo, cadit.

Cum igitur mens sana causam nullam habeat legitimam, de rerum sensibilem (ut de aliis nil dicam, quæ Authori in pari censu habentur) reali existentia dubitandi, causas vero habeat validissimas, quæ eam de illarum rerum existentia & veritate certam reddere possunt, nimirum ipsorum sensuum testimonium infallibile (si modo mens seipsam non fallat) non video, quomodo illarum omnium falsitas, aut saltem dubia veritas, pro totius sequentis ratiocinationis fundamento præsupponi possit.

## MEDITATIO II.

### De naturâ mentis humana; quod ipsa sit notior quàm corpus.

**C**um omnia, quæ video, quæ sentio, quæ unquam memini, falsa esse supponam, animadverto saltem me esse, me existere, qui ita suppono, sive, qui ita cogito. Nam quamvis in omnibus fallar, non fallerer tamen nisi essem.

1. Nota. Hoc ipsum Author absque præced. Meditationis apparatu assumere potuisset, tanquam principium, de quo sanus nemo litem ei intendisset.

Quid sum autem ego ille, qui me existere novi? an compages illa membrorum, quæ corpus vocatur? an ventus, aut ignis, aut æther aliudve materiæ & corporeum? olim me tale quid esse credidi, nunc vero cum aut dormiens, aut nescio quibus præstigiis fasciatus, ista omnia falsa, nec in rerum naturâ existere suppono, nihil horum sum: nullum mei conceptum alium habeo, quàm me esse REM, me esse ALIQUID, ad summum dicam, me esse SUBSTANTIAM seu ALIQUID, REALITER EXISTENS. At qualis Substantia? nulla mihi qualitas occurrit, quæ ulla ratione corpori cognata propriæ sit, non extensio, non figura, non motus, &c. excludo etiam à me nutritionem, incessum, imaginationem, sensusque omnes, & quicquid à sensibus hauriri potest: omnia enim ista falsa esse supposui. Nihil igitur superest, quo, quid sim, exprimam? Est. Quid verò istud? COGITATIO. Hæc sola à me nullius vel potentia, vel astutia avelli potest, nisi simul abolear, esseque desinam. Cogitatio tam arcte cum mea existentia coheret, ut non verear inde totius ratiocinationis meæ initium capere: COGITATO, ERGO SUM. Quamdiu enim cogitavero, tamdiu ero.

2. Nota: Cum Author progreditur, ad investigandum quid sit, dicit, se nihil esse illorum, quæ corporis propria sunt. Quare? quia omnia ista supposuit non esse in rerum natura. Quæ ratio parum tibi constet. Si authoris mens, salva cogitandi & intelligendi facultate, vere & realiter à corpore avulsa & transvecta extra hoc universum, existeret alicubi in loco omnium illarum rerum, quarum nullam se esse affirmat, vacuo, addo etiam, in quo res istæ, quas se esse negat, per ipsius loci naturam existere non possent; non vituperandus esset consequutionis hujus nexus. Quia vero omnia ista non realiter & vere, sed per suppositionem tantum in rerum natura esse pernegat, quæ quæso consequutionis ratio? Talis enim fit Syllogismus:

Quicquid supponere possum non esse in rerum natura, id mea mens revera non est. At corpora omnia & quicquid corpori proprium est, supponere possum, non esse in rerum natura. Ergo mens mea corporea non est, nec quicquam tale quod corpori proprium est.

Quis majorem propositionem concedet? nam ex suppositione non sequitur alicujus rei falsitas aut veritas, nisi demonstretur, rem ita revera esse, uti supponitur: quo ipso non esset suppositio. Supponitur enim solum id, quod aliter, quam supponitur, esse potest. Imo hæc suppositio ob id maxime hoc in loco impertinens est, quod author se id ipsum non esse præsupponit, de quo an sit, quæritur: nimirum demonstrandum sibi sumpsit, mentem humanam non esse corpoream, nihilque cum corpore commune habere: dum verò supponit omnium rerum corporearum falsitatem, annon simul præsupponit, mentem humanam non esse corpoream? præsupponit igitur id falsum esse, quod falsum esse demonstrandum suscepit: perinde ac si quis demonstraturus, Petrum non esse hominem, præsupponeret, nullos homines esse in rerum natura. Profecto, si adhuc sub Judice lis est, an mens corporea sit, itidem sub Judice lis erit, an corpus in rerum natura esse, falsum sit. Qui igitur ut falsum præsupponi potest? Quare, ut ratiocinatio sibi constet, solidissime demonstrandum est, non supponendum, nulla in rerum natura existere corpora, aut si id demonstrari nequeat, alia adferenda sunt argumenta, quæ propositionem evincant.

Respondere posset author, se suppositionis hujus prægnantes habuisse causas, illas nimirum, quas præcedenti Medit. recensuit, quæque sufficiant, ut dubitari saltem possit de rerum corporearum existentia. Quoniam autem se esse rem cogitantem absque ulla dubitatione novit, de aliarum vero rerum existentia dubitandi causas habet; apparere, nihil illorum quorum existentia dubia est, pertinere ad se, qui absque ullo dubio existit. Sed, ut de causis illis dubitationis non repetam ea, quæ ad præced. Med. allata sunt, hæc ipsa ratiocinatio non magis sibi coheret, quam præcedens. Quamdiu enim de rei alicujus falsitate seu non existentia non habetur certa & indubitata scientia, sed tantum dubitatur, etsi dubitationis causæ non injustæ sint, tamdiu certum non est, rem istam non existere. Si verò certum nondum est, corpora non existere, qui certum sit, mentem seu rem illam cogitantem, non esse corpoream?

Sed ut clarius responsum authoris proponam, ipsius consilium non est, directe demonstrare, mentem non esse corpoream, sed per obliquum, demonstrando prius de ea, quam de se habere affirmat, notitia, nimirum nihil corporei ad eam pertinere. Unde demum concludit, mentis naturam nihil cum corpore ullo, quod imaginatione effingi possit, commune habere. Sic enim sibimet ipsi objicit:

Fortassis verò contingit, ut hæc ipsa, quæ suppono nihil esse, quia mihi sunt ignota, tamen in rei veritate non differant ab eo me, quem novi. Respondet sibimet ipsi: nescio, de hoc non disputo: de iis tantum, quæ mihi nota sunt, judicium ferre possum. Novi, me existere: quero quis sim ego ille, quem novi? certissimum est, hujus sic præcise sumpti noticiam non pendere ab iis, quæ existere nondum novi, quæque imaginatione effingo. Quare id verò? Quia imaginatio nihil aliud est quam rei corporeæ figuram seu imaginem contemplari. Jam autem certò scio, me esse, simulque fieri posse, ut omnes istæ imagines, & generaliter, quæcunque ad corporis naturam referuntur, nil sint præter somnia.

Et paulo post ait: itaque cognosco, nihil eorum, quæ possum imaginationis ope comprehendere, ad hanc quam de me habeo notitiam pertinere, mentemque ab illis diligentissime esse avocandam, ut suam ipsam naturam quam distinctissime percipiat.

3. Nota: Sensus est: Ego certissime scio, me, qui sum res cogitans, existere, sed nescio, an præterea ulla res corporea existat. Ergo scio me tantum esse rem cogitantem. Quæ conclusio (istis comprehensa verbis: itaque cognosco nihil eorum, quæ possum imaginationis ope comprehendere, ad hanc, quam de me habeo notitiam, pertinere) facile conceditur, nimirum authorem hæcenus nihil aliud de se nosse, quam quod



quod sit res cogitans. At istud quod ulterius infert, latius patet, quam præmissum à quo deducitur: nempe cum ait, *mentem ab illis* (à rebus corporeis, quæque imaginatione comprehendi possunt) *diligentissime esse avocandam, ut suam ipsa naturam quàm distinctissimè concipiat*, hoc est, ut mens distinctissime agnoscat & comprehendat, se non esse corpoream. Mirum hæc talia Authori in mentem venire potuisse. Simillima enim est ratiocinatio ac, si dicerem: ego novi herbam istam esse viridem, & præter hoc nullas alias qualitates novi; Ergò hæc mea notitia, quam de herba ista habeo, non pendet ab iis qualitatibus, quas nondum novi, seu ad notitiam illam meam nihil aliud pertinet. Rectè quidem sic infertur, ad umbratilem illam ac imperfectissimam scientiam nihil pertinet eorum, quæ tamen ad perfectiorem de herba illa scientiam omnino pertinerent. Sed ridiculus foret, qui ulterius inferret, mentem quam diligentissime ab omnibus aliis qualitatibus esse avocandam, ut herbæ istius naturam quàm distinctissimè concipiat, quasi distinctissima herbæ illius cognitio tantum in eo consisteret, quod est viridis. Nititur authoris ratiocinatio falso axiomati: *ea quæ distinctis conceptibus intelliguntur, esse reipsa distincta*. Quia igitur in conceptum cogitationis non ingreditur conceptus corporis; colligit, mentem, quam solum ut rem cogitantem concipit, non esse corpoream. At considerari possunt separatim & distincte alicujus substantiæ affectiones seu qualitates, quæ tamen realiter non sunt distinctæ ab illa ipsa substantia. Mens est substantia, cujus certa quædam facultas est, cogitatio: hanc facultatem, postquam author novit, superest adhuc ipsius consideratio prout est substantia, & quæritur, an sit substantia corporea an incorporea: ante cujus quæstionis decisionem non avocanda est mens à rerum corporearum contemplatione, ne forsan avocetur ab iis, quæ non minus quam cogitatio ad ipsius naturam pertinere possent.

Præterea, præsupponit author, quicquid per imaginationem comprehenditur, esse corporeum, & quicquid per purum intellectum comprehenditur esse incorporeum. Nisi enim hoc præsupponeret, frustra juberet mentem ab imaginabilibus avocare, ut solo intellectu naturæ suæ investigationi incumbens, deprehendat eam non esse corpoream. Si enim corpora quoque puro intellectui objici possunt, fieri posset, ut mens, etsi ab imaginabilibus quam diligentissime avocata, naturam tamen suam corpoream esse nihilominus agnosceret. Sed suppositum hoc, quo ad posteriorem partem, falsum esse, id ipsum exemplum ceræ, quo author id stabilire conatur, arguit.

Deducit enim proluxa dissertatione, per imaginationem sola ceræ accidentia, quæ mutabilia sunt, percipi, veram autem seu intrinsecam ceræ naturam solo intellectu perfecte & distincte comprehendi posse. Inde colligit, distinctum esse intellectum ab imaginatione, proindeque veram & distinctam mentis notitiam solo intellectu comprehendendi, & non per imaginationem. Quod si vero per imaginationem non comprehendatur, concludi posse existimat, nihil per imaginationem comprehensibile, hoc est, nihil corporeum ad mentis naturam pertinere. Sed mira est authoris philosophia. Nam hoc ipsum exemplum clare ostendit, & ipsa ratio dicat, etiam corpora puro intellectui objici. Cum enim cera intelligitur, an non intelligitur esse substantia corporea? certe si non corporea intelligitur, nulla ceræ cognitio habetur, sed alicujus alius rei spiritualis, nihil cum natura ceræ commune habentis. Cæterum, in illa ipsa de natura ceræ dissertatione rursus duo falsa præsupposita assumuntur: primum, intellectum distinctum esse ab imaginatione; alterum, substantias absque accidentibus intelligi seu cognosci posse. Prioris falsitas detegitur inferius ad Medit. vi. Quod ad posterius attinet, tantum abest, ut substantiarum, in quan-

tum sunt substantiæ, clara & distincta cognitio haberi possit, ut nulla plane illarum cognitio aut notitia in hoc mortalitatis statu habeatur: vel si qua substantiarum qualiscunque cognitio datur, ea sola est accidentium, sub quibus substantiæ quasi sub involucrio latentes, omnem intellectus humani aciem effugiunt. Quare si ceram detractis omnibus accidentibus contemplatus fuero, nil de ea rescivero diversum à lapide aut ligno, aliave substantia accidentibus exuta. Adeo, ut substantiarum omnium, ut substantiarum, idem sit & communissimus conceptus isque confusissimus & obscurissimus, quo longe clarior & perfectior est accidentium conceptus, utpote, qui rerum per accidentia distinctarum distinctam quoque parit cognitionem.

Concludit tandem author: *Atque ecce tandem sponte sum reversus eo, quo volebam. Nam, cum mihi nunc notum sit, ipsam mentem & corpora non proprie à sensibus vel ab imaginandi facultate, sed à solo intellectu percipi: nec ex eo percipi, quod tangantur, quod videantur; aperte cognosco, nihil facilius aut evidentius mea mente percipi posse.*

4. Nota. Duo in titulo hujus Medit. promittebantur: primum, *de natura mentis humanæ*, nimirum quid illa sit, aut qua in re ipsius natura consistat. Alterum, *mentem esse notiolem quam corpus*. Prius quod attinet, non apparet, quicquam novi ad declarandam distinctius mentis naturam ab autore per totum proluxæ hujus Medit. decursum esse allatum præter id, quod jam ex prima Medit. deduxerat. Dixerat ibidem, se esse rem cogitantem, idem asserit hic nec quicquam amplius. Nihil igitur huic de se noticiæ accrevit. Quod enim dixit, se non esse compaginem membrorum, non ventum, non aërem, non ætherem &c. solummodo amplificatio Rhetorica est, per remotionem reliquarum specierum, non verò perfectior mentis definitio, aut distinctior ejus declaratio. Negationes enim non pariunt distinctam rei cognitionem, nec v.g. lapidis natura mihi perspecta reddetur, si dicatur, eum esse non arborem, non plantam, non hominem &c. Præterea id ipsum non minus quam alterum (se esse rem cogitantem) ex prima Medit. ut necessarium consequens, emergit. Supposuit enim nulla in rerum natura existere corpora; unde necessario sequitur, sese, quem existere novit, non esse corporeum, proindeque non compaginem membrorum, nec ventum, nec aërem &c. Nihil aliud igitur docet author de natura mentis, quam eam esse rem cogitantem, nimirum id ipsum, quod prius de se novit, quodque nemini sanæ mentis obscurum aut dubium esse unquam potest. At qualis res illa sit, quæ cogitandi facultate pollet, corporeane an incorporea, id hucusque per authorem profundis ignorantiae tenebris sepultum latet.

Alterum quod spectat, *mentem esse notiolem quam corpus*, consequens est ex præmissis, quas falsas esse satis est demonstratum. Sed præterea, si author demonstrare velit, mentem esse notiolem quam corpus, omnino necessum habet, præsupponere corpus sibi esse notum. Dicere enim, mentem esse notiolem corpore, tantundem est, ac, notitiam quam de mente habet, clariorem esse notitia quam habet de corpore. Corporis igitur notitiam author habeat necessum est. Qualem autem corporis notitiam habeat is, qui nulla in rerum natura corpora novit, qui mentem ab omni corporum contemplatione quam diligentissime avocavit, ut suam ipsa naturam quam distinctissime percipiat? nihil igitur de mente sua incomparatione cum corpore referre potest, sed quicquid novit, id simpliciter novit, nec aliud de ea affirmare potest, quam, mentem sibi esse notam, non vero, eam esse notiolem corpore. Quod si verò corpus existat, aut saltem existere præsupponatur, profecto ex hac authoris ratiocinatione & comparatione sequetur contrarium illius.

illius, quod author demonstrandum suscepit, nimirum, sequetur corpus esse notius mente. Dixerat enim paulo ante hanc secundæ Med. conclusionem, ex corporis visibilitate, tangibilitate, aliisque attributis intelligi attributa mentis; at notum est tritum exioma: *propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale*: at propter attributa corporis nota sunt attributa mentis; ergo attributa corporis sunt notiora attributis mentis. Porro, istud notius est altero, cuius attributa sunt notiora, atqui attributa corporis sunt notiora quàm mentis; ergo corpus notius est mente.

### MEDITATIO III.

#### De Deo, quod existat.

**S**um certus me esse rem cogitantem. Unde vero certus sum? quia claram & distinctam ejus habeo perceptionem. Quid si etiam hic me Deus fallat? ut id clare & distincte percipere mihi videar, quod nihilominus falsum est? Fieri sanè potest. Examinare igitur debeo, quamprimum occurret occasio, an sit Deus, & si sit, an possit esse deceptor.

1. Hucusque author inanem lufit operam, frustra fuit, quidquid per præcedentes binas Medd. molitus est, ad demonstrandum se esse rem cogitantem. Antequam enim demonstret esse Deum, qui decipere non possit, non certus est, id verum esse, quod clare & distincte de sua natura percepisse sibi visus est.

Deinde, etiam demonstrata Dei existentia nondum firmata est illa Regula: *quicquid clare & distincte percipitur, esse verum*. Aliæ enim causæ esse possunt, quam Dei deceptio, ut quis clare & distincte percipere sibi videatur id, quod tamen falsum est, videlicet, iudicii imbecillitas, ut multarum rerum, à quibus veritas dependet ignorantia. Hinc tanta per omnes fere disciplinas sententiarum varietas, tanta in sententia tuenda pertinacia, adeo ut nonnulli etiam mortem pro suis opinionibus obire non detrectent. Alia igitur opus est Regula seu methodo, quæ mentem dirigat seu certam reddat, nos non falli, cum aliquid clare & distincte percipere arbitramur: cuius methodi per universum hoc Meditationum Systema nulla apparent vestigia.

*Demonstraturus igitur Dei existentiam, præmittenda est cogitationum mearum in certa genera distributio. Sunt autem cogitationes meæ vel ideæ, seu rerum imagines; vel affectus; vel iudicia. Idearum verò aliæ sunt innatæ, veluti, cum intelligo quid res sit, quid sit veritas, quid cogitatio: aliæ adventitiæ à rebus externis formatae: aliæ à me ipso factæ, ut Chimæra, Sirenes.*

2. Nota: Merito dubitatur an detur ulla idea innata, hoc est, (ut author ideam definit) imago alicujus rei naturæ nobis insita. Quod enim ad ideam rei attinet, quam author primò recenset, per R. E. M. intelligit aut rem universè sumptam, aut rem aliquam singularem, nimirum seipsum, quatenus se rem cogitantem esse cognovit. Si prius, falsum est, & impossibile, ipsum habere rei ideam, ne quidem longa doctrina, meditatione, usu, experientia acquisitam, nedum naturalem & à primo ortu infusam. Idea enim rei universè sumptæ complectitur omnium singularum rerum ideas, omnium arborum, plantarum, animalium, lapidum, metallorum & quicquid ullibi in rerum natura existit aut à mundi primordio extitit, aut posthac futurum est. Si posterius, locutio est identica, & nugatoria: idem enim est ac si diceret, *ego sum ego*. Quicquid sit, ullam authoris menti innatam esse ideam eadem facilitate negatur, qua ille id absque ulla probatione asserit.

De veritatis idea, quam author secundo loco nominat, iudicium ferre licet ex iis, quæ de idea rei jam dicta sunt. Siquidem enim veritas nihil aliud est, quam conformatio iudicii cum re, de qua judi-

cium fertur; patet ideam veritatis non differre ab idea rei, sed utrinque eandem esse. At idea rei innata nulla est, ergo nec veritatis.

De ideis cogitationum innatis valde obscura est authoris assertio. Per cogitationes enim intelligit, ni fallor, actiones mentis, quarum ullam innatam esse ideam tamdiu negatur, donec ideam mentis innatam demonstret.

Quod si author dicat, se per ideam rei, veritatis, & cogitationis intelligere conceptum, quo intelligitur, esse aliquid, esse verum, esse cogitationem, qui conceptus omnino naturalis sit; jam non idea erit conceptus ille, eo sensu accepta, quo author eam sumit. Ego sane affirmare non vereor, si possibile esset, hominem nasci absque ullo sensu, sola cogitandi facultate illæsa, eum ne ullius quidem rei cogitationem habiturum, præter obscuram & vix non brutam existentia suæ perceptionem.

Hicce, aliisque nonnullis præmissis, capitalem existentia Dei demonstrationem aggreditur, cuius prolixius prolata fere est summa: 1. *Ego sum mens seu res cogitans*, 2. *cogitando varias ideas in me habeo*, ac imprimis ideam entis infiniti & perfectissimi. 3. *illius ideæ ego causa non sum, quia ejus realitatem objectivam non æquo*. 4. *Ergo alia præter me, illius causa est, eaque me longe perfectior*. Ratio, quia debet ad minimum esse tantundem realitatis formalis in causa ideæ, quantum est realitatis objectivæ in ipsa idea.

1. Nota: Quod author in primo membro ait, *se esse rem cogitantem*, id, an præcise verum sit, nondum certe novit, quia nondum monstravit esse Deum, qui deceptor non sit. Nam veritas hujus propositionis, *ego sum res cogitans*, dependet ab illa regula: *quicquid clare & distincte percipitur, verum est*. Sed hæc regula in quarta demum Med. confirmatur, post demonstratam Dei existentiam. Ergo primum hoc totius demonstrationis principium, punctumque Archimedeum lubricum est, & quicquid eidem in seqq. superstruitur.

2. *Cogitando varias ideas in me habeo*, &c. Intelligit ideas innatas. Quid si autem ideæ illæ mera phantasmata sint, non dicam à Deo deceptore aut maligno spiritu objecta (etsi talia objici posse author tamdiu non differtur, quamdiu Deum deceptorem non esse non novit) sed à propria phantasia oblata. Author enim in eo statu revera non est, in quo se esse fingit, nempe qui sensu omni careat, qui in mente sua omnes imagines rerum corporearum deleverit. Quid si phantasmatum prius per sensus haustarum reliquæ menti obversentur, quæ ipse pro innatis ideis habeat? At dicet, se revera omnia delevisse per sensus antehac admissa: sed qui fidem faciet dubitanti? an authoritati tanti viri acquiescendum erit? at argumenta ab autoritate humana probabilitatem quidem interdum habent, demonstrationis verò evidentia non cogunt. Mathematicæ demonstrationes principiis nituntur perspicuis, clavis, perceptu facilibus, omnibusque sanæ mentis hominibus natura notis, qualia & hic expectabamus: at ideas authoris tot magni viri in sese animadvertere nequeunt. Promittit author Dei existentia demonstrationem talem, *ut non putet ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri unquam possint*: at fundamentum hujus demonstrationis vix differt à somniantium phantasmatibus. Quandoquidem enim dormientibus, omni sensuum usu destitutis, phantasmata & imagines rerum per sensus prius perceptarum oberant; qui author monstrabit, menti suæ per validissimam & paucis forte imitandam abstractionem ab omnibus sensibus avocata, non similes obvenire imagines, quemadmodum dormientibus? Sed videamus, quid author speciatim de illis suis ideis loquatur. *Ex his meis ideis* (ait) *præter illam, quæ me ipsum exhibet, de qua hic nulla difficultas esse potest, alia est, quæ Deum, aliæ, quæ res corporeas & manimes, aliæ quæ angelos, aliæ quæ animalia, ac denique aliæ quæ alios homines mei similes representant.*

*Nota* : Hic primum de sui ideâ affirmat, nullam esse difficultatem, nimirum, eam adeo certam esse, ut nemo mortalium de illa dubitare queat. At perfectio res ista non ita clara est. Nam ideâ istius realitas formalis, ipsomet authore fatente, est in mente; de mente verò nil aliud novit, quam eam esse rem cogitantem: cogitatio autem facultas tantum est seu proprietas mentis, non ipsa mens, cujus intimæ substantiæ ratio authorem latet. Idea igitur, quam sui ipsius ideam nominat, tantum cogitationis idea est, ex qua nondum cognoscere licet, an ipsa mentis substantia corporea sit, an incorporea. Deinde, quod ait, se habere præter Dei Ideam, etiam angelorum, animalium, cæterarumque rerum ideas, quid in dubium vocanti demonstrabit? proculdubio si nihil unquam de angelis audivisset, si animalia resque alias corporeas nunquam vidisset, non magis illarum ideas haberet, quam occultarum nobis stellarum, aut insularum quarundam maris nondum detectarum, aut infinitarum aliarum rerum, quarum nec aspectus nec fama ad eum pervenit. Tertio, istud quoque perceptu perdifficile est, cum author se substantiam incorpoream esse dicat, quomodo ex sese ideas rerum corporearum deducere possit. Nam, si solam incorpoream substantiam novit, quomodo fieri potest, ut capiat præterea substantiam corpoream? quam difficultas em author animadvertens ait: *quamvis concipiam me esse rem cogitantem & non extensam, lapidem vero rem extensam non cogitantem, ac proinde maxima sit inter utrumque conceptum diversitas, in ratione tamen substantiæ videntur convenire.* Sed si nihil aliud de utroque novit, quam res illas esse substantias, unde resciet, lapides, animalia, arbores &c. esse corporeas? dantur enim etiam substantiæ incorporeæ. Nullas igitur habet rerum incorporearum ideas, qui solum substantiam incorpoream novit. Tandem de Idea Dei, hoc est *entis infiniti & perfectissimi*, rem proponit creditu plane impossibilem, utpote contradictionem implicantem. Idea enim est imago ex ipsiusmet authoris tententia, hoc est, aliquid determinatum & distinctissime perceptum; realitas igitur objectiva ideæ determinata est, proindeque etiam realitas subjectiva, quæ in archetypo est, determinata est, hoc est finita, quæ ponitur tamen infinita. Si author dicat, ideam non repræsentare totam infiniti latipotentiam; non erit igitur idea ista, entis infiniti idea, non magis, quam imago hominis fuerit, quæ extremum solum capillum, aut medium aliquod in corpore punctum refert. Sed occurrit author alicubi huic difficultati, cum ait: *infinitum, quâ infinitum, nullo quidem modo comprehendere potest, sed nihilominus tamen intelligi, quatenus scilicet clarè & distinctè intelligitur, aliquam rem talem esse, ut nulli plane in ea limites possint inveniri.* Sed verbis paulò mutatis idem profert. Quid enim differt infinitum ab eo, quod nullos habet limites? quid cæcus ab eo, qui oculis est privatus? Habet quidem mens facultatem rem aliquam dilatandi & amplificandi, v. gr. concipere potest hominem pedibusterram calcantem, caput ero supra astra erigentem, sed nec in infinitum progredi potest. est mens in tali dilatatione, nec ullius rei ita dilatatæ ullam habet ideam quæ rem illam perspicuè repræsentet. Dicat enim quis, quot ulnarum sit tam terribilis Polyphemi longitudo? Etsi autem numerum proferat, ipsam universi diametrum multoties superantem, numerum tantum proferet, ideam verò nullam habebit. Sic intelligere possum, spacium illud, quod est extra hoc universum, esse infinitum, sed non per ideam aliquam menti meæ illud spacium repræsentantem, aut per alium qualemcunque clarum & distinctum conceptum, sed ob aliam rationem, nimirum, quod quotiescunque terminum istius spacii quàm maximè remotum concipio, statim subit cogitatio, quid extra illum terminum sit, & si ulterio rem terminum figam, eadem recurrit dubitatio. Quod si ex hac cogitatione ideam mihi fingam, idea ista non spacium illud infinitum repræsentabit, sed tantum cogitationis meæ conceptum, qui cogitatione seu amplificationis actu cessante, finitus est, proindeque ipsamet idea finita. Quamdiu autem in amplifica-

tionis actu persevero, tamdiu rei ideam non habeo. Idea enim imago est rem uti est, adumbrans, proindeque aliquid jam absolutum & perfectum, hoc est, finitum. Idea autem actu finita non potest repræsentare ens infinitum. Illud addere libet, haud paucos magni nominis Philosophos negare Deum quoad essentiam esse infinitum, ista adductos ratione, quod ens infinitum omnia alia entia excludat; cum autem tot res à Deo creatæ existant, quæ ipse Deus non sunt; inferunt, Dei essentiam non esse infinitam.

*Illius ideæ ego causa non sum, &c.* Demus, ideam appellari posse qualemcunque illum conceptum, quem author de ente infinito & perfectissimo habere se arbitratur; idea tamen ista talis non est, ut illius causâ extra intellectum quæri debeat. Ita enim ipsemet author de natura ideæ differtit: *talem esse naturam istius ideæ, ut nullam ex se realitatem formalem exigit, præter illam, quam mutuatur à cogitatione, cujus est modus.* Tota igitur realitas formalis ideæ istius in eo consistit quod sit modus mentis seu cogitationis. Modus autem est non ens nihilque reale; Idea igitur plane nullam habet realitatem, sed tantum modalitatem. Si autem mens illam, sive realitatem formalem, sive modalitatem à cogitatione mutuatur, habebit quoque realitatem objectivam ab eadem cogitatione. Cogitatio igitur causa erit ideæ tam quo ad realitatem formalem, quam quo ad objectivam. Quid igitur ideæ istius causam extra sese quærit?

Hoc dubium etiam ab authore primarum objectionum motum (etsi alio paullum sensu) author noster in responsionibus ad illas objectiones diluere fatagit. Objecerat enim vir ille; *quia idea illa concipitur tantum & non actu est (hoc est, quia tantum idea est, & non res extra intellectum posita) concipi quidem potest; at causari minime potest, nec est, causa non indiget, ut extra intellectum existat.* Respondet author noster: *fateor: sed sane indiget causa ut concipiatur, & de hoc solo quæstio est.* Quod ita intelligo, debere esse aliquam causam, cur mens talem ideam sibi formet, quæ longe majus quid & perfectius refert, quam ipsamet est: nisi enim aliqua esset causa, non posset mens concipere seu formare utam ideam. Responsum verò hocce author exemplo declarat: *si quis habeat, inquit, in intellectu ideam alicujus machinæ summo artificio excogitatæ, merito profecto quæri potest, quenam ejus ideæ sit causa; neque enim satisfaciet, si quis dicat, illam extra intellectum nihil esse, nec proinde posse causari, sed tantum concipi, nihil enim aliud hic queritur, quam quæ sit causa, cur concipiatur, neque etiam satisfaciet, qui dicet, intellectum ipsum esse ejus causam, nempe ut suæ operationis, de hac enim re non dubitatur, sed tantum de causa artificis objectivi, quod in ea est. Nam quod hæc idea machinæ tale artificium objectivum contineat potius quam aliud, hoc profecto habere debet ab aliqua causa, estque idem respectu hujus artificii objectivum, quod respectu ideæ Dei realitas objectiva. Et quidem hujus artificii causa varia potest assignari; vel enim est realis aliqua talis machina prius visa, ad cujus similitudinem idea ista formata est, vel magna Mechanicæ scientia, quæ est in illo intellectu, vel forte magna ingenii subtilitas, cujus ope etiam sine prævia scientia potuit illam invenire. Notandumque est, omne artificium, quod in idea illa est tantum objectivum, necessario debere esse in ejus causa, qualiscunque tandem sit, vel formaliter, vel eminenter (in hoc exemplo artificium illud est formaliter in ipso intellectu artificis) & idem etiam de realitate objectiva, quæ est in idea Dei, esse putandum. (Ita est, nimirum ut sit vel formaliter vel eminenter in sua causa) In quonam verò hæc ita erit, nisi in Deo realiter existente? Imo in nulla alia causa, quam in intellectu, cujus est proles. Nam idea illa Dei non est rei alicujus revera existentis idea, sed cogitationis tantum, quam mens peperit, mediante illa facultate, quæ quasvis res sibi oblatas potest extendere & ampliare, non aliter ac manus pastam deducere, & os sufflando vitrum dilatare potest. Si idea illa esset Dei revera existentis idea, esset infinita, proindeque incomprehensibilis intellectui, nec*



*modus cogitationis* esse posset, quemadmodum ipse author eam nominat: sed eo ipso quod idea ista cogitationis modus est, non est infinita, sed finita, proindeque nec Dei idea est, nec ex ista idea Dei existentia discitur. Res igitur illa, quæ per ideam repræsentatur, est formaliter in intellectu, objective in idea, subjective nullibi.

Pergit author in ista responsione: *Sed vidit optime hæc omnia vir perspicax, ideoque fatetur, peti posse, cur hæc idea hanc realitatem objectivam potius contineat, quam illam, eique quæstioni responderet, esse imperfectionem intellectus nostri, qui infinitus non est; cum enim universum quod est, simul & semel uno complexu non comprehendat, bonum omne dividit & partitur: atque ita quod totum parturire non potest, sensim concipit, aut, ut ajunt, inadequate, &c.* Quæ responsio quia authori non placet, clarius fortassis illa erit si dicatur, causam cur idea Dei illam realitatem objectivam contineat, potius quam aliam, esse, quia est istius rei idea, quam intellectui placuit parere per dilatationem perfectionum sibi objectarum. Sic si quæretur, cur idea angeli aut hominis illam realitatem objectivam contineat, & non potius aliam; causa assignabitur, quia illa est angeli idea, hæc hominis: & si alius rei idea esset, eandem repræsentaret. Quæstio igitur ista, cur hæc idea, quam author Dei ideam nominat, hanc realitatem objectivam potius contineat, quam aliam, non absimilis est isti, si quis quærat, cur hæc imago (Cæsarem repræsentans) realitatem objectivam Cæsaris potius quam alius personæ, videlicet Regis Hispaniarum, vel Galliarum &c. contineat? nonne respondetur, quia sic eam pictor efformavit? Pari modo hic respondeatur: quia intellectus ideæ istius opifex eam ita formavit. Sed nec illa viri istius perspicacis responsio ita inepta est, quemadmodum authori videtur. Id enim sibi vult vir ille: quia intellectus noster, qui finitus est, non potest simul una vice universalem omnium rerum ideam sibi efformare, sed necessum habet particulares rerum ideas successive producere, ideo hæc idea hanc, illa aliam realitatem objectivam nacta est, pro voluntate aut operatione intellectus producentis. Nullam igitur causam habuit author huic viri istius responso tantam tribuere absurditatem cum ait: *neque enim profecto magis probabile est, causam cur idea Dei sit in nobis, esse imperfectionem intellectus nostri, quam imperitiam artis mechanicæ causam esse, cur machinam aliquam valde artificiosam potius quam aliam imperfectiorem imaginemur.* Non enim vir iste dixerat, imperfectionem, intellectus esse causam, cur idea ista in nobis sit, sed cur idea ista illam potius realitatem objectivam contineat & non aliam: cujus causam assignavit, quia intellectus propter suam imperfectionem in ista idea non omnia potuit comprehendere, sed pro aliis rebus alias ideas sibi reservavit. Pergit author: *nam plane ex adverso, si quis habeat ideam machinæ, in qua omne excogitabile artificium contineatur, inde optime inferitur, ideam istam ab aliqua causa profluxisse, in qua omne excogitabile artificium reipsa existeret, etiamsi in ea sit tantum objective.* Optime: jam verò dictum est, omne excogitabile artificium, quod in idea est objective, formaliter & reipsa esse in intellectu artificis: non machinam ipsam, sed artificium, seu ars faciendi talem machinam, quam artem seu scientiam vel à doctore didicit, aut propria ingenii vi sibi comparavit: eadem ratione cum habeamus in nobis ideam Dei (imò non Dei, quia finita est ista idea, Deus autem infinitus representari per ideam finitam non potest) in qua omnis perfectio cogitabilis continetur (eo ipso, quod perfectio ista cogitabilis est, tanta non est, ut infinitæ Dei perfectionis idea dici mereatur. Quascunque enim mente concipere possumus perfectiones, illæ vix umbram Dei nobis referunt) evidentissime inde concludi potest, istam ideam ab aliqua causa pendere, in qua omnis illa perfectio sit, nempe in Deo revera existente. Cur in Deo existente, & non potius in intellectu existente? non enim Deus produxit illam ideam, sed intellectus per cogitationem. Realitas enim formalis

istius ideæ nihil aliud est, quam cogitatio, proindeque modus mentis. Objicere posset author: ergo intellectus est infinitus, proindeque Deus. Non id sequitur, sed istud solum, quod jam non semel inculcatum est, in intellectu esse facultatem perfectiones sibi oblatas ratione quantitatis, qualitatis, durationis &c. amplificandi & dilatandi, sed non in infinitum, ita ut infinitatis illius ideam aut conceptum habeat. At unde hæc facultas? ab ipsamet mentis natura, quemadmodum facultas videndi à natura visus, sentiendi à natura sensus. Unde autem natura ista admiranda? profecto si primam ejus originem progrediendo à parente ad parentem inquisiveris, nullam invenies aliam quam Deum, omnium rerum authorem. Ergo recte hinc demonstratur Dei existentia, dicet author. Rectissime: sed non magis ex illa authoris idea, vix umbram incomprehensibilis Dei repræsentante, quam ex infinitis aliis rebus, quarum admiranda natura, pulchritudo, ordo &c. sapientissimum & potentissimum Architectum arguunt. Sed illa mihi nondum nota sunt, reget author. Imò notiora quam mens, nisi ignorantiam affectaret.

Probe animadvertendum est, paralogismo huic occasionem dedisse effatum illud authoris: *in causa ideæ debere esse ad minimum tantundem realitatis formalis quantum est realitatis objectivæ in ipsa idea:* quo sensu alibi in hac Med. ait, *tantundem ad minimum debere esse in causa efficiente & totali, quantum in illius causæ effectu.* Existimat enim author intellectum debere habere reipsa omnes istas perfectiones, quarum efformare potest ideas: quia verò intellectus illas perfectiones non habet, sequi putat, ideam illam, quam Dei appellat, ab alia causa esse, in qua illæ perfectiones sint reipsa seu formaliter, quæ in idea objective repræsentantur. Sed id minime sequitur. Nam sufficit, ut realitas formalis in causa sit potentialiter, etiamsi actu ipso in ea non existat. Sed realitas formalis artificii, quod est in idea machinæ objective, non est ipso actu in mente artificis, hoc est, non est res quædam ipso actu in mente existens, sed inest ei tantum potentia, seu scientia quædam, per quam non istam solum machinam, sed etiam plures alias producere potest. Et si reipsa plures machinas similes, id est, id ipsum artificium continentes, sed diversæ magnitudinis constituat, non inferre licet, totidem etiam realitates formales actu in ipsa mente existere. Ita, etiam in illa idea Dei sufficit, realitatem formalem esse potentialiter in mente, adeo ut pro lubitu & illam & aliam ei similem vel dissimilem, majorem vel minorem producere possit, nec opus est, ut res ipsa in mente cogitata, & à mente per ideam repræsentata reipsa sit in mente.

Pergit ulterius author in responsione sua: *neque sane in uno major difficultas, quam in altero apparet, si quidem omnes non sunt periti mechanici, nec idcirco ideas machinarum valde artificiosarum habere possunt, ita non haberent omnes eandem facultatem ideam Dei concipiendi; sed quia illa omnium mentibus eodem modo est indita, nec advertimus unquam nobis aliunde, quam ab nobismet advenire (ideo) ad naturam intellectus nostri pertinere supponimus. Et quidem non male, sed aliud quid omittimus, quod præcipue est considerandum, & à quo tota vis & lux argumenti hujus dependet, nempe quod hæc facultas ideam Dei in se habendi non posset esse in nostro intellectu, si hic intellectus esset tantum ens finitum, ut revera est, nullamque haberet sui causam, quæ esset Deus.* Si ultima hæc verba, quæ esset Deus, de causa remotissima ac prima intelligantur, bene argumentum procedit: intellectus enim facultatem illam non haberet ideam talem efformandi, imò nec quicquam cogitandi, nisi ei Deus illam per creationem indidisset, quemadmodum nec oculus videndi, nec auris audiendi facultate polleteret, nisi sui authorem haberet, Deum: imò nec mens, nec oculus, nec quicquam in rerum natura existeret, nisi à potente causa fuisset productum: sed quid novi hic adfert author? quid hoc argumentum differt à vulgatissimo illo, quo etiam divinus Paulus Ethnicos, quod Deum non noverint, inexcusabiles esse evincit? Rom.

Rom. I. 19, 20. nimirum universam mundi machinam sapientissimi & potentissimi authoris nos admonere.

Sed author per verba illa, *quæ Deus esset*, intelligit causam proximam & immediatam, non illam, quæ Deus ei mentem in utero matris immediatè infuderit (quod nonnulli Philosophi Christiani censent, quibus absurdum videtur animam rationalem per traducem generari) non enim tolleretur absurdum, quod vel maxime declinare studet, nempe, mentem fore infinitam, sed qua per singula temporis momenta eum de novo creat. Adscribam ejus verba ex Medit. tertia: *quoniam enim (ait) omne tempus vitæ in partes innumeras dividi potest, quarum singulæ à reliquis nullo modo dependent, ex eo, quod paullo ante fuerim non sequitur, me nunc debere esse, nisi aliqua causa me quasi rursus creet ad hoc momentum, id est, me conservet.* Sed quid absurdius unquam dici potest? Quænam res mente cogitari potest, cujus partes sint minus à se invicem separabiles, seu inter quas sit inviolabilior series & connexio quam temporis? Deinde, quomodo ex hac partium temporis sive dependentiæ sive independentiæ concludit author continuum sui reproductionem, seu reiteratam per singula minutissima momenta creationem? *Ex eo (inquit) quod paullo ante fuerim, non sequitur me nunc debere esse, nisi aliqua causa me rursus creet ad hoc momentum.* Certè non sequitur, nec quisquam, nisi mente captus, ita stupidus reperietur, qui hinc præsentem sui existentiam probare velit. Sed nec argumentum authoris firmum est, nec vera allegatur causa, cum infert: ego nunc sum, quia de novo sum creatus. Neque enim ad id, ut ego, qui paulo ante fui, nunc sim, opus est me de novo creari, sed sufficit non a lesse vel causam corruptentem, quæ me destituit, aut imbecillitatem mearum virium, qua tandem deficiam. Sed inquit author: *perspicuum enim est attendenti ad temporis naturam, eadem planè vi & actione opus esse ad rem quamlibet singulis momentis, quibus durat conservandam, quo opus esset ad eandem de novo creandam, si nondum existeret, adeo ut conservationem sola ratione à creatione differre, sit etiam unum ex iis, quæ lumine naturali manifesta sunt.*

Imò lumine naturali planè contrarium patet. Nam, cum v.g. lapidem videmus, possumus intelligere, eum potuisse fieri; at fieri eum continuò quis intelligit, ne quidem admonitus, nedum lumine naturali id ei manifestante? Quod enim fit, id antequam fieret, non fuit: ergo quod continuò fit, debet continuò non esse, quod manifeste contradictionem implicat.

Distinctio causæ secundum fieri & secundum esse, quam alibi author adfert, nihil rem promovet. Ait enim, *Architectum verbi causa esse causam domus, & patrem filii secundum fieri tantum causam, ideoque cum opus absolutum est, potest absque istiusmodi causa remanere; sed sol est causa lucis ab ipso procedentis, & Deus causa est rerum creaturarum non modo secundum fieri, sed etiam secundum esse, ideoque debet semper eodem modo influere in effectum, ut eundem conservet.* Sed, bone Deus, quam lubrico fundamento nititur res tanti momenti? nonne hac ratione Deus longe deterioris conditionis esset, quam quilibet artifex, cujus opus cum absolutum est, absque illius ope conservatur: Dei verò omnipotentis opera (ex authoris mente) talia sunt, ut ne per incomprehensibile temporis momentum conservari queant, sed eodem momento annihilantur quo fuerunt producta? Quid quæso opus est rem per se plasmam tantis involvere tenebris? Neque verò existimetur, Deo adimi operum suarum conservationem & curam, cum tam absurda ei denegatur. Conservat enim Deus res à se creatas, quoad illarum substantiam, cum eas enim destruit, aut vim, qua conservantur non adimit, cumque sua providentia res omnes ita moderatur, ac regit, ut nihil diutius duret, quam quantum ipsius voluntati & sapientissimo scopo, quem sua providentia etiam in minimis præfixit, est conforme. Et hac ratione Deus etiam causa dici potest in esse. Quod ad exemplum solis attinet, id huc non quadrat. Nam Sol non est causa in esse lucis.

Lux enim Solis, quæ perseverare videtur in aëre, non est una eademque numero, sed continenter nova ac nova; quemadmodum in flumine eadem aqua perseverare videtur, cum tamen continuò alia atque alia sit à scaturigine suppeditata. Hinc Sol fons lucis non incongruè appellatur. Pergit: *Itaque debeo nunc interrogare me ipsum, an habeam aliquam vim, per quam possim efficere, ut ego ille, qui jam sum, paullo post etiam sim futurus. Nam, cum nihil aliud sim quam res cogitans, vel saltem, cum de ea tantum mei parte præcise nunc agam, quæ est res cogitans, si quæ talis vis in me esset, ejus proculdubio conscius essem; sed & nullam esse experior, & ex hoc ipso evidentissime cognosco, me ab alio aliquo ente, à me diverso dependere.* Non opus est ad mei conservationem habere me tantam vim, qua me ipsum, quamdiu, aut quocunque modo voluero, conservare possim, tanquam mei ipsius causæ efficiens, quemadmodum v.g. lumen lampadis conservare possum olei affusione ne extinguatur: sed sufficit in me esse naturalem constitutionem ac formam, qua conservet tamdiu, quamdiu causæ corrumpens eam non delet. Dixerat antea author, domum ab architecto extructam posse remanere absque ope illius causæ, qua fuit producta: ergo talis vis est in domo qua absque ædificationis reiteratione conservatur, nempe ipsa domus forma & structura, qua tamdiu domus conservatur, quamdiu à contraria causæ non destruitur. Si secus in homine esset, homo longe deterioris conditionis esset, quam domus aut hara. *Sed si talis vis in me esset, (ait) ejus proculdubio essem conscius.* Annon sentis famem & sitim, quæ te ad cibum capiendum sollicitat? quo sumpto labescentes & ad interitum vergentes vires restaurantur, quo verò neglecto frustra novam tui creationem à Deo (nisi per miraculum & extraordinem) expectas. Sed regetur author, se nunc in eo statu esse, in quo se solum ut rem cogitantem intelligit, & in quo nullam vis illius sui conservatricis noticiam habet, famem verò ad corpus pertinere. Sit ita. Ergo quatenus est res cogitans, hoc est mens, pereat per singula temporis momenta, corpus verò se ipsum conservet cibi assumptione. Deterior igitur est mens tali vi destituta, corpore, quod seipsum conservare potest. Sed annon percipit mens se vivere? percipio, dicet, at vim qua vivo, non percipio. At ipsa vita est vis illa qua mens seu rescogitans conservatur, qua cessante, ipsa periret. Sed dicat mihi author, si vim istam conservantem non sentit, aut novit, novine annihilationem illam sui, ex qua perpetuo emergit? proculdubio non novit, nisi nugari velit. Cur igitur ad noticiam suæ continuæ conservationis alius vis noticiam requirit, præter illam, qua se vivere, & quamdiu vivit, non interire novit?

Concludit author, se ab aliquo ente à se diverso pendere. Benè id colligit, non quia de novo semper ab eo producatur, sed quasi olim ab ipso productus. Sed dum ens illud à quo immediatè dependeat, author inquit, mirum est, quod dicat, *tale ens non esse parentes aliasve causas quaslibet.* Cur enim parentes non sint, à quibus manifestissimè productus videatur? Addit autem rationem, *quia sum res cogitans & ideam Dei in me habeo.* Sed etiam parentum mentes fuerunt rescogitantes, ideamque Dei in se habuerunt, proindeque non commode hinc urget effectum, tantundem esse in causâ, quantum in effectu. Addit: *si sit alia præter Deum causa (nempe immediata) quæri potest an sit ex se vel ab alio? si ex se, erit Deus, si ab alia, totius quæretur, donec ad illam perveniatur, quæ à se & sit Deus, cum in infinitum progredi non liceat.* Optima ratiocinatio, sed non diveria à vulgarissima illa: in causis per se agentibus non datur progressus in infinitum. Unde colligitur, parentum concatenatam seriem non posse sese in infinitum retro extendere, sed continuata investigatione deveniendum tandem esse ad causam aliquam à nemine productam. Cur quæso per tot ambages & mæandros eo contendit author, quo trita via jam pridem alii pervenerunt? Sed de his haec tenus.

Tandem author ideæ hujus Dei originem investigaturus, ait: *Supereſt, ut examinem, qua ratione ideam iſtam à Deo accepi, neque enim illam ſenſibus hauſi, nec unquam non expectanti mihi obvenit, ut ſolent rerum ſenſibilium ideæ, cum iſtæ res externis ſenſuum organis occurrunt, vel occurrere videntur: nec etiam à me efficta eſt: nam nihil ab illa detrabere, nihil illi ſuperaddere planè poſſum, ac proinde ſupereſt, ut mihi ſit innata, quemadmodum etiam mihi innata eſt idea mei ipſius.*

*Nota:* Ideam Dei ſibi innatam eſſe, primùm eo probat, quod ſenſibus eam non hauſerit. Sed quo argumento incredulum urgebit, ut fidem ei habeat? Eſti enim ſenſibilia omnia ut falſa ſuppoſuit, non propterea tamen illorum delevit memoriam, aut etiam, ſi vel maximè voluiſſet, delere potuit. Quamvis enim in hanc uſque horam author materno utero inclufus, nihil de reliquo mundo unquam ſenſu percepiffet, non tamen in eo ſtatu eſſet, in quo ſe eſſe fingit. Nam de multis, quæ nunc Deo tribuit, ne ſomniaret quidem in eo ſtatu? Deinde ait, *à ſe non effictam eſſe iſtam ideam.* Qui hoc certum ſit, jam dictum eſt. Ratio autem ob quam à ſe non effictam aſſerit, mira eſt, *nam, inquit, nihil ab illa detrabere, nihil ſuperaddere poſſum.* Quafi non poſſent eſſe homines vel angeli, à quibus aliqua, quæ de Deo nondum novit, imò quæ nunc Deo perperam attribuit, moneri poſſit. Sive enim author per ideam iſtam ipſam Dei eſſentiam, ſive attributa ejus ac perfectiones repræſentari ſtatuat, falſum tamen eſt, nihil ideæ iſti addi poſſe. Nam quod ad eſſentiam attinet, quì illius ideam habeat, eamque adeo perfectam, adeo abſolutam, ut nihil ei addi poſſit, quì ne culicis quidem aut muſcæ eſſentiam novit, qualique ſit referre poſſet? Attributionum verò divinarum plurima nos adhuc latere, quæ vel angelus de Cælo, vel ipſe Deus per ſpiritum ſuum revelare poſſit, nimis audax foret præſumptio, id negare velle. Quomodo igitur ideæ illi nihil addi poſſe aſſeverat?

Hactenus paruit authorem Dei exiſtentiam ex imaginaria ſua idea non demonſtraſſe.

Verum, nî fallor, admiranda mentis humanæ natura alia ratione argumentum ſuppeditat, pro aſſerenda Dei exiſtentia: nimirum, notum eſt argumentum, quod ex innato omnibus hominibus æternum vivendi deſiderio, probari ſoleat, ſpem alterius vitæ perennis & felicitis ſuperſeſſe mortalibus. Deſiderium enim iſtud, quia univerſale eſt, omnibus hominibus commune, proindeque à natura inſitum, ideo vanum eſſe non poſeſt, nec reſdeſiderata impoſſibilis. At hominem mortuum in vitam revocare, immortalitateſque (quæ cætera lætiſſima includit) donare, non niſi à potentiſſima cauſa præſtari poſeſt: illa verò cauſa vel natura eſt, vel alia præter naturam. Non natura per quam mortales ſumus & afflictionibus obnoxii: ergo per aliam cauſam ipſa natura perfectionem, quæ Deus appellatur.

#### MEDITATIO IV.

##### De Vero & falſo.

**N**egleſtis cæteris in quarta Medit. de quibus non immeritò dubitare liceret, pauca tantum attingere lubet.

Primum, de cauſa erroris, quam author in voluntatem rejicit. Unde ergo naſcuntur (inquit) mei errores! nempe ex hoc uno, quod, cum latius pateat voluntas quam intellectus, illam non intra eoſdem limites continet, ſed etiam ad illa quæ non intelligo extendo.

Et ſub finem Meditationis: Et ſanè nulla alia eſſe poſeſt (cauſa) ab ea, quam explicui. Nam quoties voluntatem in judiciis ferendis ita contineo, ut ad ea tantum ſe extendat, quæ illi clarè & diſtinctè ab intellectu exhibentur, fieri planè non poſeſt, ut errem.

*Nota:* Primò Falſum eſt, voluntatem latius patere quam intellectum. Voluntas enim nihil eligit, nihil appetit aut fugit, niſi quantum intellectus aut expectandum aut fugiendum demonſtrat. Deinde volunta-

tem confundit cum judicio. Duas enim humanæ mentis facultates principes vulgò conſtituunt Philoſophi: *Intellectum & voluntatem.* Sub intellectu comprehenditur 1. Simplex rerum apprehenſio, qua ſine affirmatione aut negatione aliquid concipimus. 2. Judicium, cujus rurfum duæ ſunt operationes 1. Enumeratio, qua affirmamus vel negamus, 2. Ratiocinatio, qua ex uno poſito inferimus aliud. Hæ operationes mentis nihil commune habent cum voluntate, nihil voluntas ad eas conferre poſeſt, adeo, ut ſi error committatur, is quantus quantus eſt, ab intellectu male aut apprehendente aut judicante oriatur. Si quid iſtæ appetibile offert, voluntas appetit & perſequitur; ſi quid ut fugiendum, abhorret & fugit. Erroris igitur cauſa non in voluntate eſt, ſed in intellectu, & propriè quidem, ſaltem precipuè in judicio, cum id rei, de qua fertur, non eſt conforme. Tertiò, Regula illa, quam ad evitandum errorem præſcribit, nimirum, *ut voluntas in ferendis judiciis ita contineatur, ut ad ea tantum ſe extendat, quæ illi clarè & diſtinctè ab intellectu exhibentur* &c. hæc, inquam, Regula, ut nimis generalis, nullum uſum habet practicum in inquirendâ veritate, niſi aliæ regulæ aut methodus præſcribatur, qua diſcernere liceat claram & diſtinctam cognitionem, quam plurimi ſe habere perſuaſiſſimi ſunt, etiam maximis implicati erroribus: cujuſmodi methodi nullum in hiſce Meditationibus apparet veſtigium, in quo tutò pedem figere liceat. Committitur autem in judicando error ut plurimum circa res probabiles, rariffimè circa illas, quarum veritas ex certis & innatis principiis per neceſſarias conſequentias deduci poſeſt. Sic puram mathēſin vel mediocriter edoctrum, raro errare contingit, lapſo verò alicubi adeo evidenter demonſtrari poſeſt error; ut eum vel invitiſſimus agnoscere cogatur. At in probabilibus tanta eſt judiciorum varietas, ut quæ huic quam maniſteſſima maximique ponderis apparent, aliis obſcura videantur & ad aſſenſum extorquendum imbecilliſſima. Exemplo elio hæc ipſa authoris Philoſophia, quam longe minor eruditorum applauſu, quam ipſemet ſibi pollicebatur, ſuſceptum iri non dubito. Ego ſane judicii mei imbecillitatem hic ingenuè profiteor, qui intenſis pro viriſ mentis viribus, non poſſum tamen vim experiri illarum demonſtrationum, quas author pro talibus agnoscit, ut non putet ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores & evidētioreſ inveniri poſſint.

Cæterum, in iis rebus, quæ probabilitati magis quam apodicticis demonſtrationibus innituntur, maxima judicii humani viſ & perfectio agnoſcitur; hinc maximè ſapientiæ & prudentiæ gloria comparatur; hinc ſummus in omni vitâ fructus, non tantum in civili Societate, ſed etiam in ſalutis negotio emergit. Quid enim mirum, ſi quis v. gr. trianguli tres angulos duobus rectis, & hypothenuſæ quadratum laterum quadratis æquari agnoſcat, demonſtratione tam claram faciem præferente, ut vel dormituriens veritatem palpet? at dignoſcere judicii acumine juſtum & injuſtum, honeſtum & turpe, magis vel minus probabile; penetrare aliorum callidiſſima conſilia, conatus, machinationes; obviare ſingulari prudentia infinitis hominum technis & fraudibus; declinare provide caſus non niſi probabiliter præviſos; imò, quod præcipuum eſt, perſcrutari admirandas, & non niſi perſpicaciſſimis oculis inveſtigabiles divinarum providentiæ vias, quibus ab Orbe condito cum majeſtatis ſuæ gloriam patefacit, cum generis humani ſalutem curat, id demum excellentiſſum & penetrantiſſimum judicii laudem meretur: quæ laude & fructu verò ſemetipſos privant, & magnam judicii imbecillitatem teſtantur ii, qui in omnibus aſenſum cohibent, quæ evidenti & palpabili demonſtratione non ſunt fulſa, hoc eſt, qui omnem fidem rerum natura proſtigatam volunt, & una cum illa omnem hitoriarum uſum, Medicinæ partem maximam, omnem quæ inter parentes & liberos eſt pietatem, quos non aliter agnoſcimus: & tandem ipſam divinam ſapientiam, vitæque futuræ certitudinem, quæ ex Reſurrectione Chriſti cum primis dependet.

Maximum



Maximum igitur promerentur laudatissimæ operæ pretium, qui hac in parte imbecillioribus iudiciis in veri fallique, aut veritatis magis minusve probabilis dijudicatione, certæ alicujus methodi faciem præferre, & ad funestas circa res fidei lites ex parte saltem dirimendas & levandas, pacemque Ecclesiæ Christi restituendam, viam sternere fusciperent. Conatus & Deo gratissimus, & annuente ipsius gloria non omnino irritus futurus, in re, cujus sparsa jam undique semina agnoscere licet, recentiores circa fidem controversias animo præjudiciis non oblimato inveniunt.

## MEDITATIO V.

De essentia rerum materialium, & iterum de Deo, quod existat.

## MEDITATIO VI.

De rerum materialium Existentia, & reali mentis à Corpore distinctione.

**O**missa quinta Medit. in qua dubia occurrunt nonnulla haud multum ab similia iis, quæ in præcedd. Medit. allata sunt, ad ultimam propero, in qua author alterum, quod sibi præcipuè demonstrandum proposuit, prosequitur, nimirum, de *Mentis à Corpore reali distinctione*.

Capitali verò demonstrationi duo præmittit, primum de distinctione intellectus & imaginationis, alterum de sensuum erroribus. De posteriori satis actum est ad Medit. primam: de priori pauca hic apponam in re perceptu non ita difficili. Ait itaque author:

*Primo examino differentiam quæ est inter imaginationem & puram intellectionem. Nempe, ex. Gr. cum triangulum imaginor, non tantum intelligo illud esse figuram tribus lineis comprehensam, sed simul etiam istas tres lineas tanquam præsentis acie mentis intueor, atque hoc est, quod imaginari appello. Si verò chiliogonum velim cogitare, equidem æque benè intelligo illud esse figuram constantem mille lateribus, ac intelligo triangulum esse figuram constantem tribus, sed non eodem modo illa mille latera imaginor, sive tanquam præsentia intueor &c. Et paulò post: & manifeste hic animadverto, mihi peculiari quadam animi contentione opus esse ad imaginandum, qua non utor ad intelligendum.*

*Nota:* Videtur author certum adferre criterium, quo imaginatio ab intelligentia discerni possit. Quod criterium prius exemplo declaratum de triangulo, quod distincte & imaginari & intelligere licet, & de chiliogono, quod distincte quidem intelligere, at non imaginari possumus, in eo consistere innuit, quod ad imaginandum peculiari animi contentione opus sit, quæ intellectus non utatur. Verum, author nullam adfert causam, cur imaginatio non æque ad chiliogonum ac ad triangulum sese extendat. Mens enim dum contemplando chiliogonum sibi repræsentare satagit, æque id contentione quadam tentat, ac in triangulo, licet imago ab angulorum multitudinem confusior sit imagine trianguli: neque probat, se per intellectum melius & clarius intelligere quam per imaginationem. Nam, quod ait, *se æque benè intelligere chiliogonum esse mille laterum ac triangulum esse trium*, id non est intelligere figuram, sed tantum nominis significationem, seu etymologiam, hoc est, grammaticam habere chiliagoni scientiam, non mathematicam. Intelligere verò chiliogonum, est ejus mille latera & angulos distinctè percipere, quod per intellectum magis & perfectius, quam per imaginationem fieri, probandum est: nimirum, demonstrandum est, ideam illam seu imaginem chiliagoni, quam author citra imaginationis opem in mente sua existere asserit, clarius & distinctius repræsentare chiliogono-

num, quam repræsentet imago, à mente per imaginationem efficta. Certus tum, authorem nullum hic discrimen ostensurum. Distincta enim rei alicujus imago, illa est, quæ distincte & sigillatim rei istius partes repræsentat; talis verò imago non est chiliogoni, quacunque ratione, sive per intellectum, sive per imaginationem à mente effingatur.

His ita præmissis accedit author ad capitalem demonstrationem distinctæ mentis à corpore existentia, & ait:

*Et primò quidem scio, omnia quæ clarè & distinctè intelligo talia à Deo fieri posse, qualia illa intelligo, satis est, quod possim unam rem absque altera clarè & distinctè intelligere, ut certus sim unam ab altera esse diversam, quia potest saltem à Deo seorsim poni; & non refert à qua potentia id fiat, ut diversa existimetur. Ac proinde ex hoc ipso, quod sciam me existere, quodque interim nihil planè aliud ad naturam sive essentiam meam pertinere animadvertam, præter hoc solum, quod sim res cogitans, rectè concludo, meam essentiam in hoc uno consistere, quod sim res cogitans. Et quamvis fortassis (vel potius, ut postea dicam, pro certo) habeam corpus quod mihi valde arctè conjunctum est: quia tamen ex una parte claram & distinctam habeo Ideam mei ipsius, quatenus sum tantum res cogitans non extensa: & ex alia parte distinctam Ideam Corporis, quatenus est tantum res extensa, non cogitans; certum est, me à corpore meo revera esse distinctum, & absque illo posse existere.*

*Nota:* Quæstio non est, an mens, quo ad substantiam suam, de crasso ac palpabili corpore participet, sed simpliciter, an sit incorporea & inextensa. Et si enim facile concedatur, mentem nec ossæam esse, nec carneam, aut musculosam, nervosam &c. dubium tamen remanet, an non sit tenuissimum quoddam corpus vaporosum, aut æereum, aut æthereum &c. diffusum per crassum hoc corpus; id quod author simpliciter negat, omnem ei adimendo extensionem.

Ratiocinatio verò, qua suam assertionem tuetur, totam vim suam mutuatur ab isto axiomate: *ea, quæ separatis conceptibus intelliguntur, reipsa esse separata & distincta*. Cujus axiomatis falsitatem apertè arguunt innumera exempla. Nonne enim omnes corporum proprietates, affectiones, accidentia, modi, separatis intelliguntur conceptibus, quorum nullum tamen à suo subjecto reipsa est separabile?

Hoc dubium ab aliis quoque, qui contra has Medd. stylum strinxerunt, authori objectum fuit, & inter cæteros ab authore primarum objectionum, qui ex Scoto duplicem adfert distinctionem, *formalem & realem*, atque ex mente Scoti, ad id, quod unum ab alio distincte & separatim concipiatur, sufficere *distinctionem formalem & objectivam*: Unde infert ex eo, quod mens, quatenus cogitat, distincte concipi possit à subjecto corporeo, non tamen inde sequi, eam realiter ab omni subjecto corporeo esse distinctam. Quam duplicem distinctionem author quidem non respuit, cum ait: *formalem seu modalem distinctionem esse inter entia incompleta, in quibus sufficit, ut unum ab alio distincte & seorsim concipiatur per abstractionem intellectus, rem inadæquate* (vult dicere incomplete) *conscientis: realem verò esse inter entia completa, quæ ita distincte & seorsim concipiuntur, ut unum quodque tanquam ens per se & ab omni alio diversum intelligatur*. Id cum exemplo figuræ & morus (malè huc applicato) declarasset, probat corpus & mentem esse substantias completas, ut inde concludat realem inter illa esse distinctionem, non formalem: atque (ait) complete intelligo, quid sit corpus, putando tantum illud esse extensum, figuratum, mobile &c. deque illo negando ea omnia, quæ ad mentis naturam pertinent; & vice versa, intelligo mentem esse rem completam, quæ dubitat, intelligit, vult, quamvis negem in ea quicquam esse ex iis, quæ in corporis idea continentur. Quod omnino fieri non posset, nisi inter mentem & corpus esset distinctio realis.

*Nota:* Sensus est, ad conceptum corporis non requiri cogitationem, quæ mentis propria est; & ad conceptum mentis non requiri extensionem, quæ corpori

corpori propria est. Ergo mens & corpus sunt duæ distinctæ substantiæ completæ, proindeque realiter inter se distinctæ. Sed hoc responsum dubium non tollit. Conceptus enim ille, quo mentem solum ut rem cogitantem concipit, non est completus mentis conceptus, nam solam cogitationem concipit, quæ est facultas aut effectus alicujus rei, quam, qualis sit, corporeane an incorporea, author ignorat, aut saltem pro arbitrio absque probatione, eam incorpoream esse, assumit. Ex illo igitur conceptu concludere nondum licet, mentem esse rem completam, proindeque realiter ab omni corpore distinctam. Sic verò sibi constaret ratiocinatio si diceret: Ego mentem concipio tantum ut rem cogitantem, & ad illum conceptum non animadvertere possum, pertinere extensionem: Ergò mens, quatenus est res cogitans non est extensa. Æque vera est hæc conclusio, atque illa, cum infero: Iego hominem concipio, quatenus ambulat, & ad hunc conceptum non animadverto pertinere crassitiam; ergo homo, quatenus ambulat, non est crassus. At non sequitur, eum simpliciter non esse crassum. Elenchus igitur manifestus est in authoris ratiocinatione, quem logici nominant, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

Porro, quoniam author dixerat, *se intelligere mentem esse rem completam, quæ dubitat, intelligit &c.* non alienum ab hoc loco est, examinare ea, quibus in responsionibus suis ad quartas objectiones explicat, quid per rem completam intelligat. Ait igitur: *sed hic merito quæri potest, quidnam intelligam per rem completam, & quomodo probem, sufficere ad distinctionem realem, quod duæ res tanquam completæ una absque altera intelligantur.* Valde circumspecte & caute loqui videtur author. Si enim perspicue demonstratur duas res esse revera completas, nullum dubium est, quin realiter inter se distinctæ sint; sed author, nî fallor, non videtur velle probare, corpus & mentem revera esse duas res completas, sed tantum *intelligi tanquam completas*. Id quod ad realem distinctionem minimè sufficit, possent enim res innumeræ *tanquam completæ* per abstractionem intelligi, quæ revera completæ non sunt, proindeque realiter non distinctæ.

*Itaque ad primum respondeo, me per rem completam nihil aliud intelligere, quam substantiam indutam iis formis sive attributis, quæ sufficiunt, ut ex iis agnoscam ipsam esse substantiam.*

Nota: Mira hæc est substantiæ completæ definitio, in qua attributa generis assumuntur ad definitionem speciei. Si hoc, quod author recenset, est substantiæ completæ criterium, in quonam quæso consistet differentia inter substantiam completam & incompletam? Haud aptior est hæc authoris substantiæ completæ definitio, quam si quis definiturus hominem, diceret, se per hominem nihil aliud intelligere, quam animal iis indutum formis sive attributis, quæ sufficiunt, ut ex iis agnoscatur ipsum esse animal, hoc est sufficere ad agnoscendum hominem, scire ipsum esse animal.

*Neque enim substantias immediate agnoscimus, ut alibi notatum est, sed tantum ex eo, quod percipiamus quasdam formas sive attributa, quæ cum alicui rei debeant inesse, ut existant, rem illam, cui insunt vocamus substantiam. Si verò postea eandem illam substantiam spoliare vellemus iis attributis, ex quibus illam cognoscimus, omnem nostram de ipsa noticiam destrueremus, atque ita verba quidem aliqua de ipsa possemus proferre, sed non quorum significationem clarè & distinctè perciperemus.*

Nota: Aliter loquebatur author sub finem 2. Medit. ubi se ceram detractis omnibus formis & accidentibus nudam intelligere asseverabat, & quidem longè perfectius & distinctius, quam sub formarum & accidentium involucrio, quæ mutabilia sunt, ipsa ceræ substantia immutabili.

*Non ignoro quasdam substantias vulgò vocari incompletas; sed si dicuntur incompletæ quæ per se solæ esse non possunt, fateor mihi contradictorium videri, ut sint substantiæ, hoc est, res per se subsistentes, & simul incom-*

*pletæ, & per se subsistere non valentes. Aliter autem dici possunt substantiæ incompletæ, ita scilicet, ut quatenus sunt substantiæ, nihil quidem habeant incompleti, sed tantum, quatenus referuntur ad aliquam aliam substantiam, cum qua unum per se componunt. Ita manus est substantia incompleta, cum refertur ad totum corpus, cuius est pars, sed est substantia completa, cum sola spectatur: & eodem modo corpus & mens sunt substantiæ incompletæ cum referuntur ad hominem, quem componunt; sed solæ spectatæ sunt completæ.*

Nota: Per miros incedit Mæandros, ut scopum evitet. Quæstio est, an mens corporea sit, an incorporea. Author incorpoream esse contendit, quia eam intelligat ut rem cogitantem, eamque completam. Objectum ipsi fuerat, hanc ipsam noticiam esse inadæquatam, hoc est attributorum tantum noticiam, non ipsius subjecti, de quo, quale sit, corporeane an incorporeum, controvertitur. Sic inadæquatus est conceptus vel noticia, cum dico, vaccam esse rem mugientem. In illo enim conceptu tantum mugitus noticiam habeo, nullam subjecti, de quo, an bos, vel leo, vel canis sit, nondum constat. Nihil igitur ad rem est, quicquid author de substantia completa & incompleta differit. Eò enim tendit solum, ut demonstrat, mentem per se, & absque relatione ad corpus consideratam, esse substantiam completam; de quo in præsentī nulla est controversia. Eo ipso enim concessio (etsi falsum sit) indecisa manet principalis quæstio, corporeane sit, an incorporea.

Cæterum, denominatio illa completi & incompleti, tota dependet à relatione ad aliud aliquid, tanquam ad totum, cuius respectu substantia completa vel incompleta dicitur, quo respectu sublato substantia nec completa nec incompleta dici solet. Ita enim Philosophi substantias completas & incompletas definiunt, ut substantiam completam esse dicant, quæ ad alterius substantiæ realem compositionem seu constitutionem non ordinatur, nec ipsamet ad sui complementum & perfectionem re alia indiget: incompletam, quæ contra se habet: Unde completam substantiam se habere ajunt per modum totius, incompletam per modum partis. Ex. gr. truncus arboris substantia completa non est, at arbor integra completa est substantia, cuius respectu ramus incompleta est, qui ipse tamen substantia completa est respectu minorum ramulorum ex se ipsis ortorum; idque solummodo, quamdiu ramuli illi majori ramo, hic verò arbori, & quidem viventi, adhæret, & ad realem illius compositionem ordinatus est: abscissus verò ab arbore ramus nec completa nec incompleta substantia nominari meretur, quippe qui in eo statu existat, in quo totum suum non complet. Sic nec ramuli isti minores majori ramo ab arbore amputato adhærentes, substantia incompleta non sunt; nam etiam ramum illum majorem complere videantur, tamen arborem ipsam non complent, ad cuius complementum præcipuè pertinent. Sic homo substantia completa est, corpus & anima verò incompletæ, quemadmodum ipse author fatetur. Corpus rursus substantia completa est respectu membrorum v. gr. respectu manus, quæ incompleta est respectu corporis, completa respectu digitorum: idque tandem, quoad totum principale, nimirum homo non dissolvitur: dissoluta autem corporis & animæ compagine, nec corpus nec anima per se substantiæ completæ sunt, quippe ad realem hominis compositionem non amplius ordinatæ, sed corpus cadaver est, brevi corrumpendum, & in pulverem redigendum, anima verò substantia quædam est (corporeane an incorporea author nos hæcenus non docuit) perfectionem in se actu, nisi novo jungatur corpori, non habens. Falsum igitur est, quod author ait, *substantias, quatenus substantiæ sunt, nihil habere incompleti*, hoc est, eas omnes esse completas. Item, *manum cum sola spectatur*, hoc est, quatenus est à corpore avulsa, esse substantiam completam: Conditio enim substantiæ completæ tantò est perfectior quam incompletæ, quantum totum præstat parti, perfectum imperfecto: id quod

quod ipsæmet denominationes completi & incompleti, hoc est, perfecti & imperfecti satis arguunt. Cum igitur manus corpori vivo juncta non completa substantia sit, multo minus completa est à corpore avulsa. Juncta enim corpori viventi participat de excellentia & dignitate præstantis operis naturæ, tanquam membrum seu pars illius, sine qua corpus ipsum mutilum est: at amputata dignitate illa non amplius fruitur, nec amplius manus est, sed cadaver, manus figuram aliquantum retinens, donec in putridam terram transformetur. Pari modo, quoniam anima, quatenus ad realem compositionem hominis est ordinata, & illius respectu se habet per modum partis, non est substantia completa, multo minus completa erit, si extra illam compositionem consideretur; eritque in statu longè imperfectiore extra corpus constituta, quam corpori juncta. Dissolutio enim operis naturalis (seu à natura producti), imperfectionem introducit, non tantum quo ad totum, sed etiam quo ad partes: id quod testatur non solum naturalis abominatio istius dissolutionis animæ & corporis, etiam brutis animantibus naturâ insita, sed etiam futuræ illius vitæ conditio & status, in quo non nudæ animæ beata fruuntur vita, sed novo vestientur corpore, eoque incorruptibili, & in perpetuum ab illis non separando, ut imperfectio per mortem utrique parti introducta resarciatur, & disjunctum in integrum restituatur. Hinc porro patet, etiam si vel maximè concedatur, mentem esse substantiam incorpoream, mereque spiritualementem, non tamen eam absque corporis organo cogitare, in-

telligere, ratiocinari, aliasve functiones obire posse. Substantia enim talia præstare apta completa est substantia, nullo corpore indiga, imò Persona est, humanâ personâ longè præstantior & perfectior. Cum autem per naturam ad humanum corpus perficiendum ordinata sit, ut perfectam constituat personam; patet, absque corpore aptam non esse ad functiones personis proprias obeundas, quas in corpore obit: nullo enim sine corpori jungeretur saltem cælesti illi olim recipiendo, si absque illo persona esset omnibus numeris absoluta.

Finio, & coronidis loco paucis attingere libet, quod author cum in ipsis Medit. tum in suis responsionibus non semel urget, *mentem esse indivisibilem*, nec ab ullo unquam Philosopho auditum esse, mentem bisecari aut trisecari posse: unde firmissimè concludi posse ait, mentem non esse corpoream. Verum, homonymia est in voce *mentis*. Si enim mens sumitur (quemadmodum à Philosophis sumi solet) pro facultate animæ humanæ, quam vulgo *superiorem facultatem* nominant, nempe pro intellectu & voluntate, & ab appetitiva, quam *inferiorem* dicunt, distinguunt; certum est, mentem esse indivisibilem. Divisio enim propriè quantitatum est, non qualitatum, ad quas, facultates ille referuntur. At si per mentem intelligatur substantia seu subjectum ipsum, cui facultas intelligendi & volendi in hæret, hoc est ipsa anima humana, tamdiu absurdum non erit, statuere mentem divisibilem esse, donec eam corpoream non esse demonstretur.

F I N I S.





LUDOVICI WOLTZOGENII  
RESPONSIO

ad

JONÆ SLICHTINGII à BUCOWIETZ

Annotationes in Annotationes

*de*

Bello, Magistratu

&

Privata Defensione.



I R E N O P O L I

Post annum Domini 1656.

## *Lector Benevole!*

**T**Ractatus hic, post absolutam impressionem, ab amico inter sua manu-scripta repertus, nobisque communicatus, non potuit, priori auctoris de eadem materia tractatui subjici. Sunt vero tres Woltzogenii de hac materia, in universum tractatûs, quorum primus secunda parte *Instructionis ad utilem S. Literarum lectionem* absolvitur. In quo Daniëlis Brenii librum *de Qualitate regni Christi*, ipsius operibus Theologicis insertum (Episcopii de munere Magistratus à Christianis gerendo oppositum) quasi amplificat, & ejusdem argumenta latius deducens explicat & confirmat. Secundus continet Annotationes ad tres Jonæ Slichtingii quæstiones. Quibus Annotationibus Slichtingius suas in easdem Annotationibus obviam ivit. Atque istis Slichtingii Annotationibus Author hac Responsione occurrit.


VALE.

# RESPONSIO ad ANNOTATIONES

## OPPOSITAS ANNOTATIONIBUS IN TRES

### QUÆSTIONES DE MAGISTRATU, DE

### BELLO, DE PRIVATA DEFENSIONE.

I.  *Njuria queritur Vir Præstantissimus &c.* Imperfecta jure tractatio de Magistratu visa est, quia in hac quæstione maxima est de jure gladii difficultas: ejus itaque mentio fieri debuit, ubi de eo, an liceat Christianis magistratum gerere, agebatur. Adeo autem Auctor hoc loco ejus non meminit, ut Magistratum Christo, qui jure gladii usus non est, similem omnibusque iervientem fecerit: ex quo videri alicui merito potuisset, eum Magistratum quidem admittere Christianum, sed talem qui gladio & patibulo aliisque capitalibus suppliciis in maleficos non sæviret. Atque hanc imperfectionem agnoverunt & illi ipsi amici magni nominis viri, quorum rogatu Auctor quartam quæstionem, quæ de jure gladii agit, cæteris se subjunxisse ait. Cur enim id rogassent, si non omnino ad tractationem hujus quæstionis de Magistratu necessarium esse judicassent?

II. *Et quem obsecro Lectorem? Christianumne?* Veri Christiani terrentur patibulo & gladio, non tam quod ipsi eum metuant, quam quod doleant tot peccatores, ad quos salvandos Christus potissimum venit, sine omni misericordia è medio tolli: quorum plurimi etsi sunt sanabiles ac corrigibiles, omne tamen illis ad corrigendam vitam spatium adimitur; & sic non corpora solum, sed & animæ eorum perduntur, nec temporaria tantum; sed simul etiam æterna morte afficiuntur. Quod quam horrendum sit, perspexerunt hodie omnes ferme etiam plebs Christiani. Itaque tamen si maleficos capite plebs jubeant, ne tamen æternam eis salutem adimere videantur, eos etiam in furcam jam ascendentes spe regni cœlestis solantur; & quibus ipsi vitam temporariam in terris nolunt concedere, eis æternam promittunt in cœlis; non ab simili modo, atque ille quondam dicebat: Sit divus, modo ne sit vivus. Veri autem Christiani, cum hoc per decreta divina in Sacris Literis revelata sciunt fieri non posse, ut malefici sine vera poenitentia vitæque mutatione in melius consequantur vitam æternam; quomodo non ingemiscant, cum vident tot miserorum animas seduci & perire in æternum? ac porro quomodo non abhorreant à tali functione, per quam ipsimet fierent æternæ perditionis proximorum suorum aliquomodo participes. Deinde & sui causa merito terrentur gladio & patibulo Christiani: quia etiam pios homines ex infirmitate posse in tale peccatum incidere, quod secundum Legem Mosaicam & civilia jura non nisi mortis supplicio expiari potest, vel solum Davidis exemplum nos docet. Cum verò nulum delictum tam grave committi possit, cui in Ecclesia non sit parata venia, si seria subsequatur poenitentia, nonne horrendum ac terribile est homini Christiano, tam insigni & æquissimo beneficio per Magistratus gladium privari, & necem videre sibi inevitabiliter imminentem, quam nec Christus ipse in poenitentem decerneret?

III. *Magistratus enim verus & dominando servit.* Atqui Christus Matth. 20 non hoc sibi vult ut discipuli ejus dominando serviant: sic enim eos ab affectatione dominii non avocasset.

#### QUÆSTIONIS I. ANNOTATIO I.

I. *A* *T* *qui primum Auctor non populi Christiani in specie felicitatem celebrat, sub Rege vere Christiano.* Nobis verò maxime Christiani populi felicitas spe-

ctanda est: nam alios extra Ecclesiam quod attinet, illi satis suam felicitatem & tranquillitatem etiam absque Christianis Regibus procurabunt.

II. *An vero Regnum Israëliticum non fuit felix sub Rege Salomone &c.* Fuit felix felicitate terrena; sed Christianorum felicitas non est in rebus terrenis sita.

III. *Videt ergo & Christianos expetere, ut tranquillam & quietam vitam peragant &c.* Non aliam tranquillitatem licet Christianis expetere, quam quæ vocationi eorum convenit. Eorum autem vocatio est, ut etsi non semper patientur re ipsa, tamen parati sint semper pro Christo pati persecutionem. Hoc enim est, quod quotidie crucem nostram portare, Christumque sequi jubemur. *Quisquis non portat crucem suam, meque sequitur, non potest esse meus discipulus*, Christus ipse diserte pronunciavit. At ex Auctoris sententia, posset esse Christi discipulus, qui crucem suam non portaret: quod est aperte verbis Christi contrarium. Et Apostolus Galat. 5. vers. 11, tanquam absurdum ponit, si aboleatur scandalum crucis. Observandum enim est, à condito mundo, sic volente Deo, semper bonos persecutionibus maiorum fuisse expositos, ut tanto scilicet perfectior & luculentior bonorum virtus esset: unde nubem Martyrum ex seculis, quæ Christi tempora antecesserunt, adducit auctor Epistolæ ad Hebræos. Quanto minus præsumi debet, Deum velle, ut veri Christiani aliquando à jugo persecutionum plane sint liberi, qui ad summam pietatem, atque inprimis ad perfectissimam patientiam vocati sunt; quibus æternæ & cœlestis felicitatis nulli ante seculo notæ facta est promissio, quibus pro exemplo propositus est Christus Dominus, dux & consummator fidei nostræ, cujus tota vita fuit insigne patientiæ speculum; quibusque dictum est, Non posse esse discipuli conditionem meliorem conditione Magistri, & conditionem servi conditione Domini. Non ergo debent unquam Christiani talem optare & ambire tranquillitatem in terris, in qua crucem Christi amplius non portant, nec portare possent: ac proinde in qua meliori quam Christus secundum carnem conditione essent. Hoc autem omnino fieret, si Reges Christiani fierent & manerent. Adde quod tranquillitate nimia ac diuturna nihil magis pietati inimicum sit. Expertus id est sanctus ille vir Dei David, quem malis invictum oïi ac pacis fomenta corruperunt. Hoc idem & Apostolum 1 Tim. 2. considerasse apparet ex eo, quod non simpliciter jubet orare pro Regibus, ut tranquillam & placidam vitam agamus, sed addit, *cum omni pietate & honestate*: innuens tranquillitatem non aliam esse expetendam, quam in qua pietatis honestatisque studium atque exercitium vigeat. Alioqui si tranquillitas pietatem exstinguat, si gignat & nutriat plurima vitia ac scandala, adeoque Ecclesiam veram Christi pessundet, (quod fieri oportet, si tranquillitas nimis longa sit) eam odio habendam & detestandam esse subindicat. Talem autem tranquillitatem & tales tranquillitatis fructus sub Regibus Christianis omnino dari necesse est: quod ex Constantini Magni temporibus satis patuit. Non potuit igitur Apostolus jubere, ut Christianos Reges votis omnibus expetamus, qui nobis tranquillitatem firmam & diuturnam, qua corrumperetur Ecclesia, armis & potestate sua carnali præstarent. Fallunturque non leviter in explicatione loci illius 1 Tim. 2, qui existimant Apostolum pro ultimo scopo conversionis Regum, & precationum nostrarum



strarum pro Regibus posuisse, ut tranquillam vitam agamus; quasi talis sit verborum nexus: Orandum est pro Regibus. Quid verò orandum? ut ad veritatis cognitionem perveniant. Hoc vero quo fine orandum & expetendum est? ut nos tranquillam & placidam vitam agamus. Atqui aperte absurdum est, Apostolum voluisse animos orantium pro Regibus adeò ad externam tranquillitatem esse intentos, ut ejus respectu ante omnia jubeantur pro Regum infidelium conversione orare: cum Christiani teneantur conversionem & salutem infidelium etiam cum tranquillitatis & bonorum suorum, imò cum vitæ quoque ipsius dispendio procurare; & præterea omnium temporum experientia docuerit, Ecclesiam semper melius habuisse in persecutione, quam in alta pace. Quare notandum est, ultimum orationum nostrarum pro Regibus scopum in verbis Apostoli poni, ut piè & honeste vivamus. Quatenus verò ad hunc scopum etiam facit tranquillitas, eatenus eam quoque expetere jubemur. Cæterum ad tranquillitatem istam obrinendam non dicit Apostolus opus esse, ut Reges veritatem agnoscant, & convertantur, neque diserte id orandum esse cum in finem monet. Etsi enim hoc quoque una cum aliis bonis optandum esse Regibus subintelligi possit, tamen Apostolus id nec nominavit, nec ita subintelligi voluit, ut agnitio veritatis esset medium præstandæ nobis tranquillitatis. Committiturque hic insignis fallacia compositionis, dum quæ divisa sunt in se, & apud Apostolum, componuntur. Jubemur orare pro Regibus, ut nobis tranquillam vitam præstent, & ut ad agnitionem veritatis perveniant. Ergo ideo ad agnitionem veritatis pervenire debent ut nobis tranquillitatem præstent. Cur verò non contrà concluditur? Ergo ideo nobis tranquillitatem præstare debent, ut ad agnitionem veritatis perveniant? Imò hoc perinde est, atque si quis sic argumentaretur: Debemus orare pro Regibus, ut vitam æternam consequantur, & ut diu vivant in terris: Ergo ideo vitam æternam debent consequi, ut diu vivant in terris. Considerandum insuper Reges istos & in eminentia constitutos, pro quibus hoc loco orari jubet Apostolus, fuisse tunc temporis homines impios & corruptissimos; de quibus nulla spes erat ut converterentur & veritatem agnoscerent, adeò tunc in mundo exosam. Pro iis tamen orari jubet Apostolus, ut sub iis tranquillè vivere possimus in omni pietate & honestate. Poterant nimirum & hi ipsi Magistratus, quantumvis pessimi & Christianis insensibilissimi, ita emolliri, ut intellecta Christianorum pietate, & propensa in se voluntate, tametsi veritatem non reciperent, tamen eam non persequerentur, & professoribus ejus tranquillitatem præstarent. Hoc igitur est, quod propriè hic vult orari Apostolus: unde nihil solidi pro sententia Auctoris elici posse ex hoc loco, satis intelligitur.

IV. *Sed ille tamen agit per media ordinaria.* An verò inter media ista ordinaria est id quod vult Auctor, scilicet ut Christiani habeant suos Reges? Atqui hoc ex ipsa praxi refutatur. Nam ex quo exaltatus est Christus, semper hætenus super populum suum regnabit, & tamen eum hoc medio non videmus usum esse, ut Regna Regesque proprios daret Christianis. Mirum profecto est, medium ordinarium vocari, cujus ne unicum quidem exemplum per sedecim secula ostendi potest. Nam quod infra de Joanne Hunniade refertur, ad id suo loco respondebitur.

V. *Quis inquam non exoptet non futura tantum, sed & præsentis vitæ bonis perfrui?* Credo. Sed quis non etiam exoptet vivus in cælum inferri, sicut Eliæ olim contigit? At hoc fieri non potest. Sic neque hoc fieri potest, ut quis & in futura vita & in hac bonis fruatur, præsertim constanter & perpetuò: quod vel Lazari & divitis illius exemplo satis est declaratum Luc. 16. Christianis præsentis vitæ bonis perfrui non nisi eatenus licet, quatenus necessaria sunt ad vitam sustentandam: sed regna & amplas stabilesque in terris possessiones ambire & exoptare non debent. Hæ enim

impedimenta potius sunt, quam adjumenta felicitatis Christianorum. *Habentes alimenta & tegumenta, his contenti simus. Sed qui volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem* 1 Timoth. 6.

VI. *Hoc jam non ipsa rerum bonitate, sed hominum evenit vitio.* Ita est: ideo etiam ipsas res secundas per se non damnamus; sed quia omnes, etiam Christiani, sumus homines vitiis obnoxii, opus esse dicimus, ut Christiani semper sint in ejusmodi statu, in quo à morbis suis ac vitiis per persecutionum patientiam curari vel etiam præservari queant.

VII. *Nec medicina ideo melior est sanitate, quod morbis medeatur.* Sanitas melior quidem est medicina, sed tamen, quia impossibile est ut homines mortales semper sani sint, ideo medicinâ omnes indigemus. Ita & non luxuriare unquam melius est, quam curari à luxuria per persecutiones ob veritatem: at cum tam fragilis Christianorum, utpote hominum iisdem infirmitatibus ut reliqui subjectorum, natura sit, ut penè impossibile videatur, posse Christianos non plerumque luxuriare rebus secundis, idcirco ut hac medicinâ prorsus carere possint, fieri nequit.

VIII. *Etiam Rex pius & sanctus vereque Christianus, maximum est adversus vitiorum morbos & contagiones amuletum.* Rex Christianus non potest esse ullum, nedum maximum adversus eorum vitiorum morbos amuletum, quibus potissimum Christiani tempore pacis possunt ac solent adversus Christi præcepta delinquere; quales sunt luxuria, fastus, ambitio, avaritia &c. non tantum, quia potestas Magistratus civilis non extenditur ad talia delicta, quibus in sublimiora Christi præcepta peccatur, verum etiam quia ipsæ Regum aulæ non possunt non esse talium vitiorum maxima exempla & occasiones.

IX. *Et persecutiones violenta sunt remedia &c.* Verum est, persecutiones esse violenta remedia: ideo eas Christus non semper, nec in omnes Christianos statim immittit: sed metum tamen persecutionum vult semper nobis adesse, qui certè nec violentum remedium est, & ita juvat, ut naturam non debilitet; & hunc Christus modo remittit, modo intendit pro exigentia nostræ emendationis.

X. *Sunt hostium invasiones, bella, fames, pestis &c.* Bella, fames, pestis, morbi, calamitates variae, non sunt tam efficacia remedia adversus vitia Christianorum, quam sunt persecutiones Christi causa illata. Illa enim communiter omnibus accidunt hominibus: hæ sunt peculiare Christianorum gymnasium atque palæstra, in qua ad perfectionem virtutum cælestium exercentur, & tanquam cote acuuntur. In his gloriosior est patientia, & fiducia in Deum ac pietas major cernitur; quam in illis: quia hæ devitari possunt, si quis velit esse improbus, illa non possunt ne ab improbiis quidem: illa igitur pati necessitatis est, has perferre virtutis, & hoc martyrii laudem propriè meretur. Quocirca etiam hæc patientia amplissimum habet in cælis repositum præmium, illa verò nullum peculiare. Hoc cum videant hodie pseudo-Christiani, nec habeant occasionem persecutiones pro veritate patiendi propter carnalem suam potentiam, quam muniti sunt, novum martyrii genus commenti sunt, quod non in suo, sed in alieno sanguine religionis causa fundendo consistit.

XI. *Non est de novo aliquo regimine per Magistratum ex hominibus introducendo satagere.* Novum regimen per Magistratum ex hominibus introducere inter Christianos, ac proinde Christum Regem rejicere meritò dicuntur, qui non contenti eo quo Christus populum suum invisibiliter ac immediatè gubernat, protegitque regimine & cura, visibilem protectionem, qui armis suis directe Christianum tueatur gregem, desiderant: quemadmodum jure Israëlitis dictum est, quod novum regimen introduxerint, & Deum rejecerint, ut non esset Rex super illos, quando flagitarunt Regem visibilem, gentilium more super

super se regnantem, divino invisibili non contenti regimine. Annon illi quoque optimos gubernatores & regni administratores ex hominibus optarunt? annon expetierunt, ut Deus peculiariter ipsis dominaretur per pios & sanctos Reges? & tamen ipsis objicit Deus, quod ipsum rejecerint, ut non sit Rex super illos. Quanto magis ne id dicat Christus Rex noster, Christianis metuendum est, quorum *πρωτόθυμα* non in terris, sed in cœlis est, qui non terrena sapere jussi sunt; sed ea quærere quæ sursum sunt debent, non ea quæ sunt super terram.

XII. *Peculiariter enim Christus regnat, cum per pios & sanctos regnat Reges.* Hoc verò nunquam hæcenus factum est: unde colligitur, isto modo Christum regnare non solere. Quis porro unquam verba, *Adveniat regnum tuum*, in oratione Dominica, intellexit denotare, ut Christus regnet per Christianos Reges? Annon & Apostoli, vel saltem Apostolica Ecclesia oravit quoque ut adveniret regnum Christi illo tempore? an ergo hoc sibi voluerunt tunc Christiani, ut Christus illis regnaret in terris, & Christianos Reges? an si hoc voluerunt, non frustra orarunt? Neque enim exaudiri sunt: quia nulli Reges Christiani in Apostolica Ecclesia fuerunt. Ita nimirum quisque Scripturam interpretatur secundum suam opinionem & voluntatem. Quis verò non vider, verum Christi regnum, cujus adventum & propagationem quotidianis precibus à Deo flagitare debemus, esse spirituale, non carnale, & consistere non in amplitudine terrenarum ditionum, sed in veritatis & pietatis promotione, nec gladio ferreo, sed gladio spiritus seu verbo Dei propagari atque conservari? Hoc sane regnum est toto genere diversum ab aliis regnis mundanis, quæ coactiva constant potestate, & corporibus tantum hominum, non etiam cordibus imperant. Vehementer proinde errant, qui ut Christus carnali gladio per Reges ac Principes Christianos regnet, veritatem suam propaget ac defendat, orant orandumque putant. Nulla enim ratione hic modus propagandæ & defendendæ veritatis consentaneus est voluntati divinæ sub Novo Fœdere. *Videte vocationem vestram, fratres*, inquit Apostolus, *quod non multi (sint inter vos) sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia contemptaque mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruat: ut non gloriatur ulla caro in conspectu ejus.* Hæc nimirum est voluntas divina sub Novo Fœdere, ut veritas divina & Evangelium non per Reges aut Cæsares, sed per homines infirmos & abjectissimos sustentetur. Ideo Messiam non misit in mundum regia pompa instructum: ad munus Apostolicum non Principes aut dynastas hujus seculi delegit, sed piscatores, pauperculos, rudes & è media plebe sumptos homines. Quibusnam per Angelos curavit primum annunciari nativitatem Christi, ut per eos porro aliis innotesceret? Herodine Regi, aut alicui ex Phariseis ac Principibus populi? Minime gentium: Sed Pastoribus Luc. 2. Quod etsi stultum videatur mundo, ista tamen *Dei stultitia*, ut loquitur Apostolus, *sapientior est hominibus, & ista infirmitas Dei potentior est hominibus.* Rationem quoque hujus consilii divini expressit Apostolus, quod voluerit confundere & pedefacere potentes atque sapientes hujus mundi, & ansam gloriandi eis adimere. Nimirum Reges, Principes & sapientes hujus seculi, putant Deum sibi plurimum debere, si quid agant in Dei negotio; quasi ipse eorum opera carere non posset; itaque omnia imputari volunt suæ auctoritati, suæ potentiae, suis armis, suis consiliis. Hoc ergo ne fieret sub Novo Fœdere, neve quod Dei Christique providentiæ in solidum debetur, carnali ipsorum brachio, potentiae & dignitati adscriberetur, placuit Deo per infirmitatem & stultitiam prædicationis servare crederes. Hoc si probe perpenderit Auctor, non statuisset opinor, precandum esse à Deo, ut Christus per Christianos Reges

regnet. Huc pertinet & illa ratio Apostoli, quam superius attulit, causam reddens, cur non esset missus cum peritia dicendi: *Ne, inquit, inanis reddatur crux Christi*: Eadem enim ratio facit, ut nulli inter Christianos Reges atque Monarchæ esse possint. Frustra namque Christus tam abjecta fuisset conditione, frustra tanta & tam multa in vita sua passus fuisset, frustra crucem Apostolis & aliis Christianis imposuisset semper ferendam, si quisquam posset inter ejus discipulos dari, qui simul in terris, & postea in cœlis regnare posset. Cæterum non negamus Deum Christumque utriusque aliquando potestate, opera & consiliis, quin & gladio armisque Regum & Principum extra Ecclesiam constitutorum, idque ad bonum Ecclesiæ suæ; sed tunc id nulla sit cum gloriæ divinæ diminutione, sed potius cum ejus insigni augmento & amplificatione: siquidem isti Reges non directe agunt negotium Christi, non directe tuentur Ecclesiam, sed aliud quippiam intendunt, aliquando etiam nocere student Ecclesiæ, & tamen Christus eorum conatus & consilia in rem suam suorumque convertit: qua in re admirabilis & vere divina Christi sapientia atque potentia cernitur.

XIII. *Aut quasi vitium esse possit, quod cum Christi sanctitate conveniat!* Christi sanctitas dupliciter considerari potest ac debet, secundum duplicem ejus statum; unum, quo in terris vixit, alterum quo nunc degit in cœlis. Priori in statu sanctitas ejus fuit humilem esse, nemini nocere, ultionem non spirare, mansuetudinis, patientiæ & fortitudinis in afflictionibus exemplum in se exhibere perfectissimum, animas hominum non perdere sed servare. Posteriori in statu sanctitas ejus est longe alia: Rex enim factus in Cœlis, jam non est humilis, non patitur amplius injurias; sed ulciscitur hostes suos, & nocet eis perditque contumaces. Nobis verò Christum non in ea sanctitate imitari incumbit, quæ ipsi tanquam Regi cælesti competit, sed in ea, qua nobis in terris præluxit. Huic sanctitati Christi si quid non conveniat, potest id esse vitium, etsi cum præsentī sanctitate ejusdem conveniat.

XIV. *Et profecto cum pro Regibus oramus, quid oramus?* Cum oramus pro Regibus, tum temporalia illis bona optamus, tum æterna. Æterna propter ipsos tantum eorumque salutem. Temporalia propter ipsos & nos simul, ut nimirum illorum rebus florentibus & nos quietam & tranquillam vitam sub eis degamus: quandoquidem plerumque mala Reipublicæ etiam in Christianorum damnum redundant. Sic jussi sunt Judæi in captivitate Babylonica constituti orare Deum pro pace Babylonis, quia pax ejus esset quoque pax eorum futura.

XV. *Ea vero egregia foret pro Regibus oratio &c.* Non est hæc adeo absurda oratio, si quis precetur, ne ulli Reges in terris sint Christiani facti, & ut ex rerum natura tollantur per abdicationem regni sui: si nimirum simul oretur, ut omnes homines in mundo convertantur ad Christum, & nulli usquam mali in terra reperiantur. Hoc enim si fieret, cælum in terra foret, nullis judiciis forensibus, nullis Regibus esset opus: & sine illis quietam & tranquillam vitam transigeremus in omni pietate & honestate. Faxit Deus ut hæc ratione omnes Reges in mundo extirparentur! At hoc nunquam futurum est, dices, ut desint mali in mundo. Quid tum? Nobis tamen id vovere & optare à Deo fas est. Deinde, si mali nunquam defuturi sunt, neque etiam defuturi sunt unquam Reges præter Christianos qui malos coercerent: ita ut nec miraculo extraordinario, nec Christianis Regibus ad id sit opus, ut tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate & honestate. Nam & sub externo Magistratu possunt Ecclesiæ Christi pace & tranquillitate frui, pietatemque & honestatem omnem colere: quemadmodum temporibus Apostolicis factum Actor. 9. quin & nostro ævo in Polonia.

XVI. *Meliusne erit ut imperet, idque Christianis, vel Turca, vel Judæus &c.* Si omnes homines boni essent, & ex Christi præscripto viverent, ut imperium sine bellis ac cædibus administrari posset, tum vel nullo

Rege opus esset, nec Magistratu, vel si aliquo opus esset, melius utique esset ut pius & mansuetus aliquis à Christianis imperaret, quàm Turca, aut idololatra. At nunc in tanta malorum copia, quorum nefarii ausus ægrè gladiis, igne, patibulis refrænari possunt, satius est Rempublicam habere strenuum aliquem & bellacem Regem, quamvis externum sive is Turca sit, sive Judæus, sive idololatra, dummodo justitiæ alioquin & boni publici sit studiosus. Multo enim aptiores sunt homines mundani ad mundanos & feroces homines compescendum, quam qui per Christi disciplinam ad omnem lenitatem & modestiam sunt facti ac regenerati.

XVII. *Nimis indigne & humiliter de Christiana veritate & gratia Dei salutari, quæ omnibus apparuit, sentiunt, qui eam intra vilem plebeculam &c.* Quali vero veritati salutari aliquid splendoris & dignitatis conferat mundanus splendor Regum atque palatiorum! aut quasi illa vilis propterea reddatur, quod intra vilem plebeculam, ut loquitur Auctor, ac servitia in angulis versetur! Atqui non est vilis plebecula, quæ recipit ac proficitur veritatem gratiamque Dei salutarem; sed genus electum, gens sancta, regale Sacerdotium, populus à Deo peculiariter acquisitus. Non est obscurus angulus, ubi viget veritas Christiana, sed omnibus Regum palatiis illustrior locus. Potius igitur ii nimis indigne de veritate sentiunt, qui ejus professores vilem plebeculam appellant: quin & qui eam indignam putant, ut propter eam palatia sua & solia Reges ac Principes hujus seculi spernant & deserant, Moysi exemplo, qui Regiam dignitatem & aulam Pharaonis reliquit ultrò, eamque forti miserrimæ populi divini postposuit. Hodie si Regum aliquis tale quid faceret, stultitiæ ab omnibus, & fortassis etiam ab Auctore damneretur; dicerent enim omnes, potuisse eum & veritatem Christianam suscipere, & manere in officio ac dignitate Regia, atque sic Deo servire & Ecclesiæ prodesse. At sic Moyses quoque cogitare poterat: possum ego & in aula Pharaonis florere, & Judaico populo adjungi. Stultus ergo & ille, quod hæc duo conciliare nesciverit: quod non consideraverit, se melius consulere posse Ecclesiæ Dei, si ejus agat in aula Pharaonis patronum. Sed ita nimirum oportet, ut stultus fiat in hoc seculo, qui vult esse verè sapiens. Quod si ista conciliari non poterant olim Moysi tempore, multo minus nunc conciliari possunt, ubi dictum est: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diligit; aut unum amplexabitur, alterum verò dimittet.* Mundus & Christus implacabili dissident odiorum qui ergo utrumque conjungere & in gratiam reducere laborant, oleum & operam omnem perdunt, Christumque tentant, qui quod ille fieri non posse affirmat, efficere nihilominus omni ope contendunt; quasi eo sapientiores esse possent, qui impossibile esse dixit, quod illi possibile esse autumant.

## ANNOTATIO II.

I. **H**eterogenea ista simul in eodem subjecto consistere possunt. Quænam illa sunt? Christianum esse & Regem. Atqui minus heterogenea erant, Judæum esse & aulicum Pharaonis esse: & tamen in eodem subjecto non poterant consistere. Quanto minus ista duo consistent: Christianum esse & Regem esse? Christianum enim esse, est humilem, abjectum, & à mundi honoribus, pompâ & voluptatibus alienum atque abhorrentem esse: at Regem esse, est omnibus superiorum & honoribus ac voluptatibus mundanis immersum & circumfluentem esse. Quomodo igitur hæc duo in uno subjecto consistere posse dicit Auctor? Sicut enim, inquit, *Christianus aliquis esse potest, & simul Regis alicujus subjectus, sic ex vi & natura oppositionis ac relatorum, aliquis simul esse potest & Christianus & Rex.* Vellem istam naturam oppositionis & relatorum clariùs explicasset. Nam fateor me tam hebetem esse, ut non videam, quomodo ex eo, quod præcipitur Christianis, ut Regibus & potestatibus subjecti

sint, sequatur, licere aliquando Christiano Regem esse, id est, Regibus & potestatibus non esse subjectum. Imo multo meliori jure sic argumentari possum: Quibus nonnisi subjectionis erga supremos Magistratus officium ubique in Novo Fœdere præscribitur, illis supremum Magistratum gerere non permittitur. Atqui omnibus Christianis nonnisi subjectionis officium præscribitur. Ergo nullis Christianis supremum magistratum gerere permittitur. Est enim hoc in primis notandum, quod in Sacris Literis Novi Testamenti officia quidem maritorum & uxorum, parentum & liberorum, herorum & servorum, distincte & peculiariter recensentur: ubi verò de subditis & magistratibus agitur, ibi ommissis Magistratus officiis solum subditorum officia traduntur. Vide Tit. 3. 1. 1 Petr. 2. 13. & seqq. Rom. 13. 1. Ubi etiam generale proponitur præceptum Christianis tale: *Omnis anima*, (intellige Christiana, nam aliis extra Ecclesiam præscribere nihil poterat Apostolus) *potestatibus supereminentibus subiecta esto.* Si igitur omnis Christianus debet esse subiectus potestatibus supereminentibus: Ergo nulli Christiano licet esse non subiectum; quod fieret, si ipse potestatem supereminentem gereret. Nec obstat quod officium Magistratus hoc loco valde commendetur ab Apostolo. Hæc enim commendatio non eo tendit, ut Christiani fiant summi Magistratus: hoc enim propositioni Apostolicæ esset contrarium: sed ut Christiani tanto alacrius & promptius Magistratibus quibuscumque sese subjiciant. Nihil sane hic dicitur de Magistratu ab Apostolo, quod dici non potuisset, etiam si aliqui Magistratum summum à Christianis nullo modo geri posse contaret. Deinde non semper ex vi oppositionis & natura relatorum recte concluditur, uno oppositorum ac relatorum licito, licitum esse & alterum. Nam relata sunt, injuriam pati & injuriam facere: neque tamen sequitur quia illud imperatum est, etiam hoc licitum esse. Si sequitur, Regi subiectum esse licet; ergo Regem esse licet, sequeretur etiam pariter; Tyranno, idololatæ, Turcæ subiectum esse licet; Ergo Tyrannum esse, idololatram esse, Turcam esse licet. At inquires: Imperata licet facere, Ergo & imperare licet. Verum non omnia imperata licet facere; sed cum hac cautione imperata facienda sunt, si non repugnent conscientiæ. Ergo, inquires iterum, non omnia etiam imperare licet: sed tamen, quæcunque imperata licet facere, illa etiam imperare licet. Verum hoc quoque falsum est. Nam sunt quadam, quæ si imperentur, facere licet, imperare non licet. Verbi gratia: Onera injusta imperare non licet Magistratui, subire ea tamen, dummodo non sint contra conscientiam, subditis licet, imò id ex lege Christi facere tenentur. Tandem hoc multo magis verum est, quæcunque imperata facere Christianis non licet, illa imperare non licet. Ergo cum Christianis non liceat fundere alienum sanguinem, vindictam exercere, aliena eripere, neque in eo cuiquam mortalium obedire: sequitur, Nec Regem qui talia imperet, esse Christiano licere.

II. *Confundit enim Ecclesiam cum Regno, quæ genere differunt.* Nos Ecclesiam cum regno non confundimus: sed regnum in terris nullum Christianos habere posse asserimus, propter hanc ipsam causam, quod religio Christianorum & regnum mundanum toto genere differant. Religio Christianorum exigit, ut tanquam peregrini in hoc mundo nulli sint adiecti glebæ, sed omnia sua possideant tanquam non possidentes. At regni Politici ratio requirit, ut pro una terræ gleba mordicus decertent, usque ad sanguinem: aliena potius invadant, quam sua sibi eripi patiantur: quæque alia prorsus contraria Regnum & Religio Christiana habent instituta.

III. *Rex in Ecclesia nihil aliud est, quam frater & Ecclesiæ membrum.* Si Rex frater & Ecclesiæ membrum esset, oporteret eum Ecclesiæ esse subiectum, seque Ecclesia minorem agnoscere, quemadmodum membrum quodlibet minus est toto corpore, excepto capite, quod nullus alius est in Ecclesia nec esse potest præter Christum.



rum. Unde sequeretur, Ecclesiam Regis actiones, si iustæ videantur, impedire posse, & si refractarius sit, eum excommunicare & pro Ethnico ac Publicano habendum promulgare. Hoc si nolis concedere, quia id cum ignominia Regiæ Majestatis, ac proinde cum everfione illius status conjunctum sit, necesse est, ut novum fingas pro Regibus Evangelium, in quo à censura & potestate Ecclesiæ excipiantur. Nam in hoc quod ab Apostolis habemus Evangelio, neminem mortalium à jurisdictione Ecclesiæ exemptum videmus: adeo ut se et etiam Apostoli ipsi, primates illi populi Christiani, ultro subjecerint. Alterutrum hic omnino faciendum est; aut dignitas Regum (quod non permittit ratio status Politici) aut Ecclesiæ potestas imminuenda est, adeoque vis legibus Christi faciendæ (quod non permittit ratio Religionis Christianæ) si locum habere debeant Reges in Ecclesia.

*IV. Nec si quos puniat, punit tanquam fratres, sed tanquam facinorosos &c.* Ergo punit nihilominus fratres facinorosos. At Christus punire fratrem facinorosum præcepit non Regibus, non Reipublicæ, quam nullam instituit, sed Ecclesiæ, à qua & controversias de rebus civilibus judicari & decideri inter fratres voluit, eamque loco Magistratus politici instituit, sed ita ut pro corporalibus poenis non nisi spiritualibus utatur: quarum suprema est excommunicatio & à corpore Christi rejectio. Hoc quidem diffiteri nolum, cum fratrum aliqui sint servilis ingenii, punire fratres facinorosos aliquando & parentibus & heris permissum esse: verum ita, ut poena ista ad bonum & emendationem delinquentium spectet. Ut verò frater delinquens à quoquam in Ecclesiâ puniatur eo poenæ genere, quod non ad poenitentiam eum adducat; sed tempus ei & modos agendæ poenitentiae eripiat, nullo modo potest esse licitum. Christus enim nobiscum pepigit nomine Dei Fœdus contrarium plane illi Veteri, quod facinorosos protinus ad mortem damnabat, sine ullo poenitentiae respectu, & ad hujus executionem institutus erat magistratus, cui dictum erat: *Ne misereatur oculis tuis.* Nunc verò non accepimus rursus Spiritum servitutis in timorem, sed tempus nunc est gratiæ, ubi propositus est delinquentibus ac facinorosis omnibus poenitentiae portus. Non venit Filius hominis animas hominum perdere, sed servare, & peccatores ad poenitentiam vocare. Cum hoc igitur Fœdere nequam consentaneum est, ut sub eo judicia & tribunalia capitalia, qualia sub Veteri Fœdere constituta erant, existant, quæ cum delinquentibus tam rigide agerent, ut illis nullum poenitentiae locum concederent. Unde liquet, Legem Mosaicam quoad rigidam executionem poenarum corporalium hodie penitus esse abrogatam.

*V. Justo non est lex posita, inquit Apostolus, sed anomis, refractariis, impiis &c.* Ita verba ita videtur explicare Author, quasi indicetur Legem Mosaicam adhuc vigere hodie quoad poenas corporales in ea propositas, illasque non esse justitiæ studiosis, sed improbis etiamnum metuendas. Hoc verò nullo modo potest consistere. Quia cum lex illa de poenis jubens fuerit, non permittens tantum, sequeretur hodie Christianos necessarii debere talia erigere inter se judicia, in quibus executioni poenæ istæ darentur. Quis vero non videt inter Christianos talia judicia non habere locum? Unde nec Apostoli unquam poenas corporales in Lege propositas improbis sub Novo Fœdere comminati sunt. Adde quod lex forensis Judaica ad solos Judæos pertinuerit, & una cum ipsorum Republica intercederet: itaque post excidium gentis nullam leges illæ capitales habere poterant vim. Non ergo de poenis corporalibus loquitur Apostolus, cum ait *impiis legem esse etiamnum positam*, eosque adhuc sub Lege esse; contra vero illos qui Spiritu Christi aguntur, non esse sub Lege. Sed innuit super impios durare maledictionem seu condemnationem, quam lex minabatur, nullam verò nunc esse condemnationem his qui in Jesu Christo non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant Rom. 8. v. 1. Male-

ditionem autem & condemnationem istam apud Apostolum satis constat nihil aliud quam mortem æternam significare: quemadmodum ex adverso justificatio vitam æternam in Novo Testamento significat.

*Animadversio N. N. in hanc Responsionem.*

Non recte negat Author, Apostolum de poenis corporalibus agere. Quamvis enim Judæorum reipublica intercederet, manet tamen legem à Deo positam esse impiis, iisque supplicia ab ipso esse constituta, & etiamnum à Deo in ipsos per Magistratum exerceri. Verum hoc Slichtingium non juvat. Isti enim, quibus Apostolus 1 Tim. 1. 9, legem esse positam, asserit, nimirum *contumacibus*, adversus Dei Christique legem, *impiis*, *peccatoribus*, *prophanis*, *nefariis*, *patricidis & matricidis*, *homicidis*, *scortatoribus*, *masculorum concubitoribus* &c. ad Christi populum non pertinent, quos non Christi populus, sed Deus judicat, prout expresse indicat idem Apostolus 1 Cor. 5. v. 12, 13 cum ait: *Quid enim mea interest de extraneis judicare? nonne de iis qui intus sunt vos judicatis? de extraneis vero Deus judicat.* Ergo ex hoc loco nullo modo concludi potest Christianis corporales poenas exercere esse licitum. Videatur Brenii tractatus de *Qualitate Regni Christi*, operibus ipsius Theologicis insertus.

*VI. Absit, ut per Christum quisquam in eum statum sit vindicatus, ut si facinorosus sit, exemptus sit legibus & poenis civilibus.* Si leges & poenæ civiles admittuntur ab extraneis & infidelibus, certum est Christum neminem facinorosum à poenis ullis civilibus exemptum; ad extraneos enim nihil Christi præcepta pertinent. Evangelium non nisi illos obligat, qui id recipiunt. At inter veros discipulos suos Christus nullis omnino poenis reliquit locum, præterquam iis, quibus facinorosi corrigi & ad poenitentiam adduci possint; cæterum iis omnino illos exempt, quæ viam ad vitæ emendationem intercludunt: dum per Evangelium ejus vocati sunt ad poenitentiam, dum privilegium adepti sunt à Christo, ut eis resipiscere liceat. Nam poenæ capitales nullum relinquunt resipiscentiæ & correctionis locum. Ergo istas tam rigidas ab ipso Deo latas poenas inter Christianos propterea Christus abolevit, mortemque tam diram hac causa sustinuit, ut peccatoribus poenitentiae locus esset. De Corinthiis cap. vi. Epistolæ prioris testatur Apostolus, quod quidam fuerint antea idololatæ, adulteri, drauci &c. Illi secundum Legem capitis supplicio erant affiendi. At Apostolus ait eos ablutos esse, & sanctificatos, & justificatos in nomine Domini Jesu. Hoc beneficium facinorosis attulit Christus. Et si vero scriptum sit Hebr. x. 26: *quod voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, non jam pro peccatis hostia relinquatur*: tamen id de ita peccantibus duntaxat intelligitur, ut in peccato perseverent, neque ex luto surgere laborent. Alioqui valet semper illud Dei oraculum per Ezechielem pronunciatum, quod quo tempore impius aversus ab impietate sua fuerit, & fecerit justitiam, omnino victurus sit & non moriturus: siquidem Deus non delectetur ullo modo morte impii hominis, sed potius velit ut revertatur à viis suis, & vivat.

*VII. Quamobrem verò Christus in Regno vicarios habere nequeat ex filiis? Cur ex servis tantum? Ratio in promptu est, quia non convenit iis, qui ad sanctitatem, modestiam ac mansuetudinem atque patientiam summam vocati sunt, administrare ea munia, quæ modestiæ & mansuetudini sunt contraria. Et hæc ipsa ratio fuit, ob quam Christus cum supplicium sumere de Judæorum gente contumaci vellet, non adhibuit ad excindendam eam Christianos, etsi illi jam in numerum tam amplum crevisset, ut justum constituere possent exercitum. Nimirum non decebat, ut genus hominum sanctum, innocens & Deo dicatum, abque omni ultione alienum, ultionis & iræ ministrum ageret. Sic sub Veteri Fœdere, cum aliis*

omnibus bellare & sanguinem fundere permiffum effer, folis Levitis cultui Divino confecratis puras à bello & fanguine humano habere manus conveniebat. Quod autem olim Levitæ fuerunt coram Deo, hoc hodie funt omnes Chriftiani, qui facti funt Sacerdotes Dei ad offerendum fpirituales hoftias acceptabiles Deo, per Pontificem Maximum Jefum Chriftum. Sapientiffimè igitur Chriftus non Chriftianis, non filiis; fed fervis & hominibus Ethnicis ac profanis, exercitiis nempe Romanis, ufus eft ad ultionem injuriarum fuarum de populo Judaico fumen- dam: eo ipfo docens, longe aliam effer conditionem Chriftiani populi quàm olim fuit Ifraëlitici, cujus mi- nifterio Deus per Moſen & Joſuam olim ufus eft in delendis Amorrhæis, aliſque à Deo exitio devotis gentibus. Scilicet & Ifraëliæ non filii propriè erant, fed ſervi adhuc & fervorum loco habebantur. Et quis Regum vellet filio ſuo pro carnifice uti? quis non indignum cenſeret, ut is liſtoris vel tortoris munus obiret? Talia munia viliora ſolent Reges ſervis viliori- buſque perſonis committere.

VIII. *Atqui Chriftus ipſe Regum omnium Rex Dei Filius effer.* Ita quidem, fed ille non miniſter ultionis & ſuppliciorum; fed Dominus & ſummus adminiſtrator effer. Deinde talis Rex Regum, cujus in diſpo- ſitione ac poteſtate mundi effer ſupplicia, non fuit ille olim cum in terris verſaretur; in quo itatu nos cum imitari debemus.

IX. *An ergo præſtat, ut ſervi regnum obtineant in Dei filios, quàm Dei filii?* Apparet ita præſtare, cum ſic Deo placeat ſub Novo Fœdere, ut nunc ſit pote- ſtas tenebrarum, nunc mundus principatum obtineat, & in omnibus rebus terrenis præ Dei filiis emineat. In ipſum Chriftum unigenitum Dei Filium ſervi regnum obtinuerunt hic in terris. Non effer autem nec effer debet diſcipulorum conditio præſtantior conditione Magi- ſtri. Si Deus putaffet præſtare, ut filii ipſius obtinerent regnum in ſervos vel in reliquos Dei filios, ſine dubio Chriftum, ſingulariſſimum Filium ſuum, Regem ter- renum feciſſet, & talem nobis Meſſiam miſiſſet, qua- lem exſpectabant Judæi: ſic ſane nunquam ſervi regnum obtinuiffent in Dei filios. Erit aliud tempus, quo filii Dei rurfum obtinebunt regnum in ſervos; illud nimirum de quo Apocal. 2. 26: *Qui vicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper Gentes, & paſcet eas in virga ferrea, tanquam vaſa fictilia confringentur.* Hoc tempus nobis patienter effer exſpectandum.

X. *Et filii poſſunt effer ſervorum Domini, Reges verò ſubjectorum effer non poſſunt.* Ita effer: multum enim iſta diſtant, Dominum effer & Regem effer. Chriftus etiam Dominus fuit in terris exiſtens: at Rex effer non po- tuit, niſi in cœlis. Et hodie Miniſtri quoque & Pa- ſtores poſſunt effer domini vel heri; fed Reges mun- dani effer non poſſunt. Videlicet herilis ſtatus abique faſtu vitæ; abique ſuppliciis capitalibus poteſt conſi- ſtere, Regius ſtatus non poteſt: in illo locum habet crucis patientia, in hoc non habet.

XI. *Et ſi ira ſit adminiſtranda, quis eam rectius ad- miniſtraverit quàm filius?* Hoc verò nego. Nemo enim ineptior effer ad iram ac ſævitiã adminiſtran- dam, quàm qui mitis & ab omni ſævitiã abhorrens effer. An ergo furioſo dabimus gladium potius? Non nos dabimus, fed Deus. Et iſ licet furioſo aet in manus gladium, eum tamen non ſinit ſævire magis & ultra procedere in affligendo, quàm ipſe præſinierit.

XII. *Nec enim facinoroſis irafci malum ac pravum effer.* Facinoroſis ita irafci ut occidantur, non effer malum & pravum ei cui ea poteſtas effer: malum verò & pra- vum ei qui hac poteſtate caret. Itaque mirum non effer, ſi Deus hoc faciat, cui ſumma ſupra omnes & om- nia poteſtas effer: nobis verò idem non licet, quibus ſic irafci interdictum effer.

### ANNOTATIO III.

I. *Quodſi vero non innumera ſint actiones &c.* Actio- nes quarum cura ad Eccleſiam nihil pertinet, Episcopis & ſenioribus in Eccleſia adminiſtrandas dare nihil opus effer; ſed ut ab Eccleſia eligantur & conſtituantur tales, qui eas adminiſtrent, & admini- ſtrationis iſtius ſuæ rationem Eccleſiæ reddant, fieri poſſet. Verum ea de reſruſtra nunc diſputatur, cum apud Auſtorem ipſum dubium, apud nos certum ſit, nunquam tantam piorum multitudine & poten- tiam futuram. Quodſi nihilominus fingere libeat tam felicia tempora, ut vel omnes homines pii ſint, vel major piorum quàm impiorum ſit multitudo; licebit quoque eodem jure fingere, quod ea hominum multitudo, vigente diſciplina Eccleſiaſtica, eodem pietatis ac ſanctitatis tenore perpetuò perrectura ſit.

II. *Ego verò affirmare auſum, nec ad piorum multitu- dinem perveniri poſſe ſine rudimentis politici ſtatus.* Quæ verò rudimenta Politici ſtatus Apoſtoli in- ſtituerunt? An vero Eccleſiæ Apoſtolicæ non ad inſignem piorum pervenerunt multitudinem? Mi- rum effer quod hoc non conſideraverit Chriftus Dominus noſter, cum omnia nova in orbe face- ret, & novum mundum per Euangelium conde- ret, ut homines fierent in ipſo novæ creaturæ, & quàm maxima piorum multitudo efferceretur. Debuit ſcilicet ex Auſtoris mente politicum ſta- tum inter Chriftianos erigere, Reges & Principes creare, & non tantum in cœlis thronos, & prin- cipatus, & poteſtates, conſtituere, quod Coloſſ. 1. cum feciſſe perhibet Apoſtolus, ſed etiam in terris inter Chriftianos.

*Nec eam retineri poſſe civitatis diſſoluto ſtatu.* Nimis ſolicitus effer Auſtor ne politici ſtatus diſſolvatur, ſi Chriftiani non ſuſcipiant adminiſtrationem Re- rum publicarum. At non effer quod metuat. Fuerunt Reſpublicæ in terris, antequam ulli effer in mundo Chriftiani: & Apoſtolicis temporibus effer nullam adminiſtrarent Reſpublicam Chriftiani, tamen Reſ- publicæ & regna ſtabant ac florebant; non diſſol- vitur & nunc ulla civitas aut Reſpublica propterea, quod veri Chriftiani à regimine Rerum publicarum remoti ſint. Non effer poteſtas niſi à Deo; & iſ ſane iſtius ordinis ſuo modo auſtor effer: itaque illi curam Rerum publicarum committamus; reget ille mundum etiam ſine nobis; nos curam iſtam ad nos minimè per- tinentem deponamus, ea ſolùm curantes quæ noſtri ſunt officii.

III. *Hic ordo Eccleſiam excipit, hic fovet &c.* Si hoc Auſtor de Chriftiano regno intelligit, falſum effer. Nam Apoſtolicas Eccleſias Chriftiana regna non exceperunt. Sed nec ullas veras Eccleſias Chriftiana regna excipere poſſunt. Prius enim neceſſe effer Eccle- ſiam fieri, quàm regnum aliquod Chriftiani conſti- tuere poſſint. Sin de regno non Chriftiano loquitur, concedimus totum: neque hic ordo ullo modo à nobis tollitur, aut ſine eo ſtare poſſe mundum dicitur.

IV. *Revocationem populi Chriftiani ab hac infania &c.* Neſcio qui fiat quod iſti Regii ſtatus inter Chriftia- nos aſſertores, tam libere & quaſi proprio jure diverſam ſententiam infaniam, & diverſum ſentientes fanati- cos paſſim appellent: cum tamen ipſi ægerri- mè laturi efferent, ſi ſic viciffim à contraria parte appellarentur. Sanæ rationi, inquit, adverſatur manifeſtè veſtra ſententia. At hoc ipſum in quæſtione effer, nec pro con- ceſſo ſumi debet. Nam ut in omnibus controverſiis religionis, ita & in hac de Magiſtratu quæſtione non alium judicem quàm ſanam rationem, normam vero ſacram Scripturam una cum principiis rationis admit- timus, nec quicquam quod rationi ſanæ ſecundum ex- preſſam in Novo Teſtamento Dei voluntatem judi- canti contrarium ſit, recipere vel retinere nobis ani- mus effer. Hocipſum ne monendum quidem duxiſſem, niſi per ejuſmodi appellationes injurioſas præjudicium fieret veritati.

V. *Velexistimet se & Ecclesiam sublato civili statu & Magistratu posse consistere.* Sublato, intellige, omni civili statu & Magistratu, concedo Ecclesiam non posse consistere. Sed sublato Christiano Magistratu eam non posse consistere, adeo falsum est,\* ut probari nullo modo possit, quod ab Apostolicis temporibus hucusque, sub Christianis Regibus & Magistratibus supremis verè Christiana constiterit Ecclesia, id est, quod ulli verè Christiani Reges & Magistratus extiterint, quod vero maximam partem non fuerint veri Christiani, nemo, ut opinor, negabit, & ipse Slichtingius non obscure fateretur.

VI. *Rex seu potestas verè Christiana Ecclesiam semper in eo statu relinquet, in quo à Christo constituta est.* Nego. Nam Ecclesiam Christus in eo statu constituit, ut sit semper sub cruce, ut non sit meliori conditione interris, quàm ipse fuit, ut arma militiæ ejus non sint carnalia, ut nullam spiret vindictam. Hoc totum immutaret Rex seu potestas Christiana: tollerenturque vera martyria, & in locum fortitudinis Christianæ succederet fortitudo bellica. Deinde etsi se Dominum non diceret nec faceret Ecclesiæ, tamen etiam se subjectum non agnosceret Ecclesiæ, neque censuræ ejus vellet esse obnoxius, multaque faceret quæ Christus vetuit, & cum Christiana non conveniunt vocatione.

VII. *Est Ecclesia adjutrix quàm maxima civilium potestatum, non ullo modo destructrix.* Hoc iterum verum est nonnisi eatenus, quatenus per civiles potestates Respublicæ non Christianæ intelliguntur. Christianas nec adjuvat, nec destruit, quia nullas habent Christiani.

*Vicissim etiam à civili potestate, si ea verè Christiana & verum Ecclesiæ membrum esset, maxima caperet incrementa.* Certe. Sed multo majus adhuc cepisset Ecclesia incrementum, si ipse Christus Rex terrenus, ut volebant Judæi, fuisset: tunc sane multo magis profuisset Christus secundum carnem Ecclesiæ suæ, quàm Josephus suis profuit, & Daniel, postquam ille Ægypti Dominus factus est, hic apud Regem Babylonium potentiam adeptus est. Verum non placet Deo hisce carnalibus mediis Ecclesiam sustentari vel augeri: pietate, sanguine & constantiâ promovenda est, non potestatis civilis ope & brachio.

VIII. *Ecclesia sub spiritus Christi regimine semper quidem se bene habuit: sed semper etiam sub civili aliqua potestate fuit.* Rectè, sed sub civili potestate non Christiana. Sit ergo & nunc sub tali potestate civili: ei nequaquam reclamamus.

*Quæ quoties & ipsa Ecclesiæ membrum fuit, tanto melius & Ecclesia habuit, magisque floruit.* Itane melius habuit, quàm sub solius Spiritus Christi regimine? Quando vero id factum est, ut suprema potestas civilis membrum fuerit Ecclesiæ? annon ipse fateretur, nunquam tam benè actum esse cum rebus humani, ut Christiani Reges fierent? & si quando factum est, an tunc melius habuit Ecclesia Christi? imò annon tum maxime depravata est? annon tunc spiritus Christi regimen planè in ea cessavit, postquam cum Regibus ac Principibus mundus mundique spiritus in Ecclesiam inductus est.

IX. *Quæstiones istas sepultas esse non sinunt, qui veritatem Christianam sententiis suis infamant &c.* Quæ sententia magis veritatem Christianam infamet, & incrementis ejus plurimum obstet, quæque magis sanæ rationi per doctrinam Christi illustratæ adversetur? eane quæ à sanguine fundendo homines Christianos vult esse quàm alienissimos, an ea quæ ex mitissimis Christi ovibus, ad mactationem quotidie destinatis, pugnaces ferme facere gestit lupos, judicabunt aliquando homines nullo præjudicio laborantes.

*Id vero præcipue dolendum est, quod in hac ignorance, soli sibi naturam Regni Christi non ignorare videantur.* Quasi non ipsi, qui contrariæ sententiæ addicti sunt, soli sibi sapere, & naturam regni Christi non ignorare videantur.

X. *Quasi Christus tam regnare non possit per verbum ac spiritum suum in Regibus, quam in quibusvis Regum subjectis.* Hoc fatemur nos capere non posse. Quia videre non possumus, quomodo Rex possit tam à factu hujus mundi alienus esse, tam patiens, tam crucem Christi ferre quotidie, quomodo possit tam puras à sanguine humano manus servare, item quomodo tam subjectus esse possit Ecclesiasticæ potestati, quam quilibet homo privatus. Unum tantum modum videmus, quo Christus gloriose regnare per verbum & spiritum suum in Regibus potest, si nimirum, ut discipuli Christi fieri queant, sceptrum & coronas capitibus suis detractas, Christo subiciant, seipsos humilient, & mundanarum rerum curam mundanis hominibus relinquunt. Sepeliant mortui mortuos, & mortui regant curentque suos mortuos: Christianus qui esse vult, is regnum Dei, non regna mundi curet necesse est.

XI. *Et cum alios quosvis, etiam caupones ac Mercatores in suo statu manere patiantur &c.* Imò non patimur & multos alios, quorum vitæ genus non ulquequaque congruit cum sanctitate Christiana, in suo statu manere, si Christiani fieri velint: ut Magos, qualis fuit Simon, ut lictores & carnifices, ut circumforaneos & agyrtas, ut ariolos atque augures, & similes vanis aut ludicris artibus victitantes. Mercatores sanè patimur, quia in illorum vitæ instituto, si per se spectetur, nihil esse videmus Christianæ vocationi contrarium, nec ulla ratio est, cur pie & Christiane exerceri nequeat, si modo observentur regulæ in Christi doctrina traditæ. Hoc ipsum sanè magno argumento est, approbatum esse sub Evangelio aliquod vitæ genus, ita ut Christiano id suscipere fas sit, quando Christianis officia præscribuntur in Novo Testamento, quomodo se in eo vitæ statu gerere debeant. Sic quia dominis, servis, maritis, uxoribus, parentibus, liberis & subditis, præscribuntur officia ab Apostolis, quicquam horum Christiano non potest esse illicitum. Atqui & Mercatoribus Christianis officia præscribit Jacobus cap. 4. 13, quomodo scilicet mercaturam pie exercere debeant. Nulla verò talia officia Regibus aut Magistratibus Christianis ab Apostolis præscripta esse supra jam monuimus: & præterea quod essentiale est in statu Regio & summarum potestatum, hoc Christi legibus maxime repugnare nimis manifestum est. Caupones quod attinet, eos, si tolerari debeant, reformari admodum oportet: quod si reformari nequeant, satius est eos abolere quàm pati, ut eo, quo vulgò solent, modo cauponentur.

XII. *Vel quemlibet alium statum ex seculo tolli præstaret, quam summas potestates & earum regimen.* Optimè verò. Idcirco nec nos volumus eas ex seculo tollere. Maneant vigeantque extra Ecclesiam: sed in Ecclesia, inter Christianos nihil Regibus terrenis, nihil summis potestatibus opus est. Dum vero metuit Autor ne ruat civitas, ruat Respublica, ac porro & Ecclesia, si nulli sint Christiani Magistratus, quid aliud metuit, quàm ne cælum ruat, nisi nos novi Atlantes, illud humeris nostris fulciamus. Atqui ut hætenus civitas & Respublica omnis, nec non vera Christi Ecclesia stetit semper absque Christianis Regibus ac Magistratibus, \* [imo ipsis vel maxime Christi ecclesiæ interitum molientibus] ita stabit Christo curante & imposterum.

XIII. *Quam verò Ecclesiæ Christi noxam hæc pro Regibus ac Potestatibus sententia successu temporis afferre possit, non video.* At in superioribus Annotationibus satis indicatum fuit, ex tali persuasione facile consilia iniri à Christianis posse minus Christiana. An, quærit Auctor, ne successu temporis verè Christiani regna & Magistratus ambiant, & ut in ambitione fieri solet, turbas dent, & motus excitent? Ita est omnino. Ex hac sententia necessario ejusmodi cogitationes ambitiosæ & seditiosæ pullulant. Cæterum sententia ista non efficit solum, ut ipsi Christiani, si possint, ambiant Reges fieri, verum etiam ut alios sibi propitios promoveri ad regna perfectiones contendant.

XIV.

\* Hic locus ab N. N. nonnihil, paucis quibusdam addjectis, est immutatus.

\* Verba N. N. sunt ista uncinulis inclusa.



XIV. *Aunc ergo etiam dicendum non est, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quia ex Episcopatus desiderio plurima oriantur mala.* Primò non ante ex Episcopatus desiderio orta sunt plurima mala, quam Episcopatus laboris nomen esse desit, & factus est nomen honoris & dignitatis. Dum Episcopi fuerunt humiles, & studebant esse quod dicebantur, nulla mala ex Episcopatus desiderio oriebantur; quia inter eos certamen pietatis & modestiæ, non honoris erat, paucique qui ad illud officium aspirarent, erant. At ubi invaluerunt opes, & Episcopi laborem in alios, in se honorem ac divitias transtulerunt, jam Episcopatus plures invenit procos & competitores, factusque est pomum Eridos, quod multas discordias & mala in Ecclesia excitavit. Secundo, Episcopatum verum non tantum gerere, sed & desiderare expresse permittit Apostolus. Si ergo & regnum gerere Christiano concessum est, cur non & desiderare atque affectare illud liceat? Nam quæcunque Christi legibus consentanea sunt, illa legitimis mediis quærere quoque & ambire licet. Atqui ipse Auctor non audet concedere, ut Christianus regnum ambiat, quia videt non posse in ambitione vitari turbas & motus, plenæque periculi & sæpè in caput auctorum suorum redeuntia consilia. Tertio, ad Episcopatum aspirare, vel aliquem promovere per se nemini potest esse præjudiciosum: quia non tantum plures esse possunt Ecclesiæ quam regna; sed etiam quia unius Ecclesiæ plures possunt esse Episcopi. At regnum res est consortii impatiens, & regnum ambiri non potest sine alterius præjudicio: unde rixæ, invidiæ, contentiones, æmulationes, bella tandem & tumultus oriantur necesse est.

XV. *Scit (Christianus) aliud sibi regnum paratum esse in cælis.* Si hoc scit, quid ergo ipsi negotii est cum regnis hujus mundi? Sicut Christus, quia regnum ejus non erat ex hoc mundo, ideo non poterat, nec volebat Rex fieri terrenus: ita nec Christianos, quorum regnum in cælis est, decet regna gerere terrena. *Scit in vera regni administratione longe plus esse oneris, quam honoris.* Cur igitur is sibi oneris haud necessarij plus accersere debeat, cum si suo ritè fungi velit officio sibi à Christo imposito, satis oneris quod portet in suæ salutis negotio habeat? Si ii qui abjectis omnibus impedimentis, ad æterna palatia omni cura ac studio anhelant, & cum Apostolo unum agentes, eorumque quæ à tergo sunt obliti, & ad ea solum quæ à fronte sunt contententes versus scopum continuè feruntur, ægrè assequuntur brabæum supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, vixque eniti possunt ad summum Sionis verticem; quid fiet iis qui compluribus sarcinis sese onerant, quæ eos indies atque in horas ad currendum in stadio ineptiores ac tardiores reddant?

XVI. *Cui verò Auctoris sententia occasionem dare possit, ut sibi persuadeat, jam esse felicia illa tempora, quibus Christiano liceat Regio jure in fratres uti? cum Auctor expresse dicat, nunquam tam bene actum esse cum rebus humanis, nec fortassis unquam actum iri, ut veri Christiani Reges fiant &c.* At primò hæc ratio, qua se excusat, non obstat, quominus sententia ipsius per se & natura sua det occasionem istiusmodi persuasionis & facinorum ex tali persuasionem proficiscentium. Nam si Christiani apud se certi sint, licere sibi habere tum regna, tum Reges suos, item militare, & armis veritatem promovere atque defendere: non potest non fieri, ut si contingat hodie casus, ubi omnibus humanæ prudentiæ subductis rationibus videantur posse ad regnum emergere, non occasionem arripiant, & extrema quæque tentent ad vindicandam ex oppressione divinam veritatem. Hoc certe etiam pro conscientia facere tenentur; nec intermittere ullas occasiones, vel pericula ulla pertimescere tantæ rei assequendæ causa debent. Ex quo satis, opinor, quam seditiosa, quam nefaria sit ista sententia, intelligitur. Uti nostra sententia nihil pacatius est, ita contraria sententia nihil turbulentius, & ad irritandos ad omnia mala hominum animos accommodatius. Præterea video Auctorem sibi in eo non constare, dum ait, nunquam tam

bene actum esse, nec fortassis actum iri cum rebus humanis, ut veri Christiani Reges fiant. Nam mox infra refert non adeo antiquum exemplum tam felicitum temporum, quibus Johannes Hunniades, electus Rex Hungariæ, Transylvaniæ Princeps, Unitariæ Ecclesiæ se adjunxit, cujus laudes satis deprædicare non potest. Quod ergo avorum nostrorum memoria factum est, quid impedit, quo minus & nunc & semper fieri possit? Posita semel hac propositione, facile est semper assumptionem facere, ubi aliqua se dederit occasio.

XVII. *Nam si Christianum esse & herum esse non pugnat, multo minus pugnat, Christianum esse, & Regem esse.* Herum quidem esse & Christianum esse per se non pugnat: non omni tamen jure herili uti in fratres licet. Nam olim heri jus habebant vitæ & necis in servos suos. Eo jure certè uti hodie Christiani non licet. Et hoc quidem jus ab herili statu abesse & auferri potest: sed à Regio statu non potest. Ergo non sequitur, si Christianum esse & herum esse non pugnat, non pugnare itidem, Christianum esse & Regem esse. Deinde herum esse ejusmodi, quales sunt heri in Polonia, qui subditos habent, & Christianum esse, valde dubito an non pugnet: non tantum quod subditi isti nimis magnis premantur laboribus, sed etiam quod non observetur illud Dei olim traditum de servis septimo quoque anno manu mittendis præceptum; cum tamen Christiani perfectiores in omni justitia esse Hebræis debeant: item quod servis nulla sit ab heris appellatio, nullum refugium, nullumque jus de injuria herorum suorum conquerendi &c.

XVIII. *Quæ hic exempla porro pijs omnibus tristissima, perniciem hujus quæstionis comprobantia designentur, sane non intelligo. Cum neminem sciam, qui hac inductus & impulsus quæstione, Regnum adfectaverit, non tantum ex veris Christianis, de quibus solis hic agitur; sed etiam ex iis quales vulgo sunt. Et si neminem sciat qui affectaverit; at potest scire multos, qui affectantibus consilio & auxilio fuerint. Cæterum quid aliud effecit, ut Lutherani & Calviniani tot occuparint Regna, tot gesserint bella gerantque, quam quod licitum sibi putent ad promovendam Religionem suam Regna habere atque imperia; imo ex officio pietatis se regna adfectare atque quærere debere credant? Hoc si & nostræ sibi persuaserint Ecclesiæ, iidem erunt expectandi fructus, eadem effecta.*

XIX. *Verum enim verò longè aliud est, aliquid esse perniciosum; aliud aliquid alicui in perniciem verti.* Hoc scimus: at nos sententiam Auctoris per se perniciosam esse ostendimus; quia ita naturâ sua comparata est, ut quiescere non sinat illos, qui eam imbibierint, sed ad audendum semper conscientias eorum oblata occasione excitulet. Quemadmodum si quis crederet, furtum facere esse licitum, quomodo is non toties quoties haberet occasionem furaretur? Agnoscit ipse Auctor in perniciem vertisse Christianos, quod Constantinus Imperator Ecclesiæ accesserit; sed ait id factum esse Christianorum vitio, eumque accessisse Ecclesiæ jam falsis opinionibus & moribus corruptæ. Ita quidem: sed inter has opiniones fuit & hæc de Regibus in Ecclesiam recipiendis sententia, quæ ex moribus Christianorum corruptis, atque ex mundi amore nata, postea magis adhuc quicquid sani fuit in Ecclesia corripit ac pessundavit. Hinc Grotius lib. 2. de Jure cap. 1. de Constantini Magni temporibus: *Tunc, inquit, laxata est disciplina Ecclesiastica, & interpretatio legis Evangelicæ ad seculi mores paulatim accommodari cepit.* Et Hieronymus: *Postquam Ecclesia cepit habere Christianos Magistratus, facta est quidem opibus major, sed virtutibus minor.* Huc referre possis quoque, quod narrant Ecclesiasticæ historiæ, post Constantini Magni conversionem auditum esse oraculum: *Venenum in Ecclesiam infusum est.* Sed & ipse Auctor expressis fatetur verbis, Ecclesias per Constantinum quietem à persecutoribus natas, tanto magis in omne vitiorum genus sese effudisse. Unde videre potest, quàm non conducatur populo Christiano, si per Reges & Magistratus [professione] Christianos

firmam & stabilem à persecutoribus quietem nanciscatur. Neque id solo duntaxat vitio hominum evenit, sed & ipsius rei naturâ. Nam sicut vini efficacia facit ut largius sumptum inebriet: ita & pacis quietisque abundantia efficit naturâ suâ, ut animi mortalium enerventur, otioque ceu rubigine deterantur.

*Fertilis assiduo si non renovetur aratro,  
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.  
Tempore qui longo steterit, male currit, & inter  
Carceribus missos ultimus ibit equus.  
Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiscit,  
Si qua diu solitis cymba vacavit aquis.*

Quemadmodum verò hinc non sequitur, Vinum immodice sumptum inebriat, Ergo proscribendum est, quod fecit Machometes; Et otio corrumpuntur res. Ergo nunquam eo utendum est: sed ita concludendum est; Ergo vinum & otium non nisi moderate adhibendum est: sic & ex eo, quod Christiani quietem à persecutoribus nacti corrumpantur, non est colligendum, nunquam illos quiete ac pace frui, & nunquam eos à persecutionibus liberos esse debere; sed illis pacem stabilem & securitatem plenam, qualem eos habere necesse est, si Reges suos ac Regna habeant, non esse optandam.

XX. *Sed avorum nostrorum temporibus plurimum profuit Ecclesiæ Unitariæ Johannes Hunniades, electus Rex Hungariæ &c.* De Johanne isto Hunniade obscura est hystoria: nec plus ex ea colligitur, quàm illum multum Unitariis Ecclesiis ad promovendam sententiam de uno Deo contra Trinitarios profuisse. Hoc autem non est mirum, si Reges & Principes amplectantur aliquam religionem, quod multi eorum exemplum in ipsorum gratiam sequantur. Hoc optimè & Anti-Christus intelligit, hoc omnes erroneæ sectæ perspectum habent: ideo modis omnibus ut in suas pertrahere partes queant Reges ac Principes satagunt, in eo rati suam salutem ac felicitatem verti: Sed hoc nunquam curasse videmus Apostolos, nec his mediis propagare veritatem nixos. Ratio est, quia non tam vi veritatis tunc homines trahuntur ad Ecclesiam, quàm externarum & mundanarum opum ac dignitatum à Regibus obtinendarum spe. Quo pacto si Christo placuisset propagare Ecclesias suas, jam dudum totum mundum nostra religio implevisset. Verùm hoc non liquet ex Johannis istius Hunniadis exemplo, quod vel ipse fuerit homo verè sanctus & pius, vel quod sub eo aut per eum incrementum aliquod & non decrementum sumpserit Christiana pietas in Unitariis Ecclesiis. Certe vel ex hodierna, quæ in Ecclesiis istis Transylvanicis cernitur pietate, apparet satis, quantum ipsis Princeps iste ad pietatem profuerit. Deinde quemadmodum non sequi dicit Auctor, Constantinus Imperator nocuit Ecclesiis, Ergo in Ecclesiam recipiendi non sunt Reges, Imperatores: Ita etiam nos negamus sequi: Johannes Hunniades Princeps profuit Ecclesiis, Ergo recipiendi sunt Reges, Principes: quia ut res optimæ sæpè obsunt, ita & res malæ sæpè prodesse possunt. Posset aliquis etiam tyrannum veneno tollendo, vel patriam prodendo, prodesse Ecclesiæ, non tamen inde sequitur, media ista esse legitima & laudanda. Sic Nicodemus occultans veritatem jam agnitam, & confiteri eam apertè, retinendi status sui terreni causâ, timens, in illa hypocrisis & simulatione suâ mala adversariorum consilia disturbavit. Christumque adjuvit: nec tamen ideo juvandæ Ecclesiæ causâ dissimulare veritatem licet. Pari proinde modo non sequitur, quia aliquando auctoritate & brachio carnali propagata est veritas, Ergo modus iste propagandi est legitimus & Deo acceptus. Denique considerandum est, hoc Principis Transylvanici exemplum nostræ sententiæ propterea quodde minimè obesse, quod non diu Ecclesias illas Deus sub tali Principe habere voluerit. Nam & nos statuimus, quietem quidem & immunitatem à persecutionibus ad tempus aliquod à Deo Ec-

clesiis utiliter concedi: sed longam pacem & firmam pacis fiduciam illis noxiam esse atque idcirco Deum nolle, ut veri Christiani suos Reges & Principes habeant, sub quorum umbra diu non tuti modo sint à persecutionibus, sed etiam securi.

XXI. *Eodem plane modo Jacobus Sienienius, Palatinus Podoliæ &c.* De Jacobo Sienienio aliisque Polonicarum Ecclesiarum Patronis, mentio hoc loco idcirco est impertinens, quia nullus eorum Rex fuit, aut in summo positus Magistratu, de quo nunc solo agitur inter nos. Nam non negamus Deum velle, aliquos Nobiles, aliquos mediocriter potentes esse in Ecclesia; hoc enim Apostolus ipse indicat, cum ait: *Vadete vocationem vestram fratres, quod non multi sint nobiles, non multi sapientes, non multi potentes*, scilicet inter vos: Ergo tamen aliquos fuisse & esse posse in Ecclesia agnoscit: quia paucorum potentia cum aliorum innumerorum in una Provincia existentium potentia ne comparanda quidem est. Sed hoc in quæstione est, an Deus velit tales esse inter Christianos, qui adeo potentes sint, ut in eorum viribus & auctoritate salus Ecclesiarum videatur prorsus recumbere? Nam sic jure sane posset gloriari caro in conspectu Dei: quod Deum sedulo cavere Apostolus dicto significavit loco.

XXII. *Qui postquam fato concesserunt, videmus in quantas ærummas Ecclesiarum res devolutæ sint.* Quod Ecclesiarum nostrarum res in tantas ærummas devolutæ sint, id non eo factam, quod Patroni earum insignes fato concesserint: sed quod Ecclesiæ nostræ in pietate non parum defecerint, nec digne se hac Sancta veritate gesserint, ita ut omnia ubique plena scandalorum sint. Nam si debita viguisset in Ecclesiis nostris sanctitas, nunquam profecto illis vel ex ipsis extraneis idonei Patroni defuissent. Frustra nos externa adversariorum odia & persecutiones incusamus: intus in nobis ulcera sunt & morbi Epidemici, qui Ecclesias nostras perdiderunt, nec spes aut modus alius est redintegrandæ sanitatis, nisi istis morbis viriisque sublatis. Quemadmodum Israëlita olim vinci aliter ac subjugari ab hostibus non potuerunt, quàm si peccassent contra Deum: Unde Achior Holoferni suadet, ut antequam aggrediatur Judæos, inquirat diligenter, annon peccato aliquo se obstrinxerint, tum enim illos iratum Deum habituros & faciles debellatu fore; sin nulla iniquitas in gente sit, abstinendum à bello monet, sic enim invictum Deo protegente populum esse: Ita omnino & hodie cum Christi Ecclesiis comparatum est. Nulla vis, nulla persecutio eas potest opprimere, quin quo premuntur magis, eo magis crescunt, vigent atque virescunt. Una est qua excindi possint, via, si desciscant à suo officio, & in pietate refrigescant; sic Spiritu Christi deficiente, deficit sensum & gratia favorque Christi. Hoc itaque & non aliud est, quod & nunc nostris nocuit nocetque Ecclesiis.

XXIII. *O miseram Christi Ecclesiam, quæ Regum & Principum in sua dignitate manentium capax non sit!* Ecce vero adeo misera sit propterea Christi Ecclesia? Cur non Christus ipse miser fuit, quod non capax fuerit in terris diadematam ac sceptratum Rectorum? Nimis equidem multum tribuit Auctor isti Regum & Principum fulgori atque dignitati, ut sine ea miseram putet esse Ecclesiæ Christi sortem. At externum istum splendorem admirari & magnificare, tantum mundanorum est: sapientes & pii talia fortunæ bona parvi pendere, Christiani verò etiam pro stercoribus ducere solent. Honores isti Regii splendens quidem lutum sunt: sed lutum tamen; sine quo nemo vere miser, nedum Ecclesia Christi esse potest. Quin imo misera est Ecclesia Christi, si ejus felicitas à Regum & magnatum pendet auctoritate atque potentia; quorum semper major copia Anti-Christo errantiumque adhæret multitudini: ita ut si felicitas Ecclesiæ ex Regum dignitate æstimanda sit, multo felicior sit Anti-Christi Ecclesia quam Christi.

XXIV. *Et eveniat (quod olim divina cecinerunt Oracula fore) ut Reges altores, & Reginae nutrices fiant Ecclesiae.* At tale nonnisi unum oraculum reperio apud Esaiam cap. XLIX. 23. Quod ut impleatur, non opus est, ut Reges populi divini adjungantur consortio. Nam hoc oraculum olim jam in Cyro, in Dario, in Artaxerxe, in Alexandro Magno, & Demetrio, quorum nullus se adjunxerat Judaicae Ecclesiae, impletum est, ut explicat Grotius. Similes altores & nutritii è Regibus externis Ecclesiae Christi & hodie Deo procurante possunt contingere. Et profectò tanto admirabilior est Dei Christique circa Ecclesias providentia, quando alienorum Regum favore sustentantur, quam si Reges Christiani per se & ex professò negotium Christi curarent.

XXV. *Qui certè regnis abdicatis non plus praeferant, quam ceteri ulli.* Quid? non plus praeferant? imò tantum praeferant, quantum nullus Regum ac Principum praeferet, si quam maxima beneficia carnalia Ecclesiae conferret. Nulla sane ratione veritas magis commendari, & gloria divina augustius promoveri posset, quàm si Rex aliquis, invento veritatis pretiosissimo thesauro, ex vera humilitate & flagranti salutis desiderio, Regium suum statum ultro abdicaret, & se vilissimo & contemptissimo Christi gregi associaret. Auctor carnale imprimis spectat Ecclesiae bonum & commoditatem, cum hic potissimum spirituale bonum sit attendendum.

#### ANNOTATIO IV.

I. **V**erum ergo est, per sapientiam à Christo traditam Reges regnare. Per sapientiam à Christo traditam, vel intelligitur sapientia doctrinà Christi comprehensa, vel sapientia, quam Christus à dextris Dei sedens gratiose largitur hominibus, uti Rector universi & dispensator donorum Dei. Posteriori sensu verum est, per Christum regnare Reges: at priori sensu falsum est, Reges & Judices regnare per sapientiam in Christi Evangelio traditam. Neque enim Christus tradidit ullas leges, ex quibus Reges suas instituunt Respublicas, nullumque praescripsit regimen politicum, aut modum gubernandi regni proposuit.

II. *Sed Vir Praestantissimus perpetuo confundit Ecclesiam cum Regno.* Ecclesiam cum Regno & Republica non confundimus: sed Ecclesiam à Regno & Republica Christiana adeo distinguimus, ut Ecclesiam Regno Christiano non indigere putemus, & sine Republica Christiana eam statuamus hactenus constituisse, & porro consistere posse. Ecclesia quidem est in Regno; sed nunquam [forte] vera Ecclesia fuit nisi in Regno non Christiano. Apostoli, Evangelistae, Prophetae, Pastores, Doctores, Senioresque non regnarunt, nec regnant in Ecclesia, [civili potestate] sed eam tamen rexerunt reguntque. Seniores in Ecclesia per sapientiam in Evangelio traditam possunt ritè suum peragere officium, quia talis sapientia continetur aperte in Evangelio: at Reges & Judices in Regno & Republica non possunt, quia nullum gubernandae Reipublicae expressum in Evangelio habetur vestigium. Nihil ad Reipublicae administrationem exactius tradi poterat, quam in Lege per Moysen à Deo lata. At illa sublata nihil est Christi doctrina ad politicum & mundanum Rerumpublicarum regimen ineptius.

III. *Illius finis ac scopus est vita post mortem aeterna; hujus verò vitae praesentis commoditas & tranquillitas.* Id ipsum arguit, Christianos non posse regnum ullum in terris habere, quòd tam diversos Ecclesia & Respublica fines habeant. Respublica & Regnum praesentis vitae commoditatem & tranquillitatem, quia ejus unicus scopus ac finis est, oportet modis omnibus tueatur ac defendat, etiam vitam & bona aliis eripiendo. Christiani verò ita mordicus sua defendere non debent: quia non ad commoditates vitae praesentis aut tranquillitatem vocati sunt, sed ad omnium malorum patientiam. Etsi aliquando pacem & tranquillitatem nanciscantur Christiani, nunquam tamen

habere possunt stabilem & perpetuam; neque etiam eam expetere aut quærere debent, sed in secundis semper de adversis cogitandum, & ad ea animi ipsis praeparandi sunt. Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram exspectamus: à persecutionibus nobis nunquam longa pax, vix induciæ sunt.

IV. *Ad hæc omnia requiritur fides.* At fides non requiritur, ut credant impii se affligi, se pati supplicia: ea enim in seipsis experiuntur & probe sentiunt. Atque ita visibilibus poenis etiam à Christo reguntur. Tandem ubi divinitus immittæ poenæ nihil proficiunt, subjicit Christus malos interdum quoque suppliciis terreni, sed mundani Magistratus, non Christiani.

V. *Et cum Deus bellis, fame, peste Regna punit, nec filii ejus poenarum istarum exortes sunt.* Imò plerumque Deus poenarum istarum filios suos exortes facit. Novit enim pios ex tentationibus eripere, sicut Lothum ex ingruenti Sodomæ exitio. Quodsi aliquando & filii poenis istis involvantur, sit hoc non raro ipsorum culpâ, quod vel peccatis suis sese reddiderint poenâ dignos, vel debitam in evitandis malis ac periculis independentibus prudentiam non adhibuerint.

VI. *Neque enim Lex sublata est adversus carnales.* Non hæc est causa cur Deus gladio, patibulo, rotâ &c. puniri velit malos extra Ecclesiam, quod Lex sublata non sit adversus carnales. Lex enim non pertinuit unquam nisi ad Judæos, & una cum ipso Regno Republica tota exstincta est. Sed hæc est vera ratio, quòd duplicia Deus habeat in hoc seculo judicia, alia spiritualia, alia mundana: quæ utraque ad malos coercendos spectant. Sed illa mitiora sunt, hæc acriora & severiora: illa per homines tantum Christianos administrat; hæc per homines tantum mundanos: quia neque hi ad illa, neque illi ad hæc exercenda sunt idonei. Itaque qui illis judiciis mitioribus non emendantur, justè à Deo istis atrocioribus subjiciuntur.

VII. *Quis verò melius gladium, patibulum, rotam &c. administraverit, quàm Magistratus verè Christianus?* Imò nemo melius ista administrare potest, quam tortor aut carnifex, & qui istis quam simillimi sunt, homines immanes ac truculenti. Nam qui teneræ & mollis sunt mansuetæque naturæ, ad talia sunt ineptissimi: *Et per Christi sapientiam probe institutus.* Quasi verò usquam in Evangelio suo Christus instituerit discipulos suos, quomodo gladium, rotam & patibulum administrare debeant? Fures ne alligentur patibulis, non ex Christi doctrina discendum est, sed ex Lege & recta ratione. Itaque ne id fiat, non opus est ut Magistratus sit Christianus.

VIII. *Malum enim esset & civitati noxium, si ejus aliunde penderet administratio &c.* Si Magistratus esset Christianus, necesse omnino foret ut à Christi legibus penderet ejus administratio, nec sui juris prorsus ac potestatis esset, quippe in eum aliquid juris ac potestatis haberet Ecclesia, quæ decretis ac judiciis ejus quandoque posset intercedere. Ergo ne potestas una cum altera collidatur, spiritualis cum civili, quod malum noxiumque foret, aliter huic malo occurrere non potest, quam si Magistratus civiles non attingantur à Christianis, sed mundanis hominibus penitus relinquuntur.

IX. *Quid ergo fieret, si nullus esset carnificis metus?* Idcirco etiam nolumus carnificis metum plane auferri. Sed carnificis officium, & quæ ad illud peragendum pertinent, non Christianis, ad sanctiora vocatis, sed infidelibus & ad meliora haud idoneis demandamus.

X. *Ad hoc requiritur fides: at non omnium est fides.* Ergo pro talibus, quorum non est fides, paratus est extra Ecclesiam externi Magistratus gladius: eoque Deus quando volat ad tales coercendos utetur, etiam si nos Deum hac in parte non adjuvemus.

XI. *Non autem quod Christianis mæchari, scortari, latrocinari, furari & alia flagitia impune patrare liceat.* Omnino absit talis libertas à populo Christiano. Ideo poenæ pro talibus in Ecclesia lege Christi sunt constitutæ. Sed tamen si quis in hæc incidat peccata, non vult eum Christus protinus absque misericordia e medio



medio tolli, sed locum pœnitentiæ ipsi dari. Quod si sit impœnitens, (id quod etsi nobis ignotum sæpe est, Christo vero scrutatori renum ac cordium optimè notum) facili negotio eum seculari tradet brachio, quod eum morte plectat corporali.

XII. *Nec enim spiritualis populus regi debet ac potest alia aliqua ratione.* Imò potest, si aliter consideretur. Nam mox addit ipse Auctor: *Sed idem ille populus (nempe spiritualis) quia etiam ad civitatem ac regnum pertinet, hætenus & civili regimini subiectus est.* Quod totum bene posset consistere, si civile istud regimen competere solis non Christianis statueretur. Verum Auctor censet etiam Christianis hoc regimen competere. Itaque etsi fateatur Christum istud regimen non instituisse, tamen eam sapientiam docuisse illum ait, *per quam & Mosaicæ Legis imperfectiones perfici, & aliarum civilium legum vitia emendari queant.* Cum tamen Christus nusquam forenses leges in Evangelio reformare aggressus sit, nullumque tradiderit modum regendæ ac gubernandæ Reipublicæ. Pœnas corporales in Lege propositas in pœnas Gehennæ atque spirituales commutavit, multo sane graviores, quam sunt corporales, sed tales tamen ad quas fides requiritur: corporales & oculis in hoc seculo subiectas pœnas mundanis & extra Ecclesiam positis hominibus relinquens.

XIII. *Queritur si regnum aliud una cum Rege suo veritatem puram, & qualis est in Jesu, susciperet &c.* At hoc nunquam factum esse non diffitetur ipsemet Auctor. Quemadmodum autem hætenus factum non est, ita certe neque porro fiet \* unquam. Quare inutile prorsus est quærere de eo, quod nunquam fuit, nec futurum est. *Et non potius si quid in eo non satis recti & equi aut imperfecti esset, ex Christiana sapientia corrigeret.* Atqui si Christiana sapientia consulatur de regimine Rerumpublicarum, illa id neutiquam Christianis convenire posse docet. Nam alioquin sine regimine civili, nec regnum, nec consequenter Ecclesia consistere posset. Sine regimine civili, Christiano, nego: sine non Christiano, concedo.

XIV. *Id solum sufficeret, si non peculiariter & miraculose prohiberentur.* Hoc ipsum est permittere, non prohibere quacunque ratione. *Qua permissione opus est, ut ignis admotus urat ligna, aut lupus admotus dilaceret oves.* Ea sane permissione opus est, ut vim ignis & lupi non retineat: quemadmodum vim ignis Deus retinuit, cum juvenes illi tres à Nabuchodonosore in caminum ardentem coniecti essent; & hætenus per multos annos in Polonia nos oves suas Christus in medio luporum versantes benigne & miraculose, quamvis invisibili modo defendit.

XV. *At peculiariter & miraculose prohibeturum Christum quis asserat?* Atqui modo ostendi, eum peculiariter & miraculose prohibuisse tam longo tempore, ne opprimeremur in Polonia ab inimicis, quamvis animus ac vires ad opprimendum sufficientes semper haberent. Et quidni prohiberet, cum id promiserit se facturum, & nobis ad futurum usque ad consummationem seculi? *Cum adessent media ordinaria.* Auctor per media ista intelligit arma: at prius probare debebat hæc media Christianis convenire.

XVI. *Quem prohibebit Christus fame mori, si nolit uti cibis?* Cibis est certum & nulli noxium remedium contra famem. Itaque si quis eo uti noilet, Deum tentare meritò diceretur. At non eadem est ratio, si quis ferro uti nolit & armis. Iis enim plurimi iniustissima causa usi eam perdiderunt: quare tam incerto & ancipiti remedio uti nolle etiam prudentiæ est. Præterea medium armorum est tam ferum, tam bar-

barum atque inhumanum, & clades tam abominandas secum trahens, ut quodvis injuriæ atque miseriæ genus potius Christianis, hominibus pacificis, subeundum sit, quàm ut ad tam desperatum malorum suorum remedium descendant. Deinde si arma sunt tam ordinaria media contra persecutiones, quam cibi sunt contra famem, cur non Apostoli & Apostolicæ Ecclesiæ sicut cibos contra famem, ita & arma quæsi-verunt contra persecutiones? Cur non supremam potestatem sollicitarunt ad vindictam? Cur non factionibus variis malevolorum conatibus obstiterunt? præsertim cum eorum maxima esset ubique multitudo: Sed nihil illi nisi patientiam opponere adversariis a Magistro suo didicerant. Adeo ut in tanta luce indignum sit adhuc probationem requirere, quod Christianis peccatum sit, abjectis propriis armis, id est patientia, qua hætenus semper Ecclesia vera pugnavit contra adversarios, ad carnalia & mundana confugere.

XVII. *Ergone Deus, qui ordinis istius haud dubius est auctor, peccati auctor est &c.* Non est Deus inter Christianos hujus ordinis auctor, sed inter homines non Christianos. Ergo istis peccatum non est eum gerere, sed Christianis duntaxat: illicque hujus ordinis respectu dicti sunt à Deo Dii, & Dei filii, non Christiani. Nec in eo quicquam absurdi est, quod hominibus Christianis honor ac subiectio, ipsius conscientia causa, adversum non Christianos Magistratus; tanquam Dei in terris vicarios, Christi legibus imperata sit: cum Apostolorum tempore, quo id imperatum est, teterrimi mortalium, ut Caligula, Claudius, Nero, Herodes, fuerint Dei in terris vicarii, & tamen ipsos conscientia causa debebant Christiani honorare.

XVIII. *Hoc non prohibet, quominus populus Christianus omnia media ordinaria & legitima adhibeat.* Sed media ista ordinaria & legitima, quibus crucem evitent Christiani, non esse arma, jam ostensum est. Poterat & Christus armis, sive humanis, sive divinis crucem evitare: sed iis uti noluit, ut nos doceret, non esse hæc legitima media crucis evitandæ. Nobis enim non secus ac Christo quotidie crucem portare injunctum est: ergo non secus ac illi ab armis abstinendum est.

XIX. *Non aliter hinc evaseris, nisi ut dicas, & civilem potestatem peccatum esse &c.* Civilem potestatem Christianis tantum peccatum esse dicendum est; aliis autem non est peccatum: licetque ad illam in necessitate etiam Christianis confugere, sed ita ut ab sit omnis vindicta. Nam hæc si adsit, ne confugere quidem ad ullam potestatem licet: siquidem nec à Deo, qui est summus omnium Magistratus, vindictam flagitare licet.

XX. *Sed quam improbi & facinorosi inferant &c.* Improbi isti ac facinorosi necesse est ut sint sub aliquo Magistratu, & vel sub eodem, sub quo Christiani, vel sub alio. Sed sub quocunque sint, nihil aliud restat Christianis, quam ut quam modestissimè ad patrocini-um Magistratus sui confugiant: qui si & ipse fiat ipsorum hostis ac persecutor, nihil aliud ipsis quam patientia relicta est.

XXI. *Oves sunt Christiani, sed mente & intellectu præditæ, quæ non tantum Ecclesiam, sed & Rempublicam constituent.* Etsi Christiani sint oves mente & intellectu præditæ, si non Ecclesiam tantum, sed & Rempublicam constituent, tamen non debent unquam definere esse oves: id est mansueti & patientes injuriarum. Itaque ad continendos ac comprimendos feroces lupos non tam ovium industria, utpote ad hanc rem sua natura ineptarum, quam Pastoris nostri Domini Jesu vigilantia opus est, qui suos nunquam deserit, quamdiu à suis non deseritur.

XXII. *Quibus alia remedia applicanda sunt &c.* Sed hæc remedia applicare ovium non est. Alioqui si Christiani adversarios compescere & reprimere deberent, ovium nomine ac similitudine Scriptura sacra ad describendos Christianos usa non fuisset: quia lupos comprimere ovibus nequaquam competit, & omnino contra earum naturam est.

(k)

XXIII. 4

\* Et si fieret, omnes de humilitate certarent, & carnales prærogativas abjicerent, iisque opus non esset. Istud vo regnum à Deo non minus miraculose defenderetur, quam Judæorum regio, ter quotannis, & singulis Sabbatis, omni humana defensione destituta, cum hostibus undique circumfisis animum ei nocendi ademit. Typus sane non obsurus, miraculose Christiani populi defensionis.

XXIII. *At Christi gregis conditio semper talis est, ut sit parvus. Hoc ipsum est quod dicit Auctor.* Dicit quidem hoc ipsum Auctor; sed putat fieri posse aliquando magnum. At quamvis vel maximus sit, tamen si ovium grex maneat, & non in luporum gregem, nefanda metamorphosi transmutetur, semper persecutionibus erit obnoxius. *Nunc agitur de jure, non de facto.* Verum nunquam hoc jus habent oves Christi, nec habere possunt, ut lupos mordeant & dilanient, sed ut dilanientur à lupis. Ergo frustra omnino quaeritur, an verè Christiano potestatem esse & Magistratum gerere jus fasque sit?

XXIV. *Est quidem verum, Ecclesiam Christianam inermem ab ipsis potestatibus & Imperatoribus tolli non potuisse.* Si ab Imperatoribus & potestatibus supremis tolli non potuit inermis Ecclesia Christi, cur tantopere nunc meruit Auctor interitum ejus, quando & hodie ab adversariis armatis inermis oppugnatur? Annon idem Deus est, qui eam tueatur? idem Christus Dominus & Rex noster cœlestis, sine cujus providentia nihil potest evenire in Ecclesia, ita ut etiam singulorum fidelium pilos capitis habeat in numero? *At in Anarchia nullus malorum finis foret.* Ubi verò talis usquam dominatur Anarchia? Nonne quælibet Respublica suas leges, & suos Reges aut Magistratus, qui rerum potiantur, etsi non verè Christianos habet, habebitque semper? Frustra igitur talis fingitur Anarchia.

XXV. *Deinde quam Ecclesiam Christianam? Erroribus jam depravatam?* Itane Ecclesia depravata & ad seculi mores composita, quamvis inermis, tamen tam invicta fuit, ut eam tollere non potuerint Imperatores & supremæ potestates, etsi eam totis viribus oppugnant? Vera autem Ecclesia Christiana, quia inermis erat, ab illis oppressa & sublata est? Videat Auctor, quo eum sententia ejus deduxerit, ut putet veritatem à falsitate vi & potentia carnali opprimi posse, imo veritatem inermem falsitate inermi debiliorem esse: cum tamen veritate, præsertim divina & Christiana, nihil sit fortius, & veritas errore multo sit invincibilior. O quàm longè rectius de divina veritate sensit vir ille ignei spiritus Martinus Lutherus; adversus quem cum in initiis Reformationis Evangelicæ undiquè pericula insurgerent, is interrito fuit animo, & Philippum Melancthonem trepidantem his inter alia erigit verbis: *Si causa falsa est, revocemus; si vera, cur facimus illum in tantis promissis mendacem, qui jubet nos esse animo otioso ac dormienti? Facta, inquit, curam tuam super Dominum, prope est Dominus omnibus invocantibus eum, & qui afflicto sunt corde. An ita temerè loquitur?* Et alibi. *Ego de publica causa satis magno & otioso sum animo, qui sciam certè ipsam justam esse & veram, denique ipsius Christi & Dei. Proinde penè securus spectator sum, & istos minaces Papistas non hujus facio. Si nos ruemus, ruet una Christus, ille Regnator mundi: & esto ruat (quod impossibile est) malo ego cum Christo ruere, quàm cum Cesare stare.* Hæc malui alienis verbis dicere, quam meis: quia & exemplum istius Viri multum ædificare potest, & verba sunt verè spiritum Christi spirantia.

XXVI. *Ubi verò sunt primi illi Christiani &c. nonne multitudine & potentiâ errantium oppressi sunt?* Oppressi quidem sunt; sed non sine sua culpa. Nam si suum fecissent officium, nullis machinis aut viribus opprimi potuissent. Minatus est jam olim Christus Asiaticis Ecclesiis, se candelabra moturum de loco suo, nisi resipuerint; quid mirum igitur, eum movisse illa, postea quam nulla vel non seria nec constans secuta est, post tam seriam admonitionem resipiscencia? Nullum sanè puto majorem & perniciosiorem errorem in Ecclesia dari posse, quàm si quis statuatur pios, dum manent tales, à Christo deferri & à malis excindi una cum vera religione posse. Cum intereunt Ecclesiæ, aut Christo, aut Ecclesiis illis culpa imputanda est. At satius est semper in homines, quàm in Deum Christumque culpam conjicere. Quare & quod Nazaræi Judæorum sævitia excisi sint, & quod illi perie-

rint, qui Paulum Samosatenum, Photinum, aliosque secuti sunt, non alibi quaerenda est culpa, quam in ipsis. Hæc eadem culpa & hodie nobis imputanda est, quorum Ecclesias eadem, quæ primitivas fustulerunt Ecclesias, fata urgent.

#### ANNOTATIO V.

I. *M*irum profectò est, à potestate coactiva &c. tantopere abhorrere, & eam peccati damnare, eos, qui Deo & Christo eandem tribuunt. Non damnamus eam peccati, nisi in Christianis. Et hoc non miraretur adeo Auctor, si rem consideraret exactius, & duplicem in Christo statum probè distingueret: alterum, in quo Rex factus, & omnem potestatem in cœlo & in terra adeptus est; alterum, in quo absque ista potestate patientiæ fuit nobis exemplum. Cum ergo in hoc, non illo statu Christus nobis imitandus propositus sit, quid mirum est, si abhorrere debere dicamus Christianos ab eo, à quo ipse abhorruit in terris degens; etsi ab eo nunc, cum est longe mutatus ab illo, non abhorreat?

II. *Hanc potestatem etsi Christus in terris agens non exercuit, nec in majestate suâ Regia conspiciendum sese cunctis præbuit.* Si hoc Christus non fecit, quomodo quisquam discipulorum ac famulorum ejus audeat potestatem hanc coactivam exercere, & sese in Majestate Regia conspiciendum præbere? *Tamen ei jam à Deo destinatus erat.* Tanto magis & justius igitur exercere hanc potestatem poterat, quod tamen non fecit humilitatis exercendæ causa. Christianorum autem nullus ad istam potestatem, quam Christus consecutus est in cœlis, destinatus est: quanto minus proinde convenit ulli Christianorum coactivam potestatem & jus in vitam hominum exercere cum Regia Majestate? *Et signa ejus divinissima plurima dabat.* Dabat quidem Christus signa plurima divinæ potestatis: sed non talis, de quali modo quaeritur, qua scilicet improbos poenis afficeret, hostes suos suos perderet & vindictam de iis sumeret. Talis potestatis coactivæ ne minima quidem umbra in Christo apparuit.

III. *Exemplum dans omnibus discipulis.* Si Christus exemplum dedit omnibus suis discipulis, pauperem vitam in terris agendo & ministrando, certè menti Christi non potest esse consentaneum, ut discipuli ejus dominantur & regnent in terris. Cujus enim rei Christus ista sua humilitate dedit exemplum discipulis suis. *Ut, inquit Auctor ipse, quæcunque tandem futura esset ullius eorum dignitas & magnitudo (ergò & Reges & Principes) (cujus tamen nulla unquam esset cum Christi dignitate ac magnitudine comparatio) non recusarent infamam sortem ac conditionem subire.* Benè est; ergo id faciant Reges ac Principes, simul ac veritatem fuerint amplexi, & Christi imitatores in humilitate fiant. Sed hoc negat Auctor statim esse Regibus & Principibus faciendum. Quando igitur? *Si id, inquit, Dei gloria & hominum salus ac bonum commune requireret.* Hoc verò prorsus ridiculum est; quia id nunquam futurum est, si, prout vult Auctor, non requirat id gloria Dei statim, ubi veritas divina Regibus illuxerit, & si gloria Dei & salus hominum communeque bonum potius requirat ex Auctoris sententia, ut Reges ac Principes dignitatem & magnitudinem suam, Christiani facti, modis omnibus retineant.

IV. *Non ergo sequitur, quia Christus Regiam potestatem in subiectos non exercuit, nec ulli Christianorum fas esse.* Imò sequitur: quia se in eo imitari jubet. Dicit enim: *Non sic erit inter vos, scilicet ut sitis sicut Principes seculi, sed debetis esse sicut filius hominis.*

V. *Sic ergo etiam Christianus Rex & Regiam potestatem exerceat, ac dignitatem retineat, tum Ecclesiæ, tum subiectorum suorum bono.* At in eo Christum non imitabitur: quia is Regiam potestatem nec habuit, nec exercuit. *Et eandem deponat, eaque se abdicet &c.* Quando verò, quaeso, id futurum est, cum ne eam deponat, Auctor tantopere laboret? Quid Christum talia præcepta dedisse statuimus, quorum exequendorum occasio nulla unquam

unquam sit futura? Si mandati de lotionis pedum eo modo, prout nos intelligimus, exsequendi nulla unquam hodie futura est necessitas, uti censet Auctor, multo minus Regi Christiano abdicandi imperii necessitas speranda est. *Multo major ac dignior per hanc humilitatem evasurus, quam antea fuerat per Regiam majestatem.* Hoc sanè certum est: & tamen Auctor tanto pugnare pro Regibus, ne Regna deponant, & ad hanc majorem dignitatem per humilitatem deveniant.

VI. *Nam alioquin nec bona possidere, nec divitem esse, nec certo in loco habitare, nec equis vehi, nec agriculturam, nec mercataram, nec opificium ullum exercere liceret.* Non sequitur, quia ista nec verita sunt, nec in talibus se Christus imitari præcepit. *Dummodo quisque in sua vocatione se gerat, ut Christiano dignum est.* At hoc ipsum in quæstione est, an quisquam se in Magistratu supremo gerere possit, ita ut Christiano dignum est?

VII. *Ceterum quod attinet ad Christi verba apud Matth. 20. &c. Verbis Matth. 20. 25. & sequentibus, & Marc. 10. 42 & sequentibus, & Luc. 22. 25 & sequentibus, ait Auctor, non prohiberi duodecim Apostolis, ne Reges fiant & Gentibus dominantur, ac potestatem in eas exercent.* Cur verò? *Quid enim, inquit, prohiberet, cujus faciendi Apostolis nulla facultas esset, nec unquam futura esset?* Atqui illi putabant esse sibi eam facultatem, quia Christum terrenum Regem fore sperabant. Deinde poterat Christus in persona Apostolorum prohibere aliis, qui eam facultatem essent habituri. Neque enim, quia solos duodecim his verbis allocutus est Christus, propterea ad solos tantum duodecim pertinent. Nam & in præcepto lotionis pedum solos duodecim allocutus est Christus, iisque solis pedes lavit; & cœnam sacram cum solis Apostolis Dominus celebravit, eosque solos allocutus est cum dixit: *Hoc facite in mei commemorationem;* nec tamen vel lotionis pedum officium, vel celebratio cœnæ Dominicæ ad solos pertinuit Apostolos.

VIII. *Sed taxat vitia, non officia Principum hujus seculi &c.* Imo ipsa officia Principum hujus seculi vult ab Apostolis esse aliena. Illi enim non vitia, sed officia ipsa ambiebant; à quibus eos Christus jubet quam longissimè abesse. Apud Matthæum & Marcum frustra urget Auctor voces *κατακρίσεις* & *κατακυριεύσεις*, quasi iis abusus dominationis tantum denotetur: cum Lucas simplici voce *κυριεύσει* usus sit, & *ἐξουσίαν* ponat pro *κατακυριεύσεις*, ut exinde satisliqueat, composita ista verba non aliud quidpiam significare quam simplicia. Sed & res ipsa dicat, nihil opus fuisse abusus dominationis prohibere Apostolis, cum ex Auctoris sensu ne usum quidem ejus essent unquam habituri. Præterea illi affectabant non abusus principatus & domini, sed ipsum principatum & privatum: & hoc est à quo Christus eos directe & simpliciter dehortatur. Iraque si Christus abusus tantum prohibuisset, potuissent respondere: Atqui nos non abuti volumus principatu, ut faciunt mundani Reges & Principes, sed recte eo utemur. Sic igitur cupiditatem mundanorum honorum ex eis non extirpasset.

IX. *Non sic erit inter vos, nempe ut putetis verum Principatum, & magnitudinem, & primatum in dominatione & potestate in alios &c. consistere.* Mundanus terrenusque Principatus atque consilis magnitudo & primatus revera non in alia re consistit, quam in dominatione & potestate in alios. Quare cum à tali principatu & magnitudine atque primatu Christus discipulos suos abducit, omnino eos à terrena dominatione in alios abducit.

X. *Sed qui voluerit inter vos magnus esse &c.* Opponit Christus magnitudini terrenæ & carnali magnitudinem spirituales & cælestes: ad quam consequendam non hanc monstrat viam discipulis, ne magnitudine terrena abutantur, sed ut magnitudinem carnalem prorsus repudient, fiantque ministri ac servi. Hoc & Auctor ipse concedit, sed addit, *id fieri debere,* quoties nimirum id Dei gloria & communis salus requireretur: id est, nunquam.

XI. *Et sic omnem ambitionem, de qua agebatur, ex animis eorum penitus exscindit.* Ex nostra sententia id verum est, sed non ex Auctoris. Nam ille censet illegitimam & inordinatam ambitionem tantum hic esse prohibitam, non vero omnem. Atqui Apostoli non ullis illegitimis modis ambiebant principatum, sed legitime eum à Domino poscebant, & non largitione, non factione, non doio malo, aliisve illaudatis artibus, sed precibus obtinere studebant. Verum ne hoc quidem Domino placuit, & ab omni ambitione etiam legitima honorum terrestrium vult eos esse remotos.

XII. *Benefactores vocantur, vulgi nimirum adulantis more.* Non tantum vulgi adulantis more, id fit, sed etiam jure & merito sine adulatione sic vocari solent ac debent boni Principes. Sed Christus non vult ut discipuli ejus tales titulos, quamvis jure tributos, affectent.

XIII. *Sed qui major in vobis, intellige est, vel unquam erit, etiam si Rex fuerit, sit tanquam junior; & qui dux, intellige & hic, est, vel unquam erit (ducum nomine & Reges & Principes designari solent) sit tanquam ministrans.* Videat Auctor quam hic sibi constet. Superius dixit, Christum non prohibere Apostolis ne Reges fiant, & gentibus dominantur, quia ejus faciendi nulla ipsis facultas esset, nec unquam futura esset. Hic autem jam inter Apostolos Reges & Principes comminiscitur.

XIV. *Sit tanquam ministrans, cum scilicet id Dei gloria & hominum salus postulaverit.* At Christus hoc vult semper fieri, non certo aliquo tempore; quod nunquam futurum sit.

XV. *Cujus rei exemplum Christus illustrissimum in se exhibuit.* Christus tale exemplum in se exhibuit, ut non esset Rex terrenus, nec ullam potestatem coactivam exerceret. Ergo in eo omnes discipuli debent eum imitari. At fuit in forma Dei & major Regibus omnibus. Omnino: sed non mundanâ pompa & dignitate erat major, sed secundum spiritum major erat. Qua ratione & quilibet verus Christianus major est omnibus Regibus terrenis. Hac spirituali dignitate Christus seipsum exinanivit, & Christiani omnes eadem se exinanire debent, tunc cum persecutiones ingruunt religionis ac conscientie causa, ut eas patiantur, ac subeant prompto animo Dei Christique causa. At si daretur Rex Christianus, is nequaquam instante persecutione sese exinanire & potestatem exuere deberet, sed arma sumere suosque armare adversum religionis hostes: quod an Christi exemplo consentaneum sit, Auctor ipse viderit. Equidem nihil magis absonum & contra omnem rationem est, quam velle mundanum Regum statum cum existentis in terris Christi exemplo conciliare.

XVI. *Quo itidem omnis fastus & superbia, & vanissimorum hujus mundi honorum ambitio tollitur.* Imò eo non tollitur ambitio omnis, si vanissimos mundi honores retinere Christianis licet. Sed tunc demum tollitur funditus, si prorsus & omnino prohibiti esse statuuntur.

XVII. *Hæc enim, inquit, omnia gentes quærunt, non opes ipsas per hoc damnans, sed sollicitam opum cupiditatem & studium.* Ita est: non tantum opes ipsas per hoc non damnat, sed ne cupiditatem quidem omnem ac studium illarum omne: verum immoderatum duntaxat studium, & cupiditatem cum diffidentia, cumque rerum meliorum neglectu ac omissione, nec non cum appositione cordis conjunctam, quæque totum hominem sibi vendicet. At principatum & honorum terrenorum cupiditas & ambitio, non immoderata solum & illegitima, sed omnis planè à Christo Apostolis prohibetur.

#### ANNOTATIO VI.

I. **C**hristum non tollere magnos, primos &c. Hocine falsum est? Omnino falsum est, cum non tollere magnos, primos, quoad carnalem magnitudinem & primatum. Atqui apud Matthæum & Marcum ad magnitudinem & primatum hortatur. Hortatur quidem, sed non ad mundanum. Christus ipse nonne magnus,



*magnus, primus, dux erat?* Certe non erat secundum carnem. *Christus ipse recumbens erat, non ministrans.* Recumbens quidem erat Christus, sed secum una recumbere famulos ac ministros suos passus est, seque adeo iis æquavit; ut ita & recumbendo fuerit nihilominus sicut ministrans. Cum verò pedes discipulorum suorum lavit, tunc reipsa ministrans fuit, non tantum sicut ministrans.

II. *Non ergo tollit & Reges & Principes Christus.* Unde verò hæc conclusio? An ulli Reges aut Principes erant aut esse debebant inter Apostolos? Quomodo ergo dici potest, Christum eos inter Apostolos non tollere? Nectantum ad animi humilitatem Christus revocat Reges & Principes, si ipsius velint fieri discipuli, sed etiam ad talem externam humilitatem, quantam status eorum non patitur. Nam eos ad tantam vocat humilitatem, quanta in ipso apparuit; qualem certe Regius status nullo modo patitur. Major quoque in Christo humilitas externa apparuit, quam in Davide & Esther: ergo & Christiani non tam Davidem Estheramque, quam Christum Dominum suum imitari debent.

III. *Fuit enim accumbens, non tanquam accumbens.* Fuit Christus quidem accumbens, sed ita sicut & discipuli ejus accumbentes erant. Non fuit autem ita accumbens, sicut in mundo solent accumbentes esse, qui carnali præ eminentia, dignitate & dominio supra alios elati sunt, qui suos famulos ac servos vix respiciunt, vix pro hominibus habent, nedum ut patiantur eos secum accumbere. *Habet ergo status & conditio accumbentium in Regno Christi locum.* Habet, sed ita accumbentium, sicut Christus accubuit, non mundano & superbo more se gerentium. Nam *status dominorum & herorum est status accumbentium.* Sed domini & heri isti debent quam maxime conformes fieri Domino Jesu, qui se servis suis æquavit: & contentus auctoritatem inter eos debitam obtinere, potestatem coactivam in eos nullam exercuit. Servi quidem debito honore ac reverentia afficere debent dominos, sed & Domini Christiani debent vicissim fideles servos tractare tanquam fratres. *Ne illud quidem videtis, inquit Seneca, quam omnem invidiam Majores nostri dominis detraxerint; Dominum patrem familiæ appellaverunt, servos familiares.* Epist. 47. Ubi multa alia habet egregia de servis, quomodo tractandi sint. Et Tertullianus de Christianis scribit: *Gratius apud eos est nomen pietatis quam potestatis; etiam familiæ magis patres, quam domini vocantur.*

IV. *Sed accubuit non ut accumbens.* Hoc quidem ipsum se tollit. Nequaquam hoc seipsum tollit: quia potest aliquis accumbere, sed non ita uti accumbentes in mundo solent, id est, non eo modo se gerere, quo ii qui mundano more accumbunt. *Ministrantes enim non solebant accumbere.* Non solebant quidem apud alios, sed apud Christum & ministri ejus simul accumbebant. *Et Christus ita accumbebat, ut ei accumbenti alii ministrarent.* Hoc quidem aliquando factum est; sed plerumque ita accumbebat, ut ei nemo ministraret, sed ministri una accumberent. *Et cum ipse erat sicut ministrans, neutiquam accumbebat, sed surgebat à cæna.* Non tantum tunc fuit sicut ministrans, sed revera ministrabat, cum pedes lavit discipulorum. *Sed hæc erat Christi humilitas, ut se ad indigna sua dignitate gloriæ divini & humanæ salutis causa abjiceret.* Hoc fecit Christus non tunc modo cum se ad pedes Apostolorum demisit, sed per totam vitam suam, dum se non gessit more Regio, dum se vilissimis hominibus æquavit, & cum iis familiariter conversatus est, dum nullo majestate sua digno apparatu usus est, dum nullam in quenquam potestatem exercuit. Quare si hæc humilitas ei tantam exaltationem comparavit, & omnibus comparatura est, qui sese Christi exemplo in sua dignitate humiliaverint, sequitur, Christianum nullum debere Regem esse, sicut nec Christus in terris fuit.

V. *In domo, in civitate, in Regno, dominatu &*

*potestate in alios nihil utilius, nihil magis necessarium est.* Ergo quatenus utilis, quatenus necessaria est, eam Christus non sustulit. In domo quidem Christiana dominatu absoluto & potestate summa nihil opus est quare eam jure tollere potuit Christus, & dominatum ac potestatem summa comitate temperatam relinquere. In civitate quoque, multo verò magis in Regno nihil opus est ut sit Christiana potestas suprema, ergo eam dum sustulit Christus, nihil quod necessarium est, & sine quo mundus stare nequeat, sustulit.

VI. *Rex Ecclesiæ subjectus est secundum spiritum, Ecclesia in Regno subjecta est Regi secundum carnem.* Mira est hæc rerum confusio: dum unum idemque hominum genus statuitur esse certo respectu sub potestate alicujus, & rursus alio respectu super illum eundem potestatem habere. Possentne fieri ut servus sit secundum carnem subjectus domino, & rursus dominus sit secundum spiritum subjectus servo, ita ut is potestatem exerceat super dominum suum? Si Ecclesia subjecta est Regi, quacunque ratione, certe Rex ei subjectus esse non potest ulla ratione, ita ut illa possit in eum exercere suam potestatem, eum scilicet publice redarguendo ac pudentiando, à sacra communione arcendo, & tanquam Ethnicum & Publicanum habendum declarando. Quapropter justius Ecclesiam cum Regno confundere Auctor dicens est, & qui cum eo sentiunt, quam nos, qui Regnum & Regiam potestatem à Christianis volumus plane remotam, ne Ecclesiastica per eum tollatur aut infringatur potestas.

#### ANNOTATIO VII.

I. *V*eri Principatus, magnitudinis &c. nomine intelligit Christus eam quæ oritur ex virtutis excellentia &c. Ergo non carnalem, non mundanum principatum aut magnitudinem intelligit. Et recte dicit Auctor, quod *huc evadere nemini datur, etiam Regi & Imperatori, nisi per viam à Christo dictis & factis monstratam, id est, per summam humilitatem.* Verum hoc non satis recte, quod ait hanc humilitatem non ipsi per se dominationi, sed ambitioni & superbiæ prorsus adversari. Christus enim ita humilis fuit, & talem viam facto ipso monstravit ad veram magnitudinem, quæ ipsi dominationi (mundanæ) perse adversabatur, dum se pro Rege terreno non gessit, sed abjectæ & humilis fuit conditionis, ministris etiam suis utens, non tanquam servis, sed tanquam amicis ac familiaribus. *Etiam Domini ac Reges, inquit Auctor, animo debent esse quam maxime humiles.* Sed hanc animi sui humilitatem debent etiam factis dominationi contrariis, adeoque & regni amissione restari. Agnoscit id Auctor, sed ait, id tunc fieri debere, *cum Dei gloria & hominum salus id requirit.* Quando vero id fiet unquam secundum Auctorem? Christus sane, ut diximus, semper factis dominationi mundanæ contrariis humilitatem suam testatus est, non pro Domino se mundano ac Rege in terris gerens, sed vitam infimæ sortis hominibus similem ducens. Quia in re cum se sequi jufferit, seque in exemplum omnibus suis proposuerit discipulis, satis manifestum est, eum non superbiam tantum & ambitionem immoderatam, sed & ipsam dominationem voluisse penitus à discipulis suis esse sublatam.

#### ANNOTATIO VIII.

I. *L*udit hic Vir Præstantissimus in voce Principatus & magnitudinis. Nescio uter potius ludere in voce Principatus & magnitudinis dicendus sit. Nam Auctor dum supra dixit, *Christum non tollere magnos & primos*, de magnitudine secundum carnem, & non secundum spiritum locutus est: quia magnis istis ac primis etiam Reges & Principes accensuit. Nunc autem ait, se vocem magnitudinis accipere secundum spiritum. Atqui si hoc modo vox ista accipiatur, concedetur à nobis totum, quod nimirum tales magnos & primos Christus non tollat. Sed

Sed Auctor non tam ut magni & primi secundum spiritum in Ecclesia dentur, quàm ut magni ac Principes secundum carnem in ea locum habeant, nunc intendit: Ergo jure ostensum talem magnitudinem carnalem revera in dominatu & potestatis exercitio consistere.

II. *Quis non videt in verbis Christi, Vos autem non sit; contineri mandatum superiori facto oppositum, non status Regni Christi descriptionem?* Quasi itatus Regni Christi descriptio non possit in mandato isto contineri! Quodnam verò fuit factum istud superius, cui mandatum istud oppositum est? Proximè quidem fuit factum Regum & Principum, qui dominantur & potestatem exercent inter gentes: altius autem paulò fuit factum Apostolorum, de quibus narratur, quod orarint quidam, ut alter ad dextram, alter ad sinistram federet in regno ejus: quodque hoc audientes reliqui, indignati fuerint. Nempe isti omnes dominationes Regias & honores Principum expetebant, ut tanquam Principes hujus seculi imperarent. Christus hanc honorum cupiditatem & ambitionem taxat, ostendens mundanis hominibus tales honores & dominationes relinquendas esse, ipsos ad aliam magnitudinem & regnum esse vocatos, quod non in dominatione ac potestate super alios exercenda situm sit, & ad quod alià vià eundum sit, quàm vulgò itur ad carnale regnum & magnitudinem.

*At mandatum hoc esse non poterat, ne Apostoli dominarentur gentibus, & potestatem in eas exercerent.* Cur verò hoc mandatum esse non poterat? Imo hoc ipsum appetebant illi, dum ad honores, & superiora in Regno Christi, quod carnale fore somniabant, loca adspirabant, ut dominarentur aliis, & potestatem in alios exercerent.

*Non ergo intelligit Christus, quid rectè faciant Reges, aut à populis fiat; sed potius quid perperam.* Nequaquam id hic intelligit Christus, quid perperam Reges faciant. Nam nec Apostoli volebant facere quod perperam fieri solet; ideoque Christus non habuit ullam occasionem vel ansam de eo, quod perperam faciunt Reges vel populi, loquendi: sed simpliciter dominari in terris, & potestatem habere supra alios cupiebant, quod per se in hominibus veritatis Christianæ cognitione destitutis malum non est. Alioqui sensus præcepti Christi fuisset: Vos autem non sic, scilicet abutimini potestate. Sed tunc respondissent discipuli. Benè est, non abutemur, tantum tu fac, dominemur & potestatem super alios habeamus.

III. *Populus Christi non tantum est spiritualis.* Sed tamen etiam non est carnalis. Itaque etsi ad Rempublicam quoque suo modo pertineat, nihilominus se tanquam spiritualis gerere debet: & quamvis carnalis quædam eminentia in eo possit habere locum, tamen ea nec magna nimis esse debet, nec valde à Christianis æstimanda aut attendenda est, sed humilitate tanto majori temperanda.

IV. *Nulla apparet in verbis Christi prolepsis.* Imò apparet, dum ait apud Matthæum & Marcum: *sed quicumque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister.* Quod quid aliud est, quam si diceret: Quod si tamen talis ambitio vos urget, ut magni fieri, id est, ad summam dignitatem assurgere velitis, ecce viam vobis monstrabo per humilitatem.

V. *Sed eam consistere in eo, si quis ex magnitudine se humiliet ad servilem conditionem ac ministerium, divinæ gloriæ causa & hominum bono.* Cur vero non & sui ipsius bono atque æternæ salutis suæ causa? quia nulla patet alia ad salutem æternam via, nisi per istam ex magnitudine terrena humiliationem. Unde consequitur, id non solum in casu aliquo raro, vel potius nunquam dabili esse faciendum; sed protinus, quando religio Christiana suscipitur. Alioqui fieri posset, ut quis magnus in Christi heret regno, & honorum cœlestium particeps, etiam si se facto ipso ex magnitudine suâ carnali ad exemplum Christi humiliare noller: quod est apertè dictis Christi contrarium. Ista præcepti Christi de humiliatione limitatio, quâ dicitur, illud tum de-

um habere locum, quando gloria Dei & hominum bonum id requirit, nullo jure additur ab Auctore, tantum ad eludendum tam evidens & grave præceptum Domini. Ad eundem modum posset aliquis omnia Christi præcepta limitare: possetque inferre, verbi gratiâ, præceptum de non inebriando non semper est observandum, sed tum demum, cum gloria Dei & hominum bonum id requirit; item præceptum de obvertendâ maxilla, de crucifigenda carne ejusque affectibus & concupiscentiis &c. Sed nec juvat ipsum ista limitatio: quia nulla major Dei gloria est, quàm cum Reges ac Principes, agnitâ Dei Christique, ut sese humilient, & sumptâ cruce per totam vitam suam eam sequantur, voluntate, continuò de solis suis descendunt, & ultro purpurâ & majestate suâ ad pedes Domini depositâ, ostendunt facto & reipsa, quàm ista omnia, ad quæ mundus stupet, Christi causa pro stercorebus reputent. Quid hac virtute majus esse potest & illustrius? Quid magis ad gloriam divini nominis, quin & simul ad ædificationem aliorum, adeoque ad hominum bonum spirituale (quod infirmitas melius est & pretiosius terreno carnalique bono) facere potest? Proinde si divinæ gloriæ causâ & hominum bono debent Reges sese ex magnitudine sua humiliare, & ex Principibus ministri fieri & subditi, prout statuit Auctor, oportet ut id illico faciant, quando ad Christum ejusque religionem accedunt.

VI. *Miserrimus fuit omnium.* Addendum erat, secundum carnem. Hoc per se intelligitur: neque enim aliter Christus a quoquam, qui nomen ejus proficitur, miserrimus fuisse dici potest.

#### ANNOTATIO IX.

I. *Christi & Auctoris mens est, Reges & Magnates non per dominatum suum, nec quenkum alium, ad veram magnitudinem pervenire, sed per humilitatem.* Si hæc Auctoris mens est, cur nihilominus vult Reges retinere dignitates suas & mundanam magnitudinem? Humilitati enim ejusmodi, qualis in Christi exemplo apparuit, nihil magis contrarium est, quam velle in mundo secundum carnem magnum esse. Ergo si debent Reges in mundo humiles esse, sicut Christus fuit, non debent manere secundum carnem magni, sed parvi debent fieri, ut fiant magni secundum spiritum. Alioqui perinde contradictoria conjunget Auctor, atque si diceret: Qui vult benè currere, non id ager ut per gressus incedat, sed ut quietus maneat, & tum benè curret. Non igitur, quæ hic annotata sunt, præter rem sunt. Sed præterea hæc quoque Auctoris mens est, quod Christus velit, ut Reges etiam dominando aliis ferviant. At hæc servitas valde impropria est, ut in Annotatione deductum, & ab Auctore silentio prætermisum est. Christo certe nihil minus in mente fuit, quam de tali servitute loqui, aut Apostolos ad eam exhortari. Hoc enim modo dominandi libidinem in eis non exstinxisset, sed magis adhuc inflammasset & irritasset.

#### ANNOTATIO X.

I. *Etiā Reges pro Christo & pro populo mori possunt ac debent, cum opus est.* Cur verò non explicat aliquando Auctor clarius, quomodo & quando istud fieri possit ac debeat? Nisi fortè dicat, Regem Christianum pro Christo & populo mori, si quando religionis causa bellum gerens in prælio occumbat. Sed utrum hoc sit pro Christo revera mori, piis & in doctrina Christi exercitatis judicandum relinquo. Nul- lum sane talis pro Christo mortis in Novo Testamento reperire est vestigium: ita ut novo Evangelio opus sit iis, qui jam aliam ad cœlum & martyrium comminiscuntur viam, quàm ab Apostolis revelata & calcata est. Codrus apud Ethnicos laudatur, quod non fuerit timidus pro patria mori: sed & is nihilominus in bello mortem oppetiit. Deinde fecit id oraculo monitus, ut perhibetur: at nunc ut tali oraculo moneatur Christianus Magistratus, & ad ponendam pro populo vi-

tam stimuletur, nunquam sperandum. Ergo nunquam etiam sperandum est, ut Reges Christiani mori pro populo possint. Sed nec ut pedes sanctorum aliquando lavent Reges, quod vult hoc loco Auctor, requirere Dei gloria & hominum ædificatio unquam potest (nisi forte velit eos exercere histrioniam, sicut faciunt Reges in Papatu) quia Auctor ne heris quidem ac dominis simplicibus putat decorum aut conveniens esse, ut aliquando pedes servorum suorum lavent.

#### ANNOTATIO XI.

**E**O ipso quia se quispiam fecit abjectissimum &c. in maximo honore est apud Deum &c. Hoc tamen non vult Auctor Reges facere, ubi cognitione veritatis fuerint illustrati, nec permittit ut Mosis & Pauli imitatores fiant, qui propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini nostri seipsum omnibus rebus multavit, quæque sibi lucra erant, duxit propter Christum damnum esse, imò pro stercorebus ea duxit, ut Christum lucrifaceret, & cognosceret eum, & vim resurrectionis ejus, ut communionem haberet in perfectionibus ejus, & conformis fieret morti ejus. Quomodo verò Paulus ista omnia pro damno & stercorebus duxit? An nihilominus mansit in illa, quâ ante fuerat, dignitate? an Phariseus esse non desit, & honores mundanos reipsa non amisit? Imo ejectus fuit à Judæis & omnibus honoribus privatus, & ad ignominiosum contumeliosissimumque statum secundum carnem redactus est. Hoc idem & Mosis accidit, ubi opprobrium Christi divitiis & honoribus Ægypti prætulit. Quare si & Reges velint Paulum & Molen in vera magnitudine per humilitatem quærenda imitari, non animo tantum, sed & reipsa renunciare honoribus ac dignitatibus suis debent, & statum suum honorificentissimum cum abjectissimo commutare.

#### ANNOTATIO XII.

**I. Q**uæ hic vir Præstantissimus annuavit, à mente Auctoris longissimè absunt. An hoc à mente Auctoris longissimè abest, quod velit, Christum non ipsa officia Regum & Principum sustulisse in Ecclesia sua, sed tantum, qui dignè & Christianè officio fungi debeant, Regibus & Principibus leges præscripsisse? Non solis Apostolis Christus hoc mandatum dedit, sed omnibus suis, qui unquam futuri essent discipulis, inter quos etiam Reges olim futuros esse non erat, nec est absurdum. Cur vero supra Auctor mandatum istud Christi ad solos Apostolos restrinxit, idè quòd tunc solos duodecim illos allocutus fuerit? Cur dixit: *Quid prohiberet* (scilicet ne dominarentur & potestatem in alios exercerent Apostoli) *cujus faciendi Apostolis nulla facultas esset, nec unquam futura esset?* Atqui si verum est quod nunc affirmat Auctor, eum non solis Apostolis mandatum dedisse, sed iis etiam discipulis suis, qui Reges esse poterant, erat sane cur id prohiberet. Nimirum Auctor pro rei necessitate mandatum hoc Christi modo ad solos pertinere vult Apostolos, modo quando ipsi expedit, non ad solos, sed ad omnes Christianos: quæ inconstantia an aliunde quàm ex causæ ipsius infirmitate procedat, ipse viderit.

**II. Nam & ad Reges pertinet gratia Dei salutaris in Christo Jesu.** Pertinet equidem, sed ita ut simul, quod & Auctor rectè addit, ad eos etiam præceptum humilitatis à Christo discipulis datum pertineat, si discipuli ejus fieri velint. Humilitatis autem istud præceptum requirere, ut non animo tantum se humilient, sed reipsa etiam è regio fastigio se ad humilem statum Christi exemplo demittant, ostensum est.

**III. Non autem Regibus & Principibus regnandi leges præscribit.** Itane hoc etiam jam negat Auctor? Annon regnandi leges præscribit, qui dat mandatum Regibus, quomodo se in suo munere gerere debeant? Annon superius dixit Auctor, Christum non officia, sed vitia Regum ac Principum his verbis taxare, quòd scilicet dominatione & potestate suâ abutantur opprimantque subditos? annon ab hoc abusu potestatis cen-

set eum discipulos dehortari? Quisquis igitur leges tradit, quibus vitia Regibus familiaria taxantur, annon is Regibus regnandi leges præscribere dicendus est? Sed hoc etiam longè mirabilius est, quod Auctor addit, ideo Christum non præscripsisse regnandi leges Regibus & Principibus, *quia jam in suis regnis eas habent descriptas.* Quasi Christus nihil perfectius iis legibus, quæ in mundanis regnis vulgo Regibus præscribuntur, tradere potuerit aut debuerit, si suos discipulos voluit aliquando Reges fieri. Certè ut voluerit ipsos, secundum eas leges, quæ in regnis mundanis descriptæ sunt, per omnia se gerere, nimis absurdum est. Si Deus olim non contentus fuit, quòd Reges in Regnis mundanis haberent leges descriptas, sed peculiariter tradidit leges Regibus per Molen, quas in administratione populi Judaici observarent: quanto magis necessarium erat, ut Christus longe sanctior & perfectior Magister præscriberet leges Christianis Regibus, si eos esse aliquando voluit? Nonne & maritis ac conjugibus, heris ac servis, parentibus & liberis, leges alibi præscriptæ sunt in omni Republica? & tamen in Evangelio suo Christus omnibus istis leges nominatim dare non omisit. Atqui nullum est vitæ genus magis præceptis & informatione divina indigens, atque est Regum & Principum: qui in adeo lubrico sunt statu positi, ut & facilius & nocentius possint, quàm ulli alii homines, peccare, & à via pietatis deflectere. Hoc ipsum utique docendi erant, an fulmen vibrare seu gladio uti in homines ipsis permissum sit, quemadmodum aliis gentium Regibus? item si id concessum sit, quomodo & quando, quove discrimine eum adhibere debeant? Nempe an absque misericordia, ut sub Lege Mosaica, an verò ex æquitate & lenitate Christiana facinorosi plectendi sint? Neque est quod quis dicat, rem ipsam docere, Christianum Magistratum ex Christiana lenitate agere debere, & poenitentibus parcere. Nam si Magistratus vindex malorum operum à Deo constitutus est, non est in ipsius potestate, absque expresso Dei mandato, cuiquam etiam poenitenti delictum condonare. Lenitas Christiana in propriis injuriis ferendis ac remittendis consistit. Cuilibet autem de suo jure cedere licet, quantum libet. At Magistratus alienarum injuriarum judex est & vindex; itaque ei de alieno liberalem esse non convenit. Præterea an seria poenitentia subsecuta sit, an verò simulata ac ficta, nemo mortalium, sed solus scrutator cordium certò novit: nec ipsa Ecclesia Christi hisce temporibus id infallibiliter scire potest, sed ex signis tantum probabilibus; quæ si fallant eam, Christum tamen non fallit simulator talis, judiciumque illius non effugiet. Contingere igitur posset, ut Magistratus Christianus aut poenitentem supplicio afficeret, contra indolem religionis Christianæ; aut impoenitentem saluum dimitteret, contra officium suum. Adhæc si lenitate utendum est Christiano Magistratui, semper eâ utendum est, ac proinde gladio nunquam utendum in maleficos: quia semper eorum poenitentia expectanda est. Si igitur poenitentiam agant, necessariò illis parcendum est: quis enim dicat eos esse mortis poenâ afficiendos, qui culpam poenitentia eluerunt, & jam coram Deo innocentes sunt? Si non agant, tamen adhuc agere possunt, neque ullum certum tempus assignari ab hominibus potest, quo ad frugem redire nequeant: ideoque perdendi non sunt à Christiano Magistratu, ne fortè, præreptâ eis resipiscendi facultate, causa ipsis sempiterni exitii existat. Sed & Christiani docendi erant, si Rex ipse facinus aliquod morte dignum perpetraret, quis ipsius esse debeat judex? an ipse legibus solutus & nullis poenis subiectus sit? Hoc omnino scire intererat, ne inter Christianos ad tales deveniretur tragoedias, qualis nuper in Anglia magno cum Orbis stupore facta est. Ex paucis istis, quæ a nobis delibata sunt, satis constare potest quanta fuerit necessitas leges regnandi Christianis Regibus in Evangelio præscribi: quas cum nullas Christus tradiderit, hoc ipsum documento est, Christum nolle quicquam esse discipulis suis cum Regali statu negotii.



IV. *Discipuli Christi nec Regia affectabant dignitates: sedere enim à dextris & sinistris Regis, non est Regem esse.* Cur ergo Christum sedere à dextris Dei, qui est Rex omnium summus, est ipsum Regem esse? Certe & à dextris vel sinistris Christi sedere, est Regem esse. Nam & qui à dextris & sinistris ejus sedebunt in cælis, Reges erunt. Quod autem fiet in cælis, hoc carnali more futurum in terris præsumebant Apostoli, credentes Messiam Regem Regum mundano more futurum: adeoque jure dici potest eos Regias affectasse dignitates. Sed esto: quod non affectarint proprie Regias dignitates; at affectasse saltem Principum dignitates negari nequit. Nam sedere à dextris & sinistris Regis, si non est Regem esse, attamen est Principem esse.

V. *Nec ideo has dignitates affectare non debebant, quod Christianis fas per se non sit ad istas extolli dignitates. Cur ergo? Sed quod Christiani ambitiosi non debeant esse.* Quid verò est ambitiosum esse? An simpliciter & quocunque modo affectare dignitates? an illegitime affectare? Si simpliciter affectare & quærere, quæ ratio est; cur non liceat simpliciter & legitimis modis affectare dignitates Regias Christianis, si eis fas sit per se ad istas dignitates extolli? Nonne quia fas est Christianis esse Philosophum, Medicum, Theologum, ideo & affectare atque ambire has facultates legitime, ipsis fas est? Quin & opes quia possidere per se Christiano vetitum non est, nonne etiam suo modo eas quærere licitum ac concessum est? Cur ergo non liceret suo modo & Regias dignitates ambire atque affectare, si illæ non essent per se ac simpliciter Christianis prohibitæ? Quod si ambitiosum esse significat, illegitime affectare dignitates, ratio quam hic affert Auctor, erit inepta. Discipuli Christi non debebant dignitates legitime affectare, quia Christianis fas non est dignitates illegitime affectare. Nonne videt Auctor, si illegitime tantum affectare dignitates non licet, hac ratione ambitionem prorsus non reprimi; sed potius confirmari? Quilibet enim Christianorum cogitabit: Ego cavebo ne illegitimis modis ad dignitates adspirem, interim tamen omnibus modis licitis ut ad eas perveniam dabo operam. Hoc si semel imbibierint Christiani, nullus erit ambitioni modus. Quare nulla alia ratione ambitio penitus extinguere in Christianis potest, quam ut doceantur, non esse illis fas per se ad Regias dignitates extolli. In Apostolis sane locum non habuisse per se dignitates Regias distiteri non potest Auctor: sed cum hoc Christi mandatum Apostolis datum, etiam ad omnes Christianos pertinere agnoscat, concedat oportet, eodem sensu quo de Apostolis verba intelliguntur, etiam de aliis intelligenda esse, ac porro omnem affectationem mundanarum dignitatum, & simul ipsas dignitates, uti Apostolis, ita & omnibus Christianis simpliciter interdictas esse.

VI. *Et debent hujus seculi dignitates in parvis ducere, idque multo magis curare, ut sese quam maxime humilient &c.* At hoc facere Reges nequeunt, si, ut statum suum conservent, quam maxime laborent. *Et quamvis humilis non sis, esse sicut humilem.* Recte sane hic agnoscit Auctor, Regem non esse revera humilem, sed tantum sicut humilem. Atqui Christus non vult suos esse tantum sicut humiles, sed reipsa humiles. Ergo non vult eos esse reipsa Reges. Notandum quippe in verbis Christi est, eum non tantum humilitatis virtutem, quæ animo posset etiam in summa dignitate exerceri, inculcare discipulis, sed etiam velle ut ad humilem statum ac conditionem, in quali ipse fuit, quamque dominationi Regum ac Principum seculi & dignitatibus, quas captabant Apostoli, opponit, & illi reipsa redigantur, crucem suam assidue portantes, & sic Christo conformes fiant.

## ANNOTATIO XIII.

I. *Christi verba apud Marcum sunt, οὐ δυνατὸς ἀρχεῖν &c.* De voce *δυνατὸς* nolim acius contendere, quanquam non contemnenda mihi videntur quæ Grotius habet super hunc locum. Cæterum hoc nunquam negabit, ut opinor, Auctor, Christum eos quos dixit *δυνατὸς ἀρχεῖν*, nequaquam reipsa *ἀρχεῖν* inficiari, saltem secundum carnem; cum à Deo ipso in id, ut summa cum potestate dominantur, ordinati sint. Et quid opus est in verbis Marci arguari, cum Matthæus simpliciter habeat, *οὐ ἀρχεῖς*, & Lucas, *οὐ βασιλεύς τῶν ἰσθῶν*?

II. *Non meminerat vir Præstantissimus illius dicti Salomonis, cum hac scriberet: Vanitas vanitatum &c.* Imò minùs Auctor hujus dicti meminit, qui miseram exclamat esse Christi Ecclesiam, si non possit habere Reges ac Principes. De verbis *κατακυριεύειν* & *καταξυστεύειν* jam actum est, & ex Luca ostensum, nihil amplius istis compositis verbis quàm simplicibus significari: quod confirmatur insuper etiam Syriaca versione, quæ composita ista verba perinde reddit ut simplicia. Hac eadem sane ratione, qua Auctor utitur, Bellarminus quoque probare nititur, Episcopis non prohiberi à Domino principatum & dominatum carnalem, unaque cum eo dignitates & præeminentias terrenas, sed tantum abusum istarum rerum. Quem refellit optime Piscator in suis observationibus quas habet in commentario super Matthæi 20. Græcas illas voces nullum ipsius sententiæ præbere præsidium, demonstrans. Sed Auctor quomodo Bellarminum refellere possit non video. Imprimis verò etiam locus 1 Petr. 5. 3 notandus est, in quo vox *κατακυριεύειν*, non duram & adversariam, uti asserit Auctor, sed simplicem dominationem significat. Non enim hoc sibi vult Petrus, ne Seniores in Ecclesia tyrannicè imperent ac dominantur, sed ne ullo modo dominantur & coactivam sibi potestatem usurpent.

III. *Et imperio tyrannico, multo etiam magis, ministerium & servum aliorum omnium esse opponitur.* Ita: quia hac oppositione omne imperium tollitur, etiam legitimum. Sed si Christus non imperium ipsum, sed tantum tyrannicum tollere voluisset, non profectò dominatui servitutem, imperio ministerium, sed tantum imperium legitimum illegitimo & tyrannico imperio opposuisset. Nunc cum ministerium imperio opposuerit simpliciter, manifestum est, eum non tyrannicum solum & illegitimum, sed omne omnino imperium tollere voluisse.

## ANNOTATIO XIV.

I. *Nunc de eo tantum, quæritur an ii qui vere sunt Reges, non ministrent & serviant populis, qui dum jus anxie & solícite dicunt &c.* Sed Christus non de tali ministerio & servitio agit, quo quis jus dicat aliis, sed quo subsit alterius juri & potestati. Sic enim Apostolorum ambitio non fuisset repressa; nam dixissent illi: Libenter & nos ita dominando serviemus. Deinde ita servire, jus anxie & solícite dicendo, de salute populi dies noctesque cogitando, eamque procurando, nec alium ullum in finem potestate sua utendo, quam in subditorum suorum bonum, etiam Ethnicis & à Christo alieni Reges possunt: at ea facere quæ Christus Matth. 20 imperavit, soli Christiani, si Reges non sint, possunt. Et quid obsecro alienius à mente Christi dici potest, quam cum suos discipulos à principatu capeffendo dehortatus, & ad ministrandum exhortatus est, voluisse eum, ut Christiani nihilominus Reges & Principes sint ac permaneant? Equidem ne per somnium quidem Christo in mentem venisse certum est: quia tales voluit fieri discipulos suos, qualis ipse fuit, qui certe Rex mundanus non erat, & dominando non serviebat.

II. *Est quidem hoc verum, habere Reges pro talibus servitiis ac ministeriis & principalibus curis, sua vicissim solatia ex honoribus, opibus, dignitate.* At ubi Chri-

Christus habebat sua ex honoribus, opibus, ac dignitate terrena solatia? Solatia talia nonnisi mundanis & hujus seculi filiis relinquenda sunt: qualis fuit & ille dives & epulo Luc. 16. Christianorum unicum solitium Christus est, in quo semper gaudere debent, alia omnia pro quiescentibus ducentes. Neque vero negaverim, aliquid solatii etiam ex terrenis rebus percipere Christianis fas esse: sed istud solatium perexiguum esse debet. Verum ex magnis honoribus, ex magnis opibus, ex magnis dignitatibus, quales sunt Regiæ, non possunt nisi magna concipi solatia: ideoque Christianis convenire non possunt.

III. *Sed quam multi sunt Reges, qui dominatu tantum fruuntur in alios, & voluptatibus sese toti dederunt &c.* Hi tales nec inter Ethnicos laudantur: & non est difficile inter eos invenire Reges ac Principes, qui contra fecerunt, magnamque ex contemptu voluptatum bonoque regimine gloriam sunt consecuti.

IV. *An ergo qui vere Reges agunt, non temporariæ felicitatis causa, sed ut æternam illam consequantur, per fidem in Christum, fide sua frustrabuntur?* Hoc perinde est, atque si quærat Auctor: An qui mundanum hominem agit, ut æternam felicitatem consequatur per fidem in Christum, fide sua frustrabitur?

V. *Quanto verò magis, si quamvis sint Reges & minime privati, tamen Christi præcepti memores, sicut privati se gerunt.* At hoc statui ac conditioni Regum repugnat, ut se gerant sicut privati. *Et longe infra suum statum sese humiliant.* Jamne infra statum suum? Atqui supra nonnisi in tantum humiliare eos se iussit, quantum status eorum patitur. Qua verò in re se debent humiliare? *In corporis cultu, inquit, in victu, in omni vita sua.* Hoc jam olim fecit Agesilaus, qui una veste hyeme & æstate usus est. Quid præ illo habebit Christianus Rex? *Vix ulla aliare, præterquam imperii majestate ab aliis distincti sint.* At vera ac perfecta humilitas imperiique majestas non bene conveniunt, nec in una sede morantur. *Visu faciles, dicto affabiles, omnibus, etiam minimis, accessum ad se dent, omnibus æquos ac benignos se præbeant, ac si non superiores, sed pares aut etiam inferiores essent, sine minimum quidem superbiæ vestigium in iis appareat.* Adhuc Auctor Regem tanquam Titum Vespasianum, Imperatorem Ethnicum, non tanquam Principem Christianum \* describit. *Si sanctorum pedes lavent.* Mirum, quomodo id cum imperii majestate possit consistere. *Denique pro Dei gloria & populi sui salute si sit opus, non tantum regnum deponere, sed etiam mortem oppetere non recusent.* Quam vellem fingeret Auctor aliquem casum, quo necesse foret, Christianum Regem Regnum deponere, vel mortem pro populi salute oppetere. Ego sane nullam reperio. Ita eo tandem clara & manifesta Christi præcepta rediguntur, ut iis exequendis nulla dari possit occasio vel necessitas! *An tales Reges & Principes, sicut juniores & ministrantes, seu ut apud Matthæum & Marcum est, ministri & servi omnium secundum hoc Christi præceptum non erunt?* Certe non erunt: nisi velimus dicere, etiam Ethnicos Reges posse huic præcepto Christi satisfacere, & nihilominus Ethnicos manere.

VI. *Nam quod ad Regiam potestatem attinet, hac non utetur in fratrem, sed in mæchum, in homicidam &c.* Sed & mæchi & homicidæ habent hoc in Evangelio Christi privilegium, ut si resipiscant, eis peccatum condonetur. Ergo gladio Magistratus protinus, sicut sub Lege fiebat, & in gentium Rebus publicis fit, tollendi non sunt.

VII. *Rex vitam temere ponere non debet, &c. sed si id Dei gloria & populi salus requirat.* Quando vero id gloria Dei & salus populi requirer? Quid opus est talem conditionem apponere, quæ nunquam detur in rerum natura? Satius est simpliciter dicere, Regem nunquam vitam ponere debere; nisi forte in bello.

\* Talia enim plerumque ab hominibus superbiæ vento turgentibus, ut hominum gratiam aucupentur, fiunt & fieri semper possunt.

Sic fortitudo Christiana in bellicam, de qua Christus & Apostoli ne somniantur quidem, mutabitur. Ne Christianus quidem simplex, si in regno Christiano sit, vitam ponere pro gloria Dei atque ob confessionem veritatis potest; quia sublato terrore Regum & summarum potestatum, simul tolluntur persecutiones ob veritatem: quanto minus Rex Christianus potest pro Dei gloria mori?

VIII. *Christus in terris versans longe supra omnes Reges dignior & diviniore &c.* Forma Dei in qua Christus fuit in terris versans, longe quidem digniorem & diviniorem supra omnes Reges statum denotat; sed non mundanum & carnalem. Nam secundum carnem Christus abjectissimus & contemptissimus fuit mortalium, in quo non erat decor, neque forma, in quo nihil fuit desiderabile, qui fuit vir dolorum, & tanquam abscondens faciem suam, unde pro nihilo reputatus est: ut est apud Esaiam cap. 53. Ad tantam humilitatem si se Reges debeant demittere, Reges esse desinere debent: quod si non debent facere statim, uti Christum agnoverint, in eumque crediderint, nullam ejus faciendi necessitatem unquam habebunt; ut frustra sit Auctor, qui eos id facere debere tantopere urget, si id Dei gloria & hominum salus postulet, hoc est nunquam.

IX. *Non usus est potestate sua divina in ullius hominis supplicium: quia non hæc tamen erat ejus vocatio & officium.* Et tamen Christianorum, qui Christi imitatores esse debent, hæc vocatio & officium esse putatur. *At nunquid utitur.* Recte. Sed nos eum non debemus in omnibus nunc imitari. *Et Paulus olim usus est ad infligendam Mago cecitatem &c.* Et hæc potestas singularis fuit, nulli hodie Christianorum concessa, adeoque in eo à nobis Paulus imitari non potest nec debet. Deinde hæc potestas non ad destructionem; sed ad ædificationem, ut non semel memorat Apostolus, data erat. Ideoque qui supplicio afficiebantur per eam Apostoli potestatem, iis tempus & facultas emendandæ vitæ non adimebatur; quin potius eo affligebantur sine, ut emendarentur: quod de extremo corporis supplicio, quod à Magistratu terreno infertur, dici nequit.

X. *Non sunt hæc mala moraliter &c.* Quis vero dicit hæc mala esse per se? Sed secundum quid mala esse dicimus, quatenus Christianorum officio repugnant, eisque haud conveniunt. *Nam & Ananias cum Saphira ad Petri dictum prociderunt mortui.* Hoc non tam Petrus effecit, quam Deus & Christus Petro loquente. Deinde tales exceptiones si faciat Deus à regula communi, non propterea tollit communem regulam. Si nobis idem quod Petro aut Paulo licere putamus, expectandum nobis est, donec tali etiam miraculoso, qualem Petrus & Paulus habuit, spiritu impleamur.

XI. *Vere Christus mortuus est, & victimam se dedit pro populo, tanquam Rex.* At quomodo potuit tanquam Rex mori, cum nondum re ipsa Rex fuerit; sed, ut supra ipse Auctor fassus est, isti dignitati tantum fuerit destinatus? Reges quidem Pastores sunt populorum, sed non omnis pastor populi statim Rex est: quia sic & Ecclesiastici Pastores Reges essent.

XII. *Et quid nos magis ad Christum trahit, quam cum cogitamus, Regem nostrum pro nobis esse mortuum?* Si cogitamus Christum, dum pro nobis mortuus est, fuisse Regem, falsum cogitamus; sed hoc nos trahit ad Christum, quod is qui nunc Rex est, olim pro nobis mortuus sit.

#### ANNOTATIO XV.

I. **Q**ui Christi exemplum imitabitur, vere Rex & vere magnus erit. Sed non secundum carnem. Verum secundum spiritum. Iraque si quis Christi exemplum imitari velit, magnus secundum carnem & Rex esse desinat oportet. Nam servum humillimum ac minimum omnium esse, & Regem esse adeoque maximum in terris, simul stare non possunt.

II. *Neque enim Reges occidunt, sed puniunt homicidia.* Lusus tantum est in vocibus. Nam & qui punit homicidia morte, occidit.

III. *At cum regnaret, jus morte plectendi meritos ac fontes habuit.* Si de Christo loquitur, aperte falsum est. Si de Rege Christiano, loquitur de Rege in Utopia, quæ nihil nisi ens rationis est. Proinde & is qui Rex esse & vivere etiam desit, ut aliis beneficeret, vere *ἡγεμὴς* dicendus est. Et hoc est loqui de re, quæ fieri non potest, nec unquam futura est.

#### ANNOTATIO XVI.

I. *Omnia hominum imperia res esse parvas & nihili, respectu veræ humilitatis &c.* Hoc quidem verum est. Sed nescio utrum Auctor id agnoicat, qui Christianos absque Regibus vilem plebeculam appellat, & miseram Ecclesiam Christi sine iis esse putat: denique Regibus non permittit imperia ideo deponere, ut vere humiles esse queant.

#### ANNOTATIO XVII.

I. *Christus tota vita sua non exercuit actus Regis.* At si Rex fuit reipsa, cur non exercuisset, quemadmodum nunc dum à dextris Patris confedit, exercet: *Quia hæc non erat ejus vocatio.* Ergo non hæc erat ejus vocatio, ut Rex esset; sed ut esset in statu humillimo, injuriisque obnoxio, ad patientiam exercendam aptissimo. Ad qualem statum cum & Christiani omnes vocati sint, teste Petro I Epistola 2. 21, & Paulo I Cor. I. 26, mirum est, quo modo Auctor nihilominus velit Reges inter Christianos dari. Si Christus simul Rex & humilis in mundo esse non poterat, multo minus alius quispiam ista duo adeo inter se frontibus adversis pugnancia in suo conciliabit exemplo. *Regnum enim ejus non erat ex hoc mundo.* Sed nec Christianorum Regnum est ex hoc mundo. *Τὸ πλῆθος* enim nostrum in coelis est: unde Servatorem expectamus Dominum Jesum Christum Philipp. 3. 20.

II. *Non sequitur autem omnes hujus mundi actus, quos Christus non exercuit, illicitos esse Christianis.* Sed sequitur, omnes mundi hujus actus, quos ita non exercuit, ut in eo se pro exemplo daret, quod omnes imitarentur, illicitos esse Christicolis.

III. *Nec ad exequendum Christi mandatum & exemplum imitandum semper requiritur, ut nos ipso jure ac dignitate abdicemus, seu ut conditione ac statu fiamus servi & ministri, sed sufficit, ut actiones servi ac ministri obeamus.* Hic latet maxima Christianæ pietatis corruptela. Quid enim opus erat Christo & Apostolis in tam humili & misero versari statu atque conditione, si non requiritur ad salutem, ut nos ipso jure ac dignitate terrena abdicemus? Nonne Christus cum Messias esset, jure Rex mundanus esse, seque pro Rege mundano gerere & splendido uti apparatu poterat? Hoc justamen & dignitatem hanc terrenam ille reipsa abdicavit, & in conditione ac statu humillimo vilissimoque fuit. Qua in re cum sui similes esse velit suos discipulos, Auctor tamen affirmare non veretur, posse aliquem & mundanum Regem esse, splendideque segerere, nec dignitatem Regiam facto ipso abdicare, & nihilominus Christum imitari, mandatoque Christi satisfacere.

IV. *Nam nec pueri fieri debemus proprie loquendo, Quia etiam non possumus, etsi vellemus.* Sed reipsa humiles statu fieri, Christi exemplo, semper possumus, quando volumus.

V. *Sic Christus non abdicavit se dominatu suo.* Quid? An terreno & mundano se non abdicavit dominatu. Fuit quidem ille etiam Dominus in terris. Sed utinam omnes essent etiam Domini! Certe nullam usquam ea de re moveret ulli Christianorum controversiam. Sed nunc cum Christiani non Domini tantum mundano more, sed & Reges mundani esse volunt; Christi exemplo tales defendere, est Christi exemplo prorsus abuti. *Nec cum serviliter se tractari passus est, desiderat esse Dei Filius, & jure suo se abdicaverat, ad*

*regnum cæleste.* Nempe quia maxime Dei Filius est & qui se serviliter tractari Dei causa patitur, & jus maximum ad regnum cæleste habet. Ideo nec nos volumus quenquam Christianorum desinere esse Dei Filium, aut jure se ad regnum cæleste abdicare. Sed Auctor ludit, nec serio rem agit, cum de abdicatione juris ad regnum cæleste loquitur, ubi probandum est, jus ad regnum mundanum Christianis non esse abdicandum.

VI. *Nec Paulus cum sese humiliaret, nullum stipendium accipiens à Corinthiis, jure suo cesserat.* Id quidem verum est: sed quid hoc ad jus Regium? *Nec suas amiserat secundum carnem dignitates, sed earum usu ultro carebat, propter Christi gloriam.* An ergo in ea qua ante apud homines fuit, remansit dignitate? An aditus ipsi ad honores patebat idem, qui antea, postquam Christianus & Christi Apostolus est factus? An non injuriis, ignominia, & perpetuis afflictionibus fuit undique expositus? Quomodo igitur dignitates secundum carnem non amiserat? Jus tamen, inquit, non amiserat ad dignitates, etsi usu earum careret. Bene est: Ergo & Rex jus ad regnum retineat similiter, per nos licet; sed usu regni & dignitatum Regiarum perpetuo, sicut & Paulus, careat propter Christum.

VII. *Non igitur opus est, ut Christianus Rex esse desinat.* Si non fuit opus, ut Christus Rex terrenus non esset, qui posset esse humilis; si non fuit opus, ut Paulus dignitatibus terrenis reipsa careret, qui posset Christum imitari in humilitate: tunc opus quoque non erit, ut Christianus Rex esse desinat, quo possit esse exemplo Christi & Pauli humilis. *Quod adeo falsum est, ut in verine humilitas esse possit major & illustrior, quam in Rege, licet regnum non deponat.* Quid? An etiam in Christo non fuit major & illustrior humilitas, quam in Rege terreno regnum non deponente? At certum est, in ipso Rege majorem & illustriorem esse humilitatem, cum deponit Christi causa regnum, Sed inquit Auctor, eum deponere illud non debere, si ad promovendam Dei gloriam & hominum salutem depositione ejus nihil sit opus, imo si opus sit, ad hunc ipsum finem, ne regnum deponat. Quasi vero Dei gloria non maxime promoveatur per ejusmodi humilitatem, qualem Christus nobis in exemplo suo proposuit: & quasi unquam opus sit ut promoveatur gloria Dei per regna & imperia mundana; per quæ Deum suam gloriam & hominum salutem promoveri nolle, tum praxis tot seculorum, tum Apostolus I Cor. I. 26 clarissime docuit.

VIII. *Quid hoc Rege foret præstantius, qui omnia maxima minimaque per se adiret ageretque &c.* Cum maxime Regem Christianum vult extollere Auctor, nihil tamen sublimius de eo dicere potest, quam de Agésilao aliquo vel Augusto Cæsare, alioque Ethnico & non Christiano Rege. Et tandem nomen & imperium Regium, quod relinquit Christiano Regi, satis ostendit, eum humilem, ita sicut Christus fuit, esse non posse. Istis certe encomiis ac virtutibus omnibus, quas hic Auctor enumerat, præstantius est, si Rex regno se Christi causa exuat, & ut eum lucrifaciat, reipsa quam nihili regna hujus mundi æstimet, ostendat.

IX. *Non servos fieri statu & conditione Christus jubet.* Non debemus quidem omnes simpliciter statu ac conditione fieri servi stricte sic dicti: sed tamen tali statu & conditione nos omnes esse vult Christus, quali ipse fuit. Ipse autem tali fuit conditione, ut non tanquam Rex potestatem exerceret in alios, sed ut ipse esset sub aliena potestate. *Filius hominis non venit ministrari.* (Sicut Regibus ministrari à multis ministris & subditis solet) *sed ministrare,* atque adeo alienæ potestati & imperio subjectus esse. Ex quo satis patet, Christianos, etsi statu & conditione liberi esse possint, non posse tamen statu & conditione Reges esse. Nam si & Reges possent retinendo mundana imperia, servilia officia & ministeria, ita ut Christus



fecit, obire: nunquam opus fuisset, ut Christus tam humili & abjecta in terris viveret conditione. An ergo certissimum & non potius erroris plenissimum iter ad veras dignitates monstret Auctor Regibus, cordati Lectoris iudicio committo.

### ANNOTATIO XVIII.

I. *Non hoc concludendum erat: Ergo nec Reges cum sese ad exemplum Christi componunt, Reges sunt reipsa.* Quid? Annon vere sic concluditur, quod reipsa secundum carnem Reges non sint, nec esse possint, quemadmodum nec Christus reipsa Rex fuit terrenus? Sed hoc, Ergo & Reges, dum sese ad exemplum Christi componunt, ad æternam in cælis gloriam perveniunt. Certe, si se componant, id est, Reges esse definant: Christus enim Rex mundanus non fuit. Neque enim humiliare sese & Regem esse, contraria sunt, sed diversa. Sed ita sese humiliare, sicut se Christus humiliavit, & Regem esse, omnino contraria sunt, non tantum diversa.

II. *Et, si Filium Dei esse καὶ ἱερόν dictum, & sese humiliare, in uno subjecto consistere poterant.* Quid vero inde concludet Auctor? Quanto magis, ait, poterunt, Filium Dei esse communiter dictum, & sese humiliare, in uno subjecto consistere? Conceditur totum. Sed non de eo nunc est quæstio. Hoc concludendum erat: Ergo & Regem esse ac manere, & sese ita humiliare, sicut se humiliavit Christus, in uno subjecto poterunt consistere. Si dicat Auctor, & Reges esse vocari que filios Dei: velim ipsemet dijudicet, quantum interfit inter illos Dei filios, quales etiam impii & Ethnici & infideles esse possunt, & inter tales filios Dei, quales Christiani esse debent. Illi ob potestatem solam, hi ob sanctitatem filii Dei dicuntur. A Christo igitur filio Dei καὶ ἱερόν dicto ad hos Dei filios valet quidem collectio Auctoris, sed non æque valet ad illos.

### QUÆSTIONIS II. ANNOTATIO I.

I. *Injuria Vir Præstantissimus hanc secundam Quæstionem Tertiæ postposuit.* In ordine quidem & loco, quo quæstio aliqua tractetur, minus situm est: dummodo de re ipsa inter nos convenire possit. Interim tamen si naturæ ordo spectandus sit, justius dici potest, quæstionem secundam à tertia pendere, quam hanc ab illa. Quia publicum jus bellandi non aliunde, quam à privato uniuscujusque vitæ conservandæ ac defendendæ jure naturaliter dependet ac deducitur. Nam ideo licet omnibus bello se defendere, quia unicuique jure naturæ armis se defendere licet: & si naturaliter non haberet quilibet jus privatim vim vi repellendi, ne publice quidem hoc faciendi jus Republicæ haberent. Sed patiamur sane Auctorem eo, quo vult, ordine procedere.

II. *Non venit in mentem Auctori, ut in priori quæstione exemplum Christi pro norma & regula poneret, secundum quam Reges munus suum administrare teneantur, si vere Reges esse velint.* Quid ergo sibi vult? Sed ut etiam ipsi Reges exemplum Christi imitarentur & mandatum humilitatis exequerentur &c. Bene est. Ergone debent munus suum Regium deponere, ut Christi exemplo fiant conformes? Non, dicit Auctor: sed munus suum retinere, & tamen sese humiliare Christumque imitari debent. Ergo hoc sibi vult, quod Reges ita debeant munus suum administrare, ut in suo Regio statu atque munere Christi exemplum imitentur, & humilitatis præceptum exequantur. Quid vero hoc aliud est, quam dicere, Reges debere secundum normam exempli Christi munus suum administrare.

III. *Nec alio fine scripsit, quam ut eas supervacaneas ostenderet.* Utinam vero serio Auctor has Quæstiones supervacaneas esse crederet. Sed quam diu stultum esse putat, dicere, quod Christiano non liceat bella

gerere, tam diu frustra est, cum quæstiones has supervacaneas esse asserit.

IV. *Interim tamen divinam purgaret veritatem, ne quid ei annexum esse crederetur affine stultitiæ, &c.* Videat vero Auctor, ne dum vitat adeo affinitatem stultitiæ, ipsam divinam amittat veritatem.

V. *Nunc prout sunt & fortassis semper erunt seculi res, periculum non est &c.* Atqui non semel in Polonia hætenus ad expeditiones publicas vere Christianis Republica indiguit, ita ut salvis juribus ac immunitatibus suis Christiani eas omittere non possent. Quomodo igitur dicit Auctor, nunc periculum non esse, ut veri Christiani bella gerant?

### ANNOTATIO II.

I. *Ego vero hanc disquisitionem valde curiosam, & sub specie quadam religionis & fiduciæ in Deum, religioni ac fidei noxiam puto.* Quam vero disquisitionem? An eam, qua quæritur utrum sanctissima Novi Foederis promissa permittant, ut populum Christi pium hostes invadant. Ita mentem nostram intellexit Auctor in Annotationibus expressam. Sed perperam. Nam & ipse hanc disquisitionem curiosam noxiamque puto. Et adversus eam Auctor recte disputat, quod id sit in judicia Dei inquirere, iisque modum ac finem ponere. Longe aliud est id, de quo disquirendum esse dictum à nobis est: nempe an promissa Novi Foederis permittant populum Christi pium ita hostili invasione tentari, ut nisi vi hostili parem vim & arma opponat, misere sit periturus. Posse Deum permittere, ut in periculum vitæ incidat homo vere Christianus, quin etiam ut in eo pereat & occidatur, nullum est dubium. Deo enim jus est absolutum in vitam etiam innocentissimorum hominum, ut possit eam, quandoque velit, & quacunque ratione velit adimere. Sed hoc quæritur, An Deus, qui Christianos voluit esse tanquam oves ad mactationem semper paratos, nec ullo alio quam suo præsidio nixos, velit hac conditione ab hostili invasione defendi, ut ipsi arma capiant, & sanguinem hostium effundant, & nisi hoc fecerint, ut misere pereant? Atque hoc est quod à nobis negatur: quod cum Auctor non satis attendisset, non tantum multa frustra & præter scopum disputat, sed etiam sæpe injustam de nobis censuram facit.

II. *Ego vero sic sentio, disquirendum ante omnia esse, sitne peccatum hosti regnum invadenti vim opponere, nec ne?* Atqui paulo ante tales quæstiones dixi esse supervacaneas, jam autem ante omnia id disquirendum esse ait. Cæterum disquiratur id sane ante omnia, dummodo nihil quod Christi doctrinæ contrarium sit, statuatur. Non video, cur Deo non liceat permittere, ut eos hostes invadant. De eo sane nemo dubitat, sed hoc est id ipsum, in quo Auctorem non satis percepisse mentem nostram dicimus. De eo nos dubitamus, an Deus possit permittere in Christianos hostium invasiones, eo consilio, ut nisi ipsi strenue pugnant, pereant; si pugnent serventur?

III. *Si homines terram non arant, nec colant, nec conferant, nonne sibi ipsis causa sunt famis & interitus?* Omnino. Sed videamus, an eadem ratio sit armorum. Famem ut labore nostro cibos quærendo pellamus, nos docet ipsum Christi Evangelium: si quis enim operari nolit, ei cibum verat dari Apostolus. Hinc & benedicere Deus nostris laboribus promisit, ita ut Deo confidere certo possimus si pie vivamus, & in laborando simus diligentes, cibos nobis non defuturos, ex promissione Christi Matth. 6. Ubi vero quicquam tale legimus in Evangelio de armis sumendis ad tuendam vitam resque ad hanc vitam pertinentes? Imo, nonne omnia invenimus in Novo Foedere iis contraria? Nam tantum abest, ut jubeamur vim vi aut arma armis repellere, quemadmodum jussi sumus famem labore manuum nostrarum pellere: ut potius vi resistendum non esse clare præceptum sit Matth. 5. & malum maio

non reddere, sed malum bono vincere. Deinde tantum abest, ut nobis in Novo Testamento promissa sit Dei in praeliis benedictio, quemadmodum in ordinariis laboribus ad vitam spectantibus promissa est, ut contra Christus minatus sit omnibus, qui gladium ad cecidendum sumpserint, eos gladio perituros esse Mat. 26. 52. Præterea tempora Evangelii ita descripta sunt per Prophetas, quod nulla in iis bella locum habitura sint: at nusquam scriptum est, quod homines non sint araturi, non terram culturi: Imo dum dictum est, *Convertent eses in vomeres, & hastas in falces*, eo ipso prædictum est, Christianos araturos, & non bella gesturos. Ergo harum duarum rerum multum diversa est ratio. Ibidem prædictum est, quod sese non sint exercitaturi amplius homines ad prælium. At ex Auctoris sententia tenentur & hodie Christiani se exercere ad palum, & artem tractandi arma discere, quemadmodum quilibet Christianorum tenetur discere artem aliquam, qua victuri acquirat. Quod quomodo cum mente Spiritus Sancti per Prophetas loquentis conveniat, nulla ratione videre possum.

IV. *Nunquam est Deus ad miraculosa & extraordinaria agendus, cum adsunt ordinaria.* Deus non agitur à quoquam, nec agi potest. Sed quando ipse nobis ordinarium medium repellendi hostis, id est, arma è manibus eripuit, & ipsemet sese nos tuiturum promissit, non est hoc tentare Deum, sperare in eum, quod nos ipse defensus sit, vel viam evitandi periculi absque hostilis sanguinis effusione ostensus, vel denique si ipsi placeat nos in manus hostium tradere, per nostram mortem nomen suum glorificaturus.

V. *Nec si nulla adsint, à Deo exigendum est unquam, ut nos nihilominus conservet:* Exigere id à Deo precibus licet: quia promissiones de nobis conservandis à Deo habemus per Christum factas. Sed quia promissiones istæ sunt cum conditione factæ, ideo etiam cum tali conditione à Deo, ut nos conservet, exigendum est, si nimirum id sit voluntati ejus consentaneum. In precibus enim de rebus temporalibus semper Christi exemplo addendum est; Non nostra, sed tua, Pater, fiat voluntas.

VI. *Ideo nos turbare nihil debet, etiamsi videamus pios ignibus & incendio consumi &c.* Omnia ista præter rem sunt, de qua inter nos agitur. Nam non negamus, Deum posse, salvis promissis Novi Fœderis, in pios Christianos immittere qualemcunque mortem. Hoc plane in confesso est. Sed animadvertat velim Auctor melius rem, quæ in quæstione est. Deus promissit per Christum se nos defensurum. Hanc promissionem Auctor putat habere adjunctam talem conditionem, ut ipsi arma sumamus, eisque pugnemus contra hostes. Contra vero, à nobis negatur conditionem hanc cum ista promissione posse consistere: quia promissio ista facta est nobis non ad bellum, ad pugnas, & ad arma vocatis, sed ad patientiam, ad innocentiam summam, ad cultum Dei sanctissimum, in quo puram non à cæde solum & sanguine, sed etiam à rixa & contentione omni mentem manusque nos habere oportet. Quando Deus sub Veteri Fœdere promissit Israëlitis, se eos defensurum & pro finibus eorum excubias acturum, eo tempore, quo sacris vacarent: potuitne fieri, ut isti promissioni Divinæ adjuncta esset hæc conditio, ut & ipsi Israelitæ armis se domosque suas contra hostes defenderent, ac pro finibus excubarent? Annon manifestum est hanc conditionem nulla ratione cum ista promissione potuisse consistere? Eodem itaque modo & de hac in Novo Fœdere Christianis facta divinæ protectionis promissione judicandum est. Nobis non sunt ejusmodi festa, quæ ad certa tempora sint adstricta: non talis est propositus Dei cultus, qui certis diebus tantum ac locis & per certos homines peragatur: sed apud nos cultus Dei semper in spiritu & veritate peragi debet: festum nostrum Christianum perpetuum est, non in fermento veteri malitiæ & iniquitatis, sed in azymis sinceritatis & veritatis quotidie

celebrandum. Omnes & singuli Christiani Levitæ sunt & Sacerdotes, ad offerendas hostias laudis à Deo per Christum selecti & sanctificati. Tales ergo cum simus, & talis cum sit nostra vocatio, nequaquam dici potest, Deum promississe nobis tutelam suam cum ea conditione, ut nos ipsos armis tueamur. Aliæ conditiones possunt esse promissioni isti annexæ, nempe ut fugiamus, ut nos pecunia ab immanitate hostis redimamus, aliaque innoxia media adhibeamus: hæc enim nec cum patientia, nec cum sanctitate cultus nostri pugnant. Sed conditio arma tractandi, nequaquam potest cum promissione divina consistere, propter rationem jam dictam: Cui & hæc addi potest, quod si ista conditio promissioni defensionis divinæ adjuncta esset, necessarium foret, ut Christiani semper armati incederent, ut arma vibrare discerent, inque arte gladiatoria, nec non pyrotechnica sese omnes sedulo exercerent. Quod an per se Christiani hominis officium esse dici possit, ipsum Auctorem judicare velim.

VII. *Nam intempestive fugere, ignavi proditoris est potius patriæ, quam veri Christiani.* Atqui is nunquam intempestive potest fugere, cui sola fuga ex malis impendentibus relicta est. *Quo nullus in Patriæ defensione fortior est & esse potest.* Quasi vero non fortiores sint & esse possint, qui in hoc mundo veram patriam & summum suum in terrena patria bonum situm habent: quique id unum agunt, ut quam optimi bellatores evadant, in eoque maximam gloriam ac felicitatem suam reponunt! Et quasi hæc fortitudo bellica usquam in Evangelio sit Christianis commendata! *Christiani olim sciebant à Christo & Prophetis &c.* Sed & hodie scire possunt Christiani bella esse Dei judicia, quæ ipse ob populorum flagitia immittit. Ergo ut se judiciis divinis immisceant, nihil est opus; sed potius ut iis se subducant opus est.

VIII. *Si hoste ingruente omnes fugerent, quis Patriam defenderet? Quam vero nobis patriam toties Auctor ingeminat? Annon*

Omne solum sanctis patria est, ut piscibus æquor,  
Ut volucris vacuo quicquid in Orbe pater?

Imo nonne cælum Christianis patria est? in terris autem nonne exules sunt? Glebane illa aut pugillares terræ in qua nascimur, tanti apud nos Christianos debet esse momenti, ut pro ea retinenda vel nostram vitam Deo consecratam, vel alienam in discrimen adducere, omniaque cædibus ac ferro miscere debeamus? Quid amplius faceret Judæus pro terra sua Chananæa? quid Ethnicus & mundanus pro ea hæreditatis suæ portione, quæ ipsi in hoc seculo summi boni loco obtigit? At Christianis non in hoc seculo hæreditas aut patrimonium ullum assignatum est, sed in futuro. Non habent hic manentem civitatem, sed futuram expectant. Quam importunum esset, si quis peregrino, cum videt Regnum aliquod turbari & bellico strepere apparatu, auctor sit ne fugiat, sed se viriliter opponat, pro alieno regno cum vitæ suæ discrimine? Quamque stultus foret peregrinus ille, qui suavori ejusmodi morem gereret? Quanto stultior Christianus foret, si sibi persuaderi patiatur, ut sibi terræ portiunculam aliquam, in qua hospes est, omnium rerum vitæque suæ cum jactura defendendam putet?

IX. *Quam profecto sanguinis & vitæ suæ impendio redimere & conservare, ut plerumque fit, longe præclarior & magis Christianum est &c.* Hoc vellem nobis, non Auctor, sed Christus vel Apostoli dixissent. Sed in istorum scriptis nihil tale legimus; verum omnia potius contraria. Miror profecto, quomodo homines pii alioquin, & in Sacris Literis exercitati, possint tam mundanum haurire atque imbibere spiritum, ut res Apostolis ignotas & inauditas, quia eas mundus in rebus divinis cæcus admiratur, tanquam veras Christianas virtutes æstimare, aliisque commendare audeant.

## ANNOTATIO III.

I. *Det mihi Vir præstantissimus vere Christianos milites ac duces.* At hoc tale postulatam est, atque si dari sibi vellet vere Christianos latrones, vere Christianos adulteros, vere Christianos fures. Atqui, dices, tamen pius miles erat Centurio ille Cornelius, piusque habebat milites. Poterant illi quidem pii esse ex lege naturæ & secundum jura politica viventes: sed Christiani non erant, nec esse poterant. Multo sane plus ad pietatem Christianam, quam ad naturalem aut Legalem requiritur.

II. *Et si bellum gerendum sit, gerent bellum, ut vere Christianos deceat.* Ergone non cædent, non rapient, non vastabunt? ergo in illa belli licentia non peccabunt? At hoc est revera velle tunicam lavare & eam non maderfacere. Ingenue Strada proficitur: *Bellum hoc quoque nomine ira Dei est, quod sæpe in eo necessitate peccatur.* Agnoscit idem Grotius: *Sæva res, inquit, est bellum, cumulumque secum trahit injuriarum & insolentia.* Et alibi Taciti verba laudat, qui ait in *pæce causas & merita spectari, ubi bellum ingruat, innocentes & noxios juxta cadere.* In annotationibus autem in Matthæi 5. pie sane scribit, sed ita ut totam revera disputationem suam pro bello subvertat. *Æquum, est, ait, quantumvis dura nos pati, quam ad eam venire disceptationem, quæ bonos malosque iisdem malis involvit. Privata defensio in periculum adducit solum invasorem. Supplicia capitalia in facinorosos sunt constituta. At in bello innocentes non minus quam nocentes utrimque pereunt & spoliuntur.* Etiam sanctissimi homines, si se in militiam darent necessario inquinarentur. Quis enim picem tangere potest, & non maculari? David ille vir ad Dei voluntatem factus, etsi Domini bella gereret, non tamen potuit puras & impollutas in bellis servare manus: ideo etiam indignus & inhabilis judicatus est à Deo ad ædificandum Domino templum.

## ANNOTATIO IV.

I. *Hæc annotatio illos tantum petit, qui bellum patriæ defensione simpliciter & in abstracto, seu absolute ac per se Christi legibus prohibitum putant.* Sed Auctor & hos, si lege civili ad militiam & bella adigantur, in militiam ire debere, vel salva conscientia posse autumat: aut si non autumat, cur hanc exceptionem non addidit.

II. *Qui patriam defendere & in ejus defensione etiam, si Deus velit, occumbere rem sacram & Christiano dignam existimant.* Unde vero qui sic existimant, hoc didicerunt? ubi hoc apud Apostolos usquam scriptum est? In novo aliquo, & alio, quam Christi est, Evangelio, id extet necesse est.

III. *Eunt ad bellum, ita sese in bello gesturi, sicut vere Christianos deceat.* Ergo ibunt etiam ad bellum injustissimum, & vitiis ac sceleribus plenissimum (nam talia hodie geruntur bella, de quibus nunc queritur, an ad ea Christiani lege jubente ire debeant) & ibi se gerent sicut vere Christianos deceat? Atqui Scriptura „clamat: Exite è medio eorum, & separamini, & impurum ne attingite. Quæ enim communio lucis est „cum tenebris? quæ portio fideli cum infideli? Et quæ „concordia Christo cum Beliali?

IV. *Quos reprimere & à Patria cervicibus avertere pium ducunt, non Christi præceptis contrarium.* Si hoc vere pium est, cur igitur tantopere dehortatur Auctor Christianos, ne hanc pietatem sponte exercent? cur non vult eos ultro proficisci in bellum, & occasiones de industria querere vel acceptare patriæ juvandæ. Equidem aut hanc non esse veram pietatem agnoscendum est, aut concedendum, ut Christiani ex amore patriæ etiam legibus publicis non cogentibus militiæ dent nomen. Non potest enim esse vitiosum ullo modo, pietati exercendæ ultro ac sua sponte operam

dare. Imo talem pietatem dissuadere impium est. *Quibus utendum est non abutendum.* Utri nostrum utantur præceptis Christi, utri vero abutantur, optime Christus ipse olim judicaturus est. Interim præceptis ejus & pietati ac vocationi Christianæ multo magis nos consentaneè loqui, quam qui contrariæ sunt sententiæ, quilibet æquus rerum æstimator, ut opinor, fatebitur.

V. *Vere Christiani nunquam quicquam in hac vita, imo vitam hanc ipsam tanti ducunt, ut illius causa præcepta Christi violanda sibi putent.* Ergo nec malum malo vincent, aut pro malo reddent, non oderunt se vexantes & persequentes, injuriamque potius ferent, quam proximi vitæ noceant. Nam hæc omnia præceptis Christi continentur. *Sed nec ita vilia habent, patriam præsertim, ut eam ab hostibus & invasoribus defendi dignam non existiment.* Quomodo defendi? armis, certamine, cœdibus? Atqui Paulus jubet, ut damnum potius patiamur, & injurias sustineamus, quam litigemus de rebus hujus vitæ: quanto magis ferenda nobis sunt potius omnia mala, quam ut sanguinem vel nostrum vel alienum, rerum caducarum causa profundamus? Si essemus sub Veteri Fœdere, ubi terræ patria nihil melius, nihil dulcius fuit, audiendus esset Auctor talia asserens: nam nihil dicir hic de Christianis, quod non potius de Judæis sub Lege existentibus dici possit. Nunc vere indignum est, terrenam patriam adeo Christianis commendari, ut se vitamque suam ei debeant impendere, quam non nisi pro gloria Dei Christique & pro hominum salute impendendam esse ex Evangelio didicimus.

VI. *Qui si dum aliena rapere volunt, intereant, non à defensoribus, sed à seipsis interiisse censendi sunt.* Quam miserum hoc est effugium? Imo proprie loquendo à defensoribus intereant: quia nisi hi eos occidissent, non interiissent. Potest quidem, sed nonnisi per impropriam locutionem dici, quod à seipsis invasores intereant, quatenus ipsi occasionem & ansam defensoribus ad se necandum dant. Sed interim causa necis eorum proxima sunt defensores. Neque etiam sequitur, quia hostes ipsi sunt in culpa quod occidunt, ideo eos in culpa non esse, qui ipsos occidunt. Nam potest tam horum quam illorum esse culpa. Sicut qui percutit innocentem, peccat sane; sed non minus peccat qui repercutit: quia facit contra præceptum Christi Matth. 5. 39. Ita culpa est in utroque, nec potest posterior iste ita excusari, quod injustus percussor non ab illo ictum reddente, sed à seipso percussus sit.

VII. *Cum & hæc sint media, quibus justus sese sustinet.* Talia sunt ista media, quæ habere debet Christianus tanquam non habens, nec mordicus ea retinere: sciens se etiam his amissis vivere posse. *At opus acquirere & possidere citra omnem aviditatem & injustitiam, Dei benedictio & donum est.* Talis est ista Dei benedictio, ut tamen nemo propterea felix aut benedictus sub Novo Fœdere dici possit: tale donum Dei, ut nec Christus illud habuerit, nec nos illud expetere jusserit. Non sunt res terrenæ hodie tantopere commendandæ, neque in eodem æstimo habendæ in quo fuerunt sub Veteri Fœdere; cum in iis summum bonum repositum esset, cum illæ erant pietatis merces à Deo propositæ, ad quam anhelare omni ope pium justumque fuit. Nunc magnanimitatis est, res istas, quas benedictionem & donum Dei vocat Auctor, contemnere. Præclare autem Augustinus, citante Grotio: *Quomodo apud divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

VIII. *Hinc & divitiis præscripta sunt officia.* Quæ lia vero officia? ne pecuniam ament, ne spem collocent in divitiis incertis, sed in Deo. Atqui qui divitias defendit totis viribus, etiam cum invasorum cæce ac internecione, quomodo dici potest non amare divitias, neque in eis spem collocare? Quid enim homo divitiis addictus & rebus hujus sæculi immerfus, adeoque in eis spem ac fiduciam penens, (quales sunt ho-



dei & Ethnici, quin & falsi ac mundani Christiani) amplius ad eas defendendas facere posset?

**IX.** *Neque tamen eas hostibus dare diripiendas, uxores & filias violandas &c.* Non dat res suas diripiendas, & violandas uxores ac filias, qui facit, quicquid salva pietate facere potest: in tempore eas periculo subducendo, cum hostibus paciscendo, & similia. Quod si innoxia media nihil proficiant, extra culpam est: alioquin etiam dare hostibus res suas diripiendas dicendus esset, & uxorem ac filias violandas, qui eas abnegando veritatem non defenderet. Ergo medium armorum ac defensionis cum cæde hostium conjunctum, respectu Christianorum pro nullo habendum est.

**X.** *Hoc certum est, nobilem Polonum esse, & militem esse, per leges publicas equipollent.* Et tamen Auctor in militiam ut eant ultro nobiles Poloni vetat. Unde patet aliquando licere per leges publicas esse Nobilem Polonum, & non esse militem. Itaque etsi militem esse semper cum legibus Christi pugnat, non opus est, ut semper etiam Nobilem Polonum esse cum iis pugnet. Etsi vero hæcenus solum jus nobilitatis effecerit, ut Ecclesiæ nostræ in Polonia haberi possent; non tamen inde sequitur, nobilem Polonum quacunque ratione esse licere. Nam si sub Turca essent Ecclesiæ nostræ, jus quod Turca habet, efficeret ut haberentur ibi Ecclesiæ, neque tamen Christiano Turcam esse licet. Christianis jure nobilitatis per se non opus est, ut Ecclesias habeant: nam & sub alienis habere Ecclesias possunt. Apostolicæ Ecclesiæ an ullo jure nobilitatis munitæ fuerunt? & tamen floruerunt ubique. Sed ne antiqua tantum crepemus exempla, an Judæorum? & ut de Christianis loquar, an Communistarum, Menonitarum, & Remonstrantium Ecclesiæ aliquo Nobilitatis jure nituntur? Desinat ergo Auctor tanopere jus nobilitatis extollere, & adeo ad Ecclesias habendas necessarium ducere. Equidem multo melius Majores nostri consulissent Ecclesiis nostris, & veritati divinæ in Polonia, si nobilitatis jus aut penitus abdicassent, aut aliquam inivissent cum Republica rationem, qua & Nobiles manere, & ab onere tum in militiam eundi, NB. tum per Trinitatem atque imaginem Christi jurandi immunes essent.

**XI.** *Ut mirer solum cor purum à Viro Præstantissimo hoc loco requiri.* Solum cor purum non simpliciter à nobis requiritur ad cultum divinum, sed tum deum, cum per hominum sævitiam non licet externis uiribus. Quod confessionem & conventus attingit, ne ista quidem arbitramur potestati hominum esse subiecta. Nam ea nobis interdicare non possunt, si vitam & omnia quæ habemus perdere ea de causa parati simus. Cæterum nihil præclarius dici poterat ab Auctore, quam quod nec Ecclesia, nec ulla res alia peccato redimenda sit, quando nobilem esse peccatum est. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

**XII.** *Nihil unquam Deus omnibus præcepit, quod non omnes assequi possint.* Possunt quidem omnes illa assequi, quæ Deus præcipit, si faciant vim sibi & carni suæ. Sed quia in carne domanda gradus sunt, ad quos non omnes possunt pertingere; siquidem non omnes sunt ejuldem naturæ & indolis: ideo Deus pro sua benignitate non omnes ad unum eundemque gradum pietatis obstringit. Ab aliis enim fructum centesimum, ab aliis sexagesimum, ab aliis etiam trigésimum acceptare paratus est. Interim ut Christus quam perfectissimam traderet disciplinam, ad quam omnes pro virili vivere contenderent, consentaneum fuit. Quemadmodum ludimagistrum decet quam elegantissime pingere literas, ad cujus exemplaris perfectionem etsi pueri nequeant pervenire protinus, tamen ut illius æmulatione discant subinde proficere opus est. Et ad prima tendentem honestum est etiam in secundis aut tertiis consistere.

**XIII.** *Sed inde non sequitur, nemini licere ut sit quod Christus non fuerit.* Sed inde tamen sequitur,

nemini licere contrarium facere, quam Christus fecit. Jam vero maritum esse, œconomum, opificem, mercatorem esse, non est contrarium ei, quod Christus fecit, sed diversum tantum. At Regem esse, militem esse, & hostes gladio persequi atque interficere, omnino est non diversum tantum, sed & contrarium factis Christi.

**XIV.** *Christus vitam suam alieni sanguinis profusione non redemit, quia ut id faceret, nunquam opus erat.* Atqui in periculo vitæ à maleferiatis & inimicis non semel fuit. Et tamen non habuit opus, ut redimeret vitam suam alieni sanguinis profusione: nimirum quia noluit. Ita igitur & Christiani si nolint, nunquam ut id faciant opus habebunt.

**XV.** *Christus bellum non gessit pro Patria, quia Rex ex hoc mundo non erat.* Ubi vero Christiani sunt Reges ex hoc mundo, aut Regnum ex hoc mundo habent? *Nec militavit pro Patria, quia vocatio ejus non erat ut miles esset.* Ubi vero Christianorum vocatio est, ut sint milites? *Sed perfectissimam charitatem erga omnes exercuit.* Nimirum etiam erga hostes & capitales inimicos, quos vi sua perdere poterat. Atque hanc charitatem etiam Christiani exercere erga hostes & invalores suos nefarios debent. *Cujus perfectionis non extrema pars est, Patriam defendere: armis scilicet.* Ubi autem hujus perfectionis vola ulla in Christo vel vestigium? Patriam deserere, ex eaque excedere, si non sit in ea locus exercendæ pietati; patriamque ducere, ubicunque est locus Deo serviendi ac pie vivendi: hoc nos docet disciplina Christi, non pro carnali patriæ tranquillitate pugnare vitæque periculis objectare. Carnalibus hominibus, hujus mundi mancipiis partes istæ relinquendæ sunt, qui eis rectius multo fungentur, propriam suam tuentes felicitatem, quam Christiani, si tueantur alienam.

**XVI.** *Nullo modo tolerandi sunt in Ecclesia, qui contra aperta Christi præcepta faciunt.* At quam multos nihilominus toleramus tales in Ecclesia. Certe si omnes, qui contra aperta Christi præcepta faciunt, ejiciendi essent ex Ecclesia, paucissimi in Ecclesia remanerent. Nimirum charitas, quæ omnia sperat, adeoque spes resipiscentiæ & emendationis, nos jubet multorum tolerare vitia, ut eos non statim sanctorum privemus communione. Unde patet tolerantia locum non in adiaphoris solum, sed in iis quoque quæ per se mala ac vitiosa sunt, esse posse.

## ANNOTATIO V.

**I.** *Hæc Auctoris mens est, bellum in genere & absolute non ideo dammandum esse, quod in singulari & individuo geratur ab injustis &c.* Quid vero attinet bellum fingere, quod in singulari & individuo geri possit à justis? Bellum non potest geri sub Novo Fœdere nisi ab injustis. Nam aut aliena appetunt, aut sua nimis retinere laborant: aut injuriam inferunt, aut illatam pati non vult; quod utrumque secundum Evangelium Christi injustum est. *Unde bella & pugnae inter vos? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Jac. 4. 1. *Quare non potius injuriam accipitis? Quare non potius damnum patimini?* 1 Cor. 6. 7.

**II.** *Angeli certe, quos hic nominat, semper inculpate ingentes fecerunt cades.* Quod de Angelis dictum est, ea mente dictum est, quod si humano more bellum gerere deberent, inculpate illud gerere non possent. Alioquin eos ingentes impiorum fecisse cades verum est: sed Deo, qui Dominus est vitæ & necis, jubente, & modo plane supernaturali. *Qua in re si quid per se malum ac turpe foret, nunquam Angeli turpitudinis aliqujus aut rei per se male ac vitiosæ fuissent ministri.* Dupliciter res aliqua dicitur per se mala ac turpis: vel ita ut per se malum significet id, quod natura sua malum est, etiam si divinum interdictum non accedat; vel ita ut per se malum significet id quod natura quidem sua malum non est, sed tantum propter divinum in-

terdictum. Atque in hac posteriori significatione bellum res à nobis per se mala atque illicita esse Christianis statuitur. Rem quæ priori sensu per se mala est, ne Deus quidem facit, nedum ut Angeli faciant, aut facere possint. Posterioris generis res malas Deus & facere & jubere Angelis, vel hominibus potest, & rursus prohibere quibus velit. Itaque absurdum in eo nihil est, quod etsi Angeli, dum cædes impiorum faciunt, non sint turpitudinis aut rei per se malæ ac vitiosæ ministri, Christiani tamen rem malam per se & turpem facerent, si cædes impiorum facerent.

III. *Belli quod iusti ac pii, & vere Christiani homines gererent, ideam adumbrare nihil attinet, cum hæc ex ipsa iustitiæ ac pietatis Christianæ natura peti possit.* Ex iustitiæ ac pietatis Christianæ natura petere belli ideam, est petere aquam ex igne, ex luce tenebras, & contrarium ex contrario. Nam sic ex doctrina, qua jubemur diligere inimicos, eliciendum esset, eos occidendos esse; & ex eo quod malum malo pensare prohibeamur, colligendum esset, malum pro malo reddendum esse: quod si non est doctrinam Christi prorsus subvertere, nescio quid sit.

#### ANNOTATIO VI.

I. *Omnia quæ hic dicit Vir Præstantissimus, præter scopum & mentem Auctoris sunt.* Scopus ac mens Auctoris est, bellum tum demum à Christianis gerendum esse, ubi sancti & regeniti fuerint. Recte itaque responsum, etiam nunc dari sanctos ac regenitos Christianos. Ergo & nunc à Christianis bella gerenda essent: quod tamen fieri non vult Auctor.

II. *Queritur de bello, in quo nulla sit iniustitia, nulla scelera ac vitia.* Hoc est querere de igne, qui non fit calidus, de aqua, quæ non fit humida. Deinde quid impedit iniustitia alterius, quid scelera aliena & vitia, quominus sanctus ac regenitus Christianus bella gerat? An quod alii peccent, ille ideo peccaturus est? Christianus etiam in medio peccatorum se potest purum servare sicut Lot in Sodoma. *Quid hoc ad bella, quæ geruntur ab irrogenitis, & sicut geruntur?* Hoc, quod si militare per se Christianis illicitum non est, immo negetur, bellis quæ geruntur ab irrogenitis, non debere regenitos & sanctos homines interesse, ex solo amore patriæ, quamvis eos nulla alia stringat necessitas. *Quid hic facit privati hominis adversus invasorem defensio?* Hoc facit, quod, si ad id ut liceat privato homini se defendere adversus invasorem, non requiritur ut sit regenitus; nulla causa sit, ut id requiratur, si patria à civibus contra hostes defendenda sit. Unde sequitur, nihil agere Auctorem, dum officium esse putat Christianorum, patriam armis defendere, & nihilominus Christianos arcet à militia, qua patria eorum defendatur ac juvetur, sed eos expectare jubet, donec omnes fiant regeniti.

III. *Cum quo enim gererent? cum hoste? at qui illud gerat, Rex & Magistratus & Regnum est.* An vero Christiani ad Regnum non pertinent? annon sunt membra civitatis aut Reipublicæ? An aliis concedere debent amore erga Patriam, & promptitudine in officio faciendo? Alii sunt, inquis, qui id faciant. Sed cur aliis relinquere debeo conservandæ patriæ officium, quod tam mihi quam aliis incumbit? Si parens alicujus esset in periculo, licetne filio, periculum istud patris otiose spectare, vel aliis rebus interea occupari? licetne cogitare, sunt alii qui patrem possunt defendere, quid ad me periculum Patris? Nonne probum & ex animo patris amantem filium decet primum in juvando patre esse velle, gloriamque servandi patris nemini concedere? Cur idem non vult Auctor fieri à Christianis in servanda patria, quæ omnes omnium charitates complexa est, & quam amare ac defendere cum periculo suo & hostium pernicio, Auctor supra dixit esse partem perfectissimæ Christianæ charitatis ac pietatis?

IV. *Propter vitiorum ac scelerum contagionem.* Non est iusta ac sufficiens causa, propter vitiorum contagionem deferere patriam, eique juvandæ non navare operam. Quemadmodum non sunt facienda mala, ut eveniant bona: ita etiam non sunt omittenda bona, ne eveniant mala. Contagiones vitiorum ubique sunt, & ex Christianis nihil nocent, quia *qui ex Deo nati sunt non peccant, neque peccare possunt, quia semen Dei in eis manet.* Etsi vero contagiones vitiorum aliæ aliis diversis in locis majores sint: tamen nunquam licet propter ullas contagiones vitiorum debitum intermittere officium. Dicat quicquid volet Auctor, non abducet unquam efficaciter Christianos à bellis alia ratione, quam si bellum gerere simpliciter Christianis illicitum esse statuatur.

V. *Quæ recidi non possent salva patria, atrocia nec sunt, nec dici debent.* Quis vero hic ea definit, quæ recidi non possent salva patria? Quælibet crudelitas hoc colore excusari potest, quod salva patria non poterit omitti. Quis enim scire potest, quo omisso patria non foret salva? Exempli causa, accidit nunc simile quiddam Christianis ei, quod olim Samnitibus, qui in Caudinis angustiis Romanorum exercitum interceperant & concluderant, ut sic quoque Christiani hostes suos indagine cinctos teneant. Finge eos orare misericordiam, si dimittantur incolumes, possunt dimissi fidem mutare & patriæ nocere. Si excindantur omnes, nonne hoc atrox fuerit nimis & immane? Si dicas, ita dimittendos, ut nocere non possint; sed qui hoc efficiendum, ut nocere non possint? Samnites sane hoc se effecturos adeptis armis & sub jugum missis Romanis putabant: at quam spe sua falsi sint testis est historia. Non est hic ullum medium, quam ut aut omnibus misericordia exhibeatur, qua devinciantur & emolliantur eorum animi; aut ut omnes trucidentur: quemadmodum & cum Romanis agendum censuerat Pontius Imperatoris Samnitium pater. Sed prior modus vincendi hostes incertus est: quia misericordia ista in miseriam patriæ ac perniciem vertere potest. Posterior certus quidem, quia mortui non mordent, sed atrox est & truculentus. Quare si Christianis semel concedatur se bellis implicare, effugere nulla ratione possunt, quin vel patriam perdant, vel multa clementiæ ac lenitati Christianæ contraria faciant. Sic ut innocentes non occidantur aut spoliuntur in bello caveri non posse fatentur, ut supra vidimus, etiam acerrimi bellorum patroni. Si autem salva patria recidi id non possit, ne innocentes cladibus ac cædibus involvantur, tamen hoc atrox & immane non erit? Neque etiam simpliciter admittenda est illa Politicorum Maxima: Salus Patriæ suprema lex est. Nam & Auctor ipse, cum atrociam non effe dicit, quæ salva patria recidi non possunt, non frustra addit, *nisi sint per se & natura sua talia, ut nullo modo possint fieri licita.* Ergo in talibus salus patriæ suprema lex esse non debet.

VI. *Misericordia Dei vere pœnitentibus veniam largitur ad consequendam vitam æternam.* Sed qui occiduntur, pœnitentiam veram agere non possunt, ac porro nec vitam æternam consequi. *Et eadem Dei misericordia in pœnis temporalibus irrogandis bonum publicum spectat.* Quasi non etiam bonum privatum uniuscujusque & salutem spectet. *Nec ulli misericordia relinquit locum, quæ in commune futura esset noxia.* At misericordia Dei non potest in commune esse noxia. Ille enim est & publici boni Dominus, & omnia in bonum commune & in gloriam suam potest convertere.

VII. *Quod & sapientes populorum Rectores faciunt.* Populorum Rectores etiam sapientissimi non sunt hac in parte cum Deo comparandi: quia nec omnisci sunt, ut qui vere agunt pœnitentiam, aut agere possunt, scire queant, nec omnipotentes, ut efficiant, ne si misericordia utantur erga fontes, illa noxia sit in commune. Itaque Christianos decet quam maxime ab ejus-

ab ejusmodi abstinere functionibus, ubi vel immiscerendi in fontes contra Christianam charitatem, quæ poenitentiae locum peccantibus dare jubet; vel misericordiâ in publicum bonum peccandum est: quandoquidem ad id ut publicum bonum temporale curemus, vocati non sumus, ad id autem, ut charitatem quæ singulorum etiam pessimorum salutem spectet, exercemus, omnino per Evangelium sumus vocati.

VIII. *Nec audiendi sunt, qui lege de non occidendo poenam capitis in homicidam putant vetitam, cum lex ista sub hac ipsa poena constituta ac lata sit.* Lex de non occidendo est duplex. Prior, Noë data, altera Israëlitis per Moysen. Ex priori lege, quæ generalissima est, ne sanguis humanus fundatur ullo modo; non videtur absurdum arguere poenam capitis in homicidas esse vetitam, tametsi lex ista sub comminatione mortis contra homicidas sit lata: quia non Noë, non Magistratui, qui nullus ea tempestate erat, Deus dabat legem illam, quomodo homicidæ puniendi sint, sed ipse Deus comminatur similem homicidis exitum. Poterat autem mors inferri homicidis à Deo per alios homicidas & nefarios homines. Si Deus dixisset: Qui furabitur res alienas, ejus res vicissim furto auferentur; an inde sequeretur, furtum furto puniri debere ab hominibus, aut talem poenam esse licitam? Ex altera Israëlitis lata lege de non occidendo, probari propterea non potest poenam homicidii esse vetitam: quia Magistratus expresse inter Israëlitas instituti sunt, quibus ut hac poena afficerent homicidas imperatum. At nunc sub Novo Fœdere cum nulli sint Magistratus constituti, nec privilegium ullum peculiare datum à Deo Christianis, quod eis ullo casu sanguinem humanum fundere liceat, merito vetitum sibi esse poena capitis afficere homicidas putare debent. Nec est, quod ad jus naturæ provocet quispiam. Nam rigide agendo negari potest à natura homines habere privilegium homicidas interficiendi, uti hodie omnes passim sentiunt, cum certum sit, neminem naturaliter in vitam hominis jus habere præter Deum, qui est auctor vitæ, & cui ille peculiariter concesserit. Ne in propriam quidem vitam potestatem habet quisquam, nedum in alienam: ideoque etiam naturaliter ne consensus quidem populorum Magistratui hoc in hominum vitam jus dare potuit. Nemo enim dare potest, quod ipse non habet. Tamen vero natura dederit unicuique jus seipsum vitamque conservandi atque tuendi; tamen istud jus limitatum est justitiæ & rectitudinis legibus. Cum ergo jus nullum nobis sit, nisi Deo, in vitam proximorum nostrorum, uti dictum, utique naturale jus conservandæ vitæ nostræ tam late extendendum non est, ut jus in alienam vitam nobis usurpemus, quod nobis datum non est. Ferrarum est, conservare vitam quacunque ratione, sive bona sive mala, imo malum seu vitium in eis locum non habet: at conservatio nostri intra limites virtutis & honesti stare debet. Ratio est evidens; quia illarum natura, sicut intellectus, ita nec virtutis aut vitii capax est: nostra autem propter donatum nobis rationis beneficium à vitio magis abhorret & abhorreere debet, quam à dolore, quam ab incommodo, quam à morte. Unde cernere licet, quantopere errent, qui vulgo, quid sit juris naturalis, à feris ac brutis discere nos jubent in hac ipsa de bello quæstione, naturam animantium irrationalem cum hominum rationali, & ad imaginem Dei atque ad virtutem creata turpiter confundentes: quasi nos nihil supra feras sapere, vel meliores esse natura voluerit. Verum animadvertendum est, quod nec injustitia nec delictum cujusquam possit dare jus nobis in vitam ejus: quia etiam si naturaliter omne delictum poenam mereatur, & homicidium quidem mortis poenam; illam tamen poenam infligere cui alii præter Deum, universi Dominum ac Rectorem competat, ratio naturalis definire non potest. Hinc Cainum fratris homicidam à nullo hominum puniri esse videmus: quia nemo mortalium fuit, cui

competeret jus hanc poenam irrogandi. Ex his liquet, jus inter homines occidendi fontes nullo naturaliter fundamento niti, sed illud prima origine illegitimum, injustum, & tantummodo usurpatum esse, à Deo vero per conniventiam populis permissum. Hæc secundum rigorem hætenus dicta sunt, ut appareat, non tam clarum esse hoc jus naturæ, quam vulgo putatur. Sed ego non utar jure summo, facileque concessero, etiam legitimum jus occidendi invadentes à Deo naturaliter datum esse hominibus: quia credibile est Deum magna adversus homines æquitate usum, cum omnis eorum felicitas in hujus vitæ perfruitione consisteret, neque exigere ab eis voluisse patientiam, quæ vires eorum atque conditionem superaret. At nunc postquam conditio nostra per divinitus oblatam gratiam mutata est, & sufficientes vires ad summas virtutes exercendas in Evangelio nobis præscriptas adepti sumus, ad jus illud quod hominibus in naturali statu positum serviebat, amplius nobis provocare non licet: præsertim cum sublato Veteri Fœdere, jam & expressum illud privilegium de facinorosis capite plectendis evanuerit atque cessarit; Cum lex de non occidendo in Novo Testamento repetita sit, poena autem capitis quondam in homicidas constituta, non sit repetita, sed in spiritualem & æternam poenam commutata. Idem factum omnibus aliis poenis capitalibus, quæ in fontes erant sancitæ sub Veteri Fœdere. Injustis, moechis, mollibus, masculorum concubitoribus, furibus, rapacibus, idololâtris, in quos Lex novissima statuebat exempla, Apostolus nihil aliud interminatur, quam quod regnum Dei non sint possessuri 1 Cor. 6. 9. 10. Perversos hæreticos non nisi vitari Tit. 3. 10. Falsos Prophetas tantum caveri Matth. 7. 15, ave eis non dici 2 Joh. 10. cum scortatoribus aliisque impiis non commisceri solummodo jubet lex Christi 1 Cor. 5. 11.

IX. *Hunc quidem amorem ipse Deus nobis in sevit.* Sed & vindictæ cupiditatem Deus ipse nobis in sevit, & iram, & stimulos ad libidinem; neque tamen hos naturales impetus semper sequi debemus, sed ratione ac potissimum legibus Christi moderari. Ita ergo & naturalem vitæ fortunarumque nostrarum, licet à Deo nobis infusum amorem, non debemus pati in nobis regnare, sicut in gentibus Dei nesciis, aut terrenam tantum felicitatem spirantibus, vel etiam in brutis feris, quas illæ sequuntur regnare videmus: sed eum frænare debemus ita, ne nos ad malum pro malo reddendum abducatur, quod Lege Christi stricte prohibitum est.

X. *Tentatio enim hæc potius est Dei, quam in Deum fiducia.* Non potest hæc esse tentatio Dei, cum facio officium, & non reddo malum pro malo, quod mihi interdictum est, etiam si propterea occidar, aut damnum in fortune patiar. In eo certe maxima in Deum fiducia cernitur. Contra vero summa diffidentia est, cum quis ne pereat, vel injuriam damnumve subeat, malum pro malo reddit, contra quam scit sibi à Deo esse injunctum.

XI. *Et patientia sicut omnis virtus suis continetur limitibus.* Patientia in eo est, ne malum pro malo reddamus. Hoc nullos habet limites: nam ubique, & semper, & in omnibus occasionibus id cavere debemus. Dices: at hoc non est additum præcepto, ne malum pro malo reddamus in discrimine vitæ. Quid tum postea? Atqui nec præcepto sobrietatis additum est, ne inebriemur in vitæ discrimine: ergone licebit inebriari, si quis minatione mortis ad ebrietatem adigatur? Præcepta divina simpliciter prolata, simpliciter sunt accipienda, statuendumque ea semper & in omni valere occasione, nisi forte ipsa Scriptura ea limitaverit, aut casus aliquos exceperit; sed à nobis non sunt eis pro lubitu limites figendi. Non enim legis judices esse debemus, sed factores Jac. 4. 11. Si quis indefinitum præceptum aliquod, cujus nulla in Sacra Scriptura reperitur limitatio, contendat nihilominus limitandum esse, ei incumbet probatio:



nobis interim sine cogente ratione à manifesto recedere præcepto religio est.

### ANNOTATIO VII.

I. *Hi non solum injuriam veritati faciunt &c.* Hoc judicium est, quod pars fert in partem adversam. Sic & nos vicissim dicere possumus, illos qui bellum ullo modo Christianis licitum esse asserunt, veritati injuriam facere, & Christi sanctissimam & sapientissimam doctrinam depravare, & conscientias hominum dissolvere, latumque eis campum ad peccandum aperire.

II. *Et quantum in se est, patriam defensoribus spoliant.* Hoc idem & Auctor facit, dum à militia hodierna Christianos arcet propter vitiorum contagionem, etsi patriam alioqui multum juvare possent.

III. *Quod vere Christiani sint pauci, aliorum autem plena sint omnia regna, Respublicæ.* Atqui sic fuit ab initio, & imposterum erit semper, nec facile in eo mundus colorem mutabit. Semper plus erit luti in mundo, quam auri. Nunquam virtus tam felix erit, ut multitudini magis placeat, quam vitium. Ergo sicut nunc & antea, ita & postmodum semper, etsi veri Christiani à militia cessaverint, eorum vicem alii facile supplebunt. Quodsi sperat Auctor aliquando tam felicia fore tempora, ut Christianorum verorum plena futura sint omnia, cur non etiam sperat, tunc ubique regnante justitia, bella nulla esse futura? Ut proinde necessarium non sit, ullam Christianis five in abstracto, five in concreto bellandi licentiam facere.

IV. *His tantis de causis veritatem dicere justum ac verum est.* Fac veritatem esse, quod Christianis in abstracto bellare licitum sit, id est, si omnes pii ac sancti sint, si Regna & Respublicæ omnes illis plenæ sint: tamen necessaria non erit ista veritas. Nam nunc cum pauci sunt Christiani, & quidem veri ac boni, quid opus est eam proferre, cum nocere possit, & ruendi in bella, ut geruntur hodie, occasionem atque causam præbere, adeoque scandalizare infirmos? Quodsi vero totus mundus fiat vere Christianus, rursus hac veritate non indigebunt homines, quia tum erit aureum seculum, quo

Non galeæ, non ensis erit, sine militis usu  
Mollia securæ peragent tunc otia gentes.

V. *Unde si scandalum aliquid sequatur, acceptum id erit, non datum.* Qui non necessariam veritatem tempore importuno ac intempestive profert, is sane scandalum dare dicendus est: & non minus in culpa est, quam si quis febricitantibus vinum, aut furioso gladium præberet. Deinde si quis bellum conditionibus circumscribat impossibilibus, aut nunquam à mortalibus observandis, ut in Annotatione dictum est, scandalum evitare nulla ratione potest: Tales conditiones ponere, est nullas ponere. Quemadmodum enim (ut repetam illic dicta, & hic non refutata) qui ingenti fame premitur, cibos non ita scrupulose discernit, sed proximum quemque, etiam insalubrem accipit, quia scit famem cibo sibi pellere licitum esse: sic qui ab hostibus urgentur, si bellum pro vitæ suæ incolumitate licitum sibi esse persuasi sint, non expectabunt regeneratorum seculum, sed quocunque modo poterunt, hostis vim à se propulsabant, neque conditiones illas ab Auctore positas unquam observabunt, rati extremæ necessitati condonandum esse, si alicubi limites Christiani belli egrediantur.

VI. *Omnes enim vident, quantopere à bellis abhorrendum sit iis, qui vere Christiani velint esse.* Imo hoc non omnes vident: sed sunt quam plurimi, qui à bellis etiam talibus, qualia nunc geruntur, abhorrendum non esse putant.

VII. *Violentam periculi propulsationem, si vires adsint &c.* Hoc ne addi quidem debuit, si vires adsint. Quis enim nescit, pati eum oportere, qui vires non habet? Itaque vel hinc satis apparet absurditas contra-

riæ nobis sententiæ, quod ejus patroni statuunt, Christum requirere solum patientiam, quando vires non adsunt: si adsint, patientiæ locum non esse censeant. Quasi virtus aut patientia ulla in eo sit, si mutus nemini convitiatur, mancus neminem verberet, æger aut constrictus non inebrietur, non adulteret, non furtum faciat! Nonne virtus tunc maxime cernitur, cum vires adsunt & facultas contrarium faciendi? Et tamen Auctor nostram sententiam stultam, aut saltem stultitiæ affinem putat: cum per ipsius sententiam multo major tribuatur stultitia Christo, qui patientiam tantopere imperavit, nonnisi tunc cum nullæ vires ad resistendum adsunt servandam.

VIII. *Non solet Deus miracula facere.* Imo facit quotidie: quamvis hominibus mundanis non conspiciantur, vel miracula esse non videantur. Cum adjungit *media ordinaria.* Medium armorum Christianis pro nullo esse habendum satis jam ostensum est: quia eis non convenit.

IX. *Hoc ergo docendus est, ne peccatum putet, quod peccatum non est.* Utinam vero id possit docere Auctor. Nam hætenus nihil quod id evincat attulit.

X. *Lucrando pani vacare si quis peccatum putet &c.* At hoc peccatum putare nemo potest: quia expressum exstat in Novo Fœdere mandatum, ut lucrando panem vacemus Ephes. 4. 28. 2 Thessal. 3. 12. Si tale haberemus mandatum de armorum adversus infestantes usu, vel saltem si contrarium nihil haberemus, rem confectam haberet Auctor. *Juvabit Deus, tu fac quod in te est.* Sed non fac, quod te non decet, quodque tibi permissum non est.

XI. *Difficilia esse Christi præcepta Spiritum Christi habentibus, nusquam dicit Scriptura.* Neque etiam in Annotatione dictum est, iis qui Spiritum Christi habent, præcepta Christi difficilia esse; sed de iis Annotatio loquitur, qui prompti sunt ad præcepta Christi limitanda & vix non enervanda, quales certe Spiritum Christi non habent. Et quia horum major est, quam Spiritum Christi habentium, etiam in ipsa Ecclesia copia, eorum sane ratio magna in proferendis sententiis habenda est.

XII. *At qui Christum aliquid rectæ rationi & humane naturæ contrarium præcepisse putant, non mirum est, si difficultatem Christi præceptorum accusent.* Quam capiose hoc dictum est. Primo recta ratio aut consideratur per se & sola sibi relicta, aut quatenus jam est illustrata per Christi Evangelium. Priori modo nihil est, cur aliquid rectæ rationi contrarium in Evangelio contineri, dici non possit. Nam sic & Virginem parere, & mortuos resurgere rationi rectæ contrarium est. At posteriori modo nihil contrarium esse rectæ rationi in præceptis Christi statuimus. Humanam naturam quod attinet, si quis ei contrariam esse putet patientiam, vitæ ac periculorum contemptum, mortemque pietatis causa susceptam, quia naturæ nostræ tum vindictæ cupiditas, tum amor vitæ sit insitus, absurdum non est dicere, Christum aliquid humanæ naturæ contrarium præcepisse. Tandem nos difficultatem præceptorum Christi per se non accusamus; sed tantum carnalibus difficilia esse dicimus. An vero carnales magis sint, qui carnem ita domare jubent, ut carnalibus modis se suæque neminem defendere velint; an illi, qui carni habenas laxant adeo, ut ob carnem & res carnales arma carnalia tractare Christianos jubeant, prudentium esto judicium.

### ANNOTATIO VIII.

I. *Eadem hominis quæ per se & in se justa sit, injustam non facit, si à Christiano fiat.* Atqui potest aliquid in se justum esse, & ab aliis hominibus fieri licite, quod tamen si à Christiano fiat, injustum est. Sic si repercutiatur vel puniatur, qui alapam impiegit innocenti Christiano, in se justum est, sed si tamen Christianus ipse repercutiat, ipsi injustum est. Sic olim

Arcam Foederis labentem retinere Levitis quidem justum erat, aliis quibus eam tangere nefas erat injustum. Ita Saul quoque peccavit sacra faciendo, quæ administrare Samuëli competebat 1 Sam. 13. 9. &c. Nimirum non omnibus omnia conveniunt: & hodie quod justum est Magistratui, non protinus justum est privato. Quare & infidelibus Christumque ignorantibus multa possunt esse justa, quæ tamen Christianis justa non sunt.

II. *At profecto nihil justius est, ipso Deo Auctore, quam homicidam capite plectere.* Hoc si de hominibus extra Ecclesiam existentibus dicatur, verum est: si de Christianis, falsum. Ubi enim Deus Auctor usquam est, ut Christiani homicidam capite plectant?

III. *Et, si invasor & vitam appetens innocentis cadatur & occumbat, justissime patitur, quod machinatus est innocenti.* Is quidem justissime id patitur: sed inde tamen non sequitur, Christianum juste id facere. Quamvis ego sim dignus contumelia; at tu indignus, qui faceres tamen: dicebat ille. Potest aliquis mereri malum, & tamen injuste ei ab altero inferri, ut modo demonstratum.

#### ANNOTATIO IX.

I. *At cum patriam vel regnum hostes invadunt, plurimi sunt præter vere Christianos, qui regnum propugnent.* Quid tum? Atqui necessitas pietatis exercendæ erga patriam & officium boni civis, quod Auctor vult non minus stringere Christianos, quam alios, vetat respicere an sint alii qui regnum propugnent, sed unumquemque pro se agere, quod potest jubet. Possunt enim illi, qui sunt præter vere Christianos, vel non fideliter, vel non satis strenue propugnare regnum, vel etsi sint plurimi, possunt tamen non sufficere. Quare tanquam ad commune incendium extinguendum omnibus quamprimum currendum est. Quis eum boni civis dicat facere officium, qui si incendium in civitate oriatur, non ultro accurrat, sed persuadeat sibi esse alios plurimos, qui incendium istud possint restinguere, atque interea ipse sit otiosus, aut aliud agat? Quid si vero sic omnes cogitarent cives exorto periculo; sunt plurimi alii præter me, qui patriam juvent, qui regnum propugnent, annon patria hac ratione hostibus proderetur? Nihil proinde magis pestiferum est Republicæ, quam est sententia Auctoris, si verum est, Christianorum officium non minus quam aliorum esse patriam armis tutari, dum Christianos à ferenda patriæ ope, nisi adigantur, multis dehortatur.

#### ANNOTATIO X.

I. *Auctor hoc dicit solis vere Christianis.* Sed veri Christiani debent faciem præferre aliis hominibus, ut in omnibus virtutibus, ita & in fide atque amore erga patriam, in promptitudine ad eam juvandam; neque extremam necessitatem expectare, quæ potest ita venire, ut auxilio non sit amplius locus.

#### ANNOTATIO XI.

I. *Qui domi manent, quia manere illis integrum est, possent commeatus procurare &c.* At hoc multo facilius & minori cum periculo conjunctum est, quam pectus exponere hostilibus relis. Qui autem patriam vere amat, & officio vult suo rite fungi, si viribus & robore polleat, difficiliora quæque sibi deligere ad faciendum debet, faciliora aliis infirmioribus aut minus aptis relinquere. Saltem ii, qui ad consilia domi inepti sunt, & ad bellum idonei, qualis est juvenus Christiana, non essent à defendenda patria sufflaminandi, sed incitandi potius vi istius sententiæ, de non prohibito absolute Christianis armorum usu, & officio patriam contra hostes propugnandi.

II. *Auxilium enim iis tantum venit, qui ipsi agunt*

*omnia, quæ suarum sunt partium.* At non magis est nostrarum partium arma tractare, in aciem contra hostem progredi atque concurrere, quam olim fuit Levitarum sub Veteri Foedere, aut hodie Clericorum.

#### ANNOTATIO XII.

I. *Sic est: eos tantum alloquitur Auctor, qui cum veri Christiani videri velint, ultro stipendia merent &c.* Hic Auctor non respondet ad propositam quæstionem, quæ talis est: Cur viris vertatur illis, qui sola patriæ salvandæ causa bellis se immiscent hodie, si cæteroquin bellum licitum sit, modo nihil agant, quod regeneratos milites dedecet? Quæ quæstio sane ad scopum pertinet.

II. *At ut ultro in bellum proficiscar, nulla me urget necessitas.* Imo urget necessitas officii. In tantum enim in patriam injurius sum, quantum pro ejus salute operam meam, cum possim, non confero.

#### ANNOTATIO XIII.

I. *Christiani quam maxime debent à cadibus adhorrere & abstinere.* Etiam hostium & invasorum patriæ? Atqui hoc pium esse ante dixit Auctor, patriam etiam cum cæde hostium atque invasorum defendere. Ergone ab eo, quod pium est quam maxime abhorrere & abstinere Christiani debent? An si quis, quod pium est, ultro etiam non coactus faciat, iacirco a Communionem sanctorum arcendus est?

II. *Vetus Ecclesiæ milites arcebat, quamvis legibus & delectu ad militiam adauctos, quia ad militiam adigebantur paganici.* Hæc est mera conjectura, quam finxit in suæ sententiæ gratiam Grotius. Ubi vero in decreto Synodi Nicænæ ullum est ejus rei vestigium? Canon absolute & simpliciter damnat militiam, non paganicam tantum. Unde & Leo apud Gratianum distinct. 5. absolute talem facit regulam: *Non licere post penitentiam actionem redire ad militiam secularem.* Hoc ipso potius conjectura ista refutatur, quod Synodus ista celebrata & Canon iste scriptus sit sub Constantino Magno Imperatore jam Christiano facto. Quomodo enim illo imperante ad paganicam militiam adigerentur Christiani? Deinde militia, ad quam & hodie legibus adiguntur aut adigi erant soliti Christiani, non est quidem Paganica, sed tamen si causas bellandi & modum spectes, non multum à Paganica differt: Auctor tamen non putat arcendos à sacra communione eos, qui ad talem ferme Paganicam militiam legibus coacti eunt.

III. *Qui vero in bello hostem occidissent, etiam longius abstinebantur, quia bella communiter gerebantur injusta.* Iterum ratio sola conjectura & non minus incerta nitens. Quis enim credat bella omnia injusta fuisse, quæ tunc gerebantur? aut si aliqua fuerunt non injusta, Veterem Ecclesiam promiscue omnes puniaturam, neque discrimen inter illos facturam fuisse, qui in bello justo hostem occiderant, & qui in injusto? Præterea si in injustis tantum bellis militare non licet Christianis, nunquam deberent militare: quod enim est bellum, quod non sit injustum? Ergo ne legibus quidem adaucti ad publicam expeditionem ire deberent: quod tamen Auctor eos salva conscientia facere posse hætenus defendit. Denique quæro, utrum debeant Christiani privati judicare, justumne an injustum geratur à Magistratu bellum? Si debent judicare, tum necesse erit, ut Magistratus cuilibet subdito suo teneatur semper rationem reddere belli gerendi: & sic constituentur subditi actionum Magistratus sui judices. Quod ut fiat, puto, Rerum publicarum rectores nunquam concesserint. Si non debent, qui potest igitur quisquam juste puniri ea de causa, quod in injusto bello militavit, aut hostem interfecerit?

#### ANNOTATIO XIV.

I. *Potest omnino Christianus rem aliquam per se licitam facere*

facere, & tamen ad tempus indignum sese reddere sacra mensa. Res per se licita tum demum potest aliquem indignum sacra mensa reddere, si non suo tempore, loco & modo usurpetur. Itaque & conjugalis congressus, sub tempus sacrae mensae usurpatus, indignum hominem sacra mensa propterea facit, quia non suo tempore adhibetur. Quamvis enim res ipsa per se concessa sit, ita tamen concessa est, ut quo quis rarius & parcius ea utatur, eo sit laudabilior. At militia si res per se licita est, non raro, sed quam maxime & quam creberrime ei operam dare juvenesque senesque propter exercendam erga patriam, parentes & amicos pietatem oportet. Bene enim bellare artificium est quoddam, quod usu discendum est, quodque longa exercitatione eget, ut bene addiscatur. Si ergo in necessitate aliquando militare debent Christiani, necesse est ut prius discant, & in eo se ante necessitatem exercent. Ex quo patet, supposita Auctoris sententia, de bello, neminem à Coena Domini ob id solum arcendum, quod in militia tanquam in Schola Martis versetur, ibique artem bellandi & hostes occidendi discat. Quis enim ideo aliquem à Sacra Cæna prohibendum censet, quod discat opificium, vel artem aliquam, quamvis profanam, dummodo per se licitam? Verbi gratia agriculturam, vel mercaturam, vel sartoriam, vel futoriam, vel etiam Medicinam, Philosophiam, Mathematicam &c. Annon qui talibus dediti sunt artibus, etsi circa tempus sacrae mensae eas profiteantur, modo ne iis tunc occupentur, cum sacris rebus vacandum est, ad mensam Domini rite possunt accedere? Cur igitur arceantur, qui militiam profitentur, si militia aequè per se licita est? Cæterum Davidis allatum hoc loco exemplum vellem Auctor accuratius perpendisset. Is Dei bella gessit, & tamen pro polluto reputatus est à Deo, ut templum ipsi aedificare non potuerit: Unde apparet, etiam in ipsis, quamvis iustis bellis, esse aliquid labis, qua polluantur, qui illa gerunt. Ex quo jure colligitur, & hodie neminem ad aedificandum spirituale templum posse esse idoneum, qui bella, quamvis iustissima, gerit. Templum autem Deo spirituale, partim cor nostrum Deo conservando, partim Ecclesiam bono exemplo & doctrina veritatis propagando, aedificare atque exstruere omnes ac singuli Christiani tenemur. Miror quoque cum ipsemet Auctor in verbis, quibus hæc Annotatio fuit opposita, agnoscat, *corpus Christi pro illis etiam, quos occidimus, esse fractum, & sanguinem Christi pro omnibus, & pro illis quoque, quorum sanguinem effundimus, esse profusum*: quomodo possit statuere, quod occidere & sanguinem eorum effundere nobis licitum sit, quos Christus ita dilexit, ut pro iis corpus suum frangendum dederit, & sanguinem suum pretiosissimum profuderit? Hoc enim non est diligere eos, quos Christus dilexit, sed est perdere eos, qui ne perirent, Christus tantopete laboravit, & pro quibus servandis tantum impendit.

II. *Spiritualis populus in Novo Testamento nulla gerit bella, quatenus est talis.* Non tantum quatenus est talis, nulla bella gerit, sed etiam quia est talis. Nam hac ratione ipse Auctor ad dehortandum à militia Christianos usus est, causam reddens, cur Clericis, quos nuncita vocant, bellare non liceant? *Non alia, inquit, dari potest, quam quod spirituales vitam professos bella dedecant. Atqui omnes Christiani spirituales sunt, omnes clerici sunt &c.* Jam vero spirituales vitam professos non dedecet per se agriculturam vel mercaturam exercere, vel calceos consuere, vel lanam texere: (nam & Paulum maxime spirituales non dedecuit esse tabernaculorum factorem) nisi quatenus impediunt talia, quominus rebus sacris tam commode vacare possint. Cur ergo dedecet eos militiam exercere, si illa per se tam licita esset, quam enumerata ista opificia?

III. *Hactenus tantum se polluit, quatenus eum nunquam fudisse mallet.* Quid hoc est? an eo se quisquam pollui potest, quia mallet aliquid se non fecisse?

Aliud aliquid hic subsit necesse est. Cur enim mallet nunquam fudisse sanguinem, si licitum est eum fundere; si hoc cum bono patriæ & multorum innocentium conjunctum? Nempe in eo ipso, quod licitum, quod bonum esse dicit Auctor, sentit nihilominus esse aliquid atrocitatis & immanitatis, à qua natura abhorret: quanto magis Christianus animus? Philo, referente Grotio, recte ait: *Quamvis legibus permixta sint hostium occisiones, attamen quisquis hominem interfecerit, quamvis iuste, quamvis ad sui tutelam, quamvis coactus, aliquid labis contraxisse creditur, propter illam communem & superne venientem cognationem. Quapropter & purgatione quadam opus habebant tales interfectores, ad eluendum, quod commissum videbatur, piaculum.*

#### ANNOTATIO XV.

I. *Hæc omnia contra eos, qui sine ulla necessitate bellis sese immiscunt, dicta esse auctor agnoscit.* Sed simul etiam agnoscat, hæc omnia aut nihil valere, aut valere quoque contra eos, qui quamvis urgente necessitate bellis se immiscunt. Nam quicquid per se licitum est, illud non in necessitate tantum, sed etiam extra necessitatem facere licet: præsertim si res talis sit, quæ in necessitate exerceri non possit, nisi ante necessitatem prius discatur.

#### QUESTIONIS. III ANNOTATIO I.

I. *Quod ut Vir Præstantissimus tanto magis agnoscat, similem suæ, quam hic format, &c.* Quæstio in Annotatione proposita talis fuit: An ex vi Foederis Novi fieri ulla ratione possit, ut Deus hominem vere pium, ipsique ex animo confidentem, tali involvi patiatur periculo, unde *nonnisi sanguinis humani effusione* expedire sese possit? Huic similem talem Auctor instituit quæstionem: An ex vi Foederis Novi fieri ulla ratione possit, ut Deus hominem vere pium, ipsique ex animo confidentem tali involvi patiatur periculo, unde *nonnisi abnegatione veritatis Christianæ* expedire sese possit? Verum animadvertendum est, cum quæritur in Annotatione, an Deus periculo involvi patiurus sit pium, unde non possit se expedire nisi sanguinis humani effusione: sensum esse, quod Deus velit eum servatum, sed hac tantum ratione & conditione, ut sanguinem humanum effundat. At si sic intelligantur verba in Auctoris quæstione proposita, quis non videt, jure negativam sententiam esse similiter, atque in nostra quæstione, amplectendam? contra quam facit Auctor, qui affirmativam tuetur. Nunquam enim Deus hac ratione aut conditione servatum quemquam vult aut velle potest, ut abneget veritatem Christianam. Alias quin possit Deus jure pati pios & sanctissimos homines involvi tali periculo, unde vel abnegatione veritatis Christianæ, vel sanguinis humani effusione expedire quidem se possint, sed Deus eos sic se expedire nolit, imo perire potius eos malit: de eo nullum est dubium. Inde jam clare perspicitur, quam nihil huc faciant, quæ hic Auctor contra attulit.

II. *Videt ergo Vir Præstantissimus, quam inconsulto quæstionem à se propositam tam præfidenti negatione desinverit.* Imo videt Auctor, quam non intellecta quæstione extra oleas vegetur, & immerito nos tenerimo Dei erga suos amoris & promissionum ejus fidei, quin & in Deum pietati terminos ponere aulos fuisse asseruerit.

III. *Verba Christi non dicunt, neminem ex nobis casurum esse.* Neque etiam nos id dicimus, sed neminem esse casurum sine Patre nostro cœlesti. Dicimus etiam capillos nostros esse numeratos, non tantum ipsa capita. *Sed nihil impedit, quominus Deus numerata ista capita una cum capillis tradat invisoribus amputanda.* Hoc idem & nos dicimus: modo ne id fiat ob omisam hostium cædem. De promissione Dei Israëlitis facta, Exod. 34. 23, 24. actum & à nobis est in II Quæstio-



nis Annotatione II. refutatæque Auctoris responsiones.

IV. Imo vero quia populus sumus spiritualis, non tam molliter & indulgenter secundum carnem haberi debemus. Non sumus quidem tam molliter habendi secundum carnem, sed promissiones nobis factæ de defensione non minus sunt servandæ, quam sub Veteri Fœdere, imo curam Dei circa filios, quibus carnales magistratus non dedit ac tutores armis instructos, majorem esse, necesse est, quam circa servos, quos armorum & Magistratus terreni præsidio armaverat. Præclare Tertullianus: *Alioqui si tantum patientiæ pondus non modo non reperiendi, sed & aliam maxillam præbendi, & non modo non retinendi tunicam, sed etiam benedicendi, & non modo non retinendi tunicam, sed amplius & pallium concedendi, is mihi imponit, qui non sit me defensurus, in vacuum patientiam præcepit: non exhibens mihi mercedem præcepti, patientiæ fructum dico, qui est ultio; quam mihi permisisse debuerat, si ipse non præstaret, aut si mihi non permittebat, ipse præstare. Quoniam & disciplinæ interest, injuriam vindicari; metu enim ultionis omnis iniquitas refrenatur: cæterum passim emissæ libertate dominabitur, utrum oculum effossura, & omnem dentem excitatura (id est, excussura) præ impunitatis securitate.*

V. In castris habendi sumus, non in deliciis. Et tamen Auctor Christianos vult habere regna sua: ubi sane molliter & indulgenter secundum carnem haberentur, & sublati persecutionibus non amplius in castris sub vexillo crucis Christi militarent.

VI. Nemo hoc asserit. Annon asserit Auctor, Deum nolle nos tueri nisi per media à nobis usurpanda, & quidem nominatim per sanguinis humani profusionem, si nullus alius superfit modus nos nostrosque defendendi? Miror vero cur nunc id neget. Nam etsi ait, sæpe Deum pios miraculose tueri, tamen putat Deum nolle, expectari miraculosam istam defensionem à nobis, sed velle ut ipsi ordinaria armorum media, si adsint, usurpemus.

VII. Id vero rem tantam & communem naturæ contrariam affirmantibus, disertis & expressis Christi verbis demonstrandum est. Demonstramus igitur id verbis Christi disertis & expressis: *Nolite resistere malo, Diligite inimicos vestros, Qui gladium acceperit, gladio peribit, Nemini malum pro malo reddite.* Quibus verbis simul conditio defendendi sese armis, quæ promissionibus Dei de tuendis piis tacite putatur esse adjuncta, satis superque excluditur: cum conditio ista omnino contrarium præceptis modo nominatis requirat, nempe ut malo resistamus, inimicos odio prosequamur, gladio ad cædem utamur, & malum pro malo reddamus. Neque nobis fatiscit, quod Auctor ad præceptum de non reddendo malo pro malo respondet. Omnes, inquit, publicæ leges idem præcipiunt &c. Quæ vero unquam lex talia ad latrones & prædones, & publicos patriæ hostes retulit? Quid inde? Ergo neque lex Christi talia ad latrones & prædones, & publicos patriæ hostes refert? Hac ratione sane dicere quispiam potest: Omnes publicæ leges præcipiunt, ne quis aliena concupiscat, neque tamen ulla lex id ad animum, sed ad facta tantum externa retulit; Ergo neque lex Christi id ad animum refert. Annon patet longe aliam esse rationem legum omnium publicarum, quam legis Christi; ut hac in parte non debeat ex illis de hujus sensu judicium fieri? Leges omnes publicæ hunc habent scopum, ut Respublicæ tranquillitate & pace fruantur, & hoc fine etiam publici Magistratus constituti sunt. Lex Christi hunc scopum non habuit, ideoque magistratus publicos inter Christianos non constituit: sed scopus ejus est, homines ad virtutes quam perfectissimas & ad summam in hoc seculo sanctitatem perducere, cujus absolutissimum in Christo habemus expressum exemplar; inprimis autem intendit nos ad quam maximam patientiam, quæ inter omnes hujus sæculi virtutes difficillima, eoque pulcherrima est, cæterarumque nutritrix & perfectio, adducere. Hinc con-

temptum vitæ, honorum, opum, totiusque mundi toties inculcat, hinc crucem nobis portare quotidie jubet, & esse tanquam oves mactationis: hinc vix ullam reperias in Evangelio paginam, in qua non vel monito, vel exemplo, vel præmiis divinis ad ferendas afflictiones excitemur. Ex quo perspicitur, legem Christi longe aliam, imo prorsus contrarium habere scopum, quam habuit Lex Moïsis, aut hodie habent leges publicæ, quæ totæ ad tranquillitatem & commoditatem carnalem directæ sunt: cum lex Christi nihil minus curet, quam carnalem nostram commoditatem aut tranquillitatem. Unde ratio ipsa dicat, præcepta legis Christi longe aliter esse interpretanda, quam præcepta legum publicarum; neque illa eo modo, quo ista, esse limitanda.

VIII. Id tantum distat, quod leges per magistratum malum reddere & vindictam sumere permittant; Christus perfectioris sanctitatis magister vetet. Non hoc tantum distat, sed duo adhuc sunt, in quibus est differentia maxima. Primo quod vindictam Christus non è manibus nostris solum, sed etiam ex animis velit excutere; cupiditas enim illa, qua solatium & voluptas ex malo atque dolore adversarii per vindictam impenſe quæritur, per se vitiosa est & bestialis, ideoque Christo maxime displicet: leges autem publicæ animum non curant, sed facta tantum exteriora. Hinc & alterum discrimen emergit, quod Lex Christi non distinguat inter graves & leves injurias, neque in earum ullis vindictam quærere, vel malum pro malo reddere permittat, sed omnes æqualiter pati jubeat: cum leges publicæ patientiam ad leviores tantum restringant injurias, non ad graviore. Nimirum patientiam illæ requirunt non majorem, quam quæ sit accommodata ad scopum illarum, qui est pax & tranquillitas terrena, cum qua gravissimarum injuriarum tolerantia non posset consistere. At Lex Christi cum ad hunc scopum non tendat, sed ad eum scopum, ut patientia nostra sit quam perfectissima, quo nullæ leges publicæ tendunt nec tendere possunt, non potest nec debet graviore injurias à patiendi officio excludere. Deinde cum vindictæ cupiditas & reponendi doloris muliebris vel ferinus appetitus sit res per se mala, eam certum est tam in gravissimis, quam in levibus injuriis Deo displicere, ac proinde eam ubique & semper pro illicita habendam esse. Accedit exemplum Christi, qui nullum inter graves & leves injurias fecit discrimen, sed omnes pari constantia & fortitudine excepit ac superavit, malum pro malo non reddens, nec reddere cupiens: quod exemplum ille nobis reliquit eo fine, ut sequamur ejus vestigia. Vide I Petr. 2. 21, 22, 23. III. 9, 14, 17, 18.

IX. Quis porro non facile perspicit, hæc intra cives, vicinos, socios, & sæpe amicos ac consanguineos & intra tolerabiles, nec in publicum nocituras injurias consistere &c. Ubi vero hujus limitationis ulla in Scriptura Sacra est umbra? Si sic limitare licet pro lubitu, convinci non poterunt & illi, qui ebrietatem distinguunt in modicam & immodicam, atque hanc quidem vetari, non illam arguunt. Intra cives, inquit, vicinos & socios hæc consistunt. An vero & cives & socii & vicini non possunt fieri latrones, prædones, & invasores nostri, imo & hostes publici? Annon amici & consanguinei nostri possunt fieri maximi nostri inimici, quos nihilominus diligere, & malum eis pro malo non reddere jubemur? Et intra tolerabiles ait, nec in publicum nocituras injurias. Atqui Christus etiam, quas Auctor vocat, intolerabiles & in publicum nocituras toleravit ac perpeſsus est injurias. Idem fecerunt Apostoli, primique Christiani, in quibus tot fuerunt examina martyrum invictæ ad necem usque patientiæ. Et in quibus patientia laudi ducitur, non vituperio. Apud quos vero patientia non semper laudi ducitur, sed aliquando vituperio? Nisi apud homines carnales, qui nihil nisi felicitatem terrenam cogitant, nec quam pulchrior & illustrior coram Deo sit patientia, quo major est &

est, & in majoribus spectatur injuriis, intelligunt.

X. *Nam vindictam non petere pro capite, nocet in publicum.* Quasi non in publicum noceat quoque si impune maxillæ percutiantur, dentesque vel oculi excutiantur innocentibus; uti egregie monstrat Tertullianus in verbis supra allegatis, & tamen Christus id non curavit, sed simpliciter vindictam petere pro istis injuriis vetuit. Quod non tandem flagitium in Evangelio prohibitum licebit excusare atque defendere, si ullo casu vindictæ cupidum animum gerere, remque tam detestabilem atque in Novo Testamento tantopere damnatam licebit aliquando Christianis non secus ac Judæis vel paganis exercere? Sed eo nimirum deveniant necesse est ii qui Leges Christi attemperare & accommodare statui politico laborant, ut Christi legibus plurimum perfectionis detrahant, quo eas cum statu politico concilient. Ideo eas ex ratione status politici varie limitant & explicant pro arbitrio: cum tamen Christus non tam id egerit præceptis suis, ut status politicus inter Christianos sit salvus, quam ut virtutes ab illo præscriptæ sint quam perfectissimæ.

XI. *Imo aliquando licet, cum Dei gloriæ interest.* Sit ita, quod cum Dei gloriæ interest, liceat aliquando à Deo vindictam petere: an idcirco etiam in privatis nostris injuriis quantumvis maximis licebit vindictam à Deo petere? Certe Christus non petiit à Deo vindictam in gravissima injuria, scilicet contra interfectores suos: non petiit in eadem injuria Stephanus ille Christi protomartyr. An ergo hos imitari non decet Christianos? An magis imitari eos decebit Zachariam, quamvis Prophetam, sed Judaico Spiritu imbutum, qui moriens clamabat: *Videat hoc Dominus & vindicet* 2 Paralip. 24. Cur non memor est hic Auctor illorum Christi verborum? *Nescitis cujus Spiritus sitis. Non venit filius hominis animas hominum perditum, sed servatum* Luc. 9.

XII. *Raro tamen hoc fit à piis vel nunquam, quod oculis hominum non pateat &c.* Non ideo hoc fieri à piis non debet, ut scilicet à Deo vindictam non petant, quod oculis hominum non pateat, Deum esse qui puniat, & hanc non aliam esse poenæ causam, & quod Deus in exercenda sua justitia nullis instantiis indigeat: sed quod id facere in privatis injuriis à Christo stricte sit prohibitum.

XIII. *Orare jubemur pro iis, qui nos persequuntur.* Ita; & hoc generalissime sine ulla restrictione dicitur. De quocunque ergo dici potest, quod nos persequatur, pro eo orandum est, vi hujus præcepti. *Sunt enim vel Magistratus, vel qui Magistratum pro se habent.* Quis hoc dicit? Iterum limitatio ex cerebro additur, quæ in Sacris Literis nulla est. De inimicis nostris Christus loquitur simpliciter, quacunque ex causa nos odio persequentibus, & sive verbis sive facto nos instantibus: de Magistratu nulla mentio. *Sunt alioqui viri honesti, tantum quod Christianæ veritati infesti &c.* Rursus glossa est humani ingenii, nulla ratione ex Scriptura fundata. An omnes fuerint honesti viri, qui Christum, qui Stephanum persecuti sunt? Deinde de odio nostri ob religionem ac veritatem Christianam nullum hic vestigium. Mirum est, cur Auctor non etiam cum jubemur malo non resistere, sed percutienti maxillam alteram obvertere, & tunicam tollenti pallium insuper dimittere &c. dicat, id nonnisi de injuriis ob religionem veritatisque confessionem illatis esse intelligendum. Nihil est facilius, quam limitationes aut distinctiones comminisci, quæ si absque probatione admittendæ essent, Sacra Scriptura fieret gladius Delphicus, aut cereus nasus. Nimirum caro inimica crucis Christi, & à patiando cane pejus & angue abhorrens, nimis ingeniosa est ad excogitanda effugia, inveniendæque rimas, quibus impositi sibi jugi necessitatem subterfugiat ac declinet.

XIV. *Quid hoc ad latrones & prædones, ad publice damnatos invasores &c.* Ergo ad eos non pertinet, ut pro eis oremus, saltem ut convertantur, ut resipiscant,

ut salutem æternam consequantur? Christus tamen & pro talibus est mortuus, ut ipsemet Auctor superius falsus est. Et si salutem ipsis precari æternam debemus, quomodo licebit ipsis vitam eripere, quam si amittant, simul salutem amittunt æternam? Deinde annon ad latrones & prædones hostesque publicos pertinet illud sub lege dictum, seu mavis intellectum: *Odio habebis inimicum tuum?* Israëlitam enim, quamvis privatim inimicum, odisse non licebat. Quare etiam in opposito Christi de dilectione inimicorum præcepto antithesis ipsa requirit, ne invasores & hostes publici à catalogo inimicorum sub Novo Foedere diligendorum excludantur.

XV. *Qui talia argumenta nectunt, similes sunt illis, qui ex lege de non occidendo, concludunt &c.* Quomodo ex lege de non occidendo recte possit concludi homicidas & alios maleficos non esse à Christianis capite plectendos, ostensum est superius Quæstionis Secundæ Annotatione 6. Numero 8.

XVI. *Aut qui ex eo, quod Christus dicat, ne juretis omnino, juramenta maxime seria & necessaria prohibeant.* Equidem hoc præceptum de non jurando tam generale est, tam illimitatum, ut nisi ipsa Scriptura, nobis exemplo Apostoli Pauli non semel repetito suppedita esset justum limitandi fundamentum, præcise omni juramento Christianis abstinendum esset. Si simile quid haberemus de bello, vel magistratu summo, aut de capitis supplicio, si aliquo facto, quod controversum non esset, vel Christus, vel Apostoli dedissent nobis justam ansam restringendi universalia de diligendis inimicis, de non resistendo, de pacis studio, de non vindicando &c. præcepta, rem non difficulter obtineret Auctor. Nunc cum non modo nullam limitandi causam nobis præbuerint, sed præbuerint potius causas non limitandi, dum exemplo suo nobis præverunt in istis mandatis virtutibus, & nos sui imitatores esse jusserunt: nullo pacto nobis arbitrarias limitationes recipere licet.

XVII. *Aliud enim est, pro malo jam illato malum reponere aut vindictam sumere; aliud vitam defendere &c.* Non est aliud, si in defensione malum inferatur adversario. Et hoc probe notandum est, quod in omni defensione statim sit vindictæ locus, & quod sine vindicta noceri non possit inimico. Nam cum te defendis, cædisque invasorem, quamobrem obsecro id facis? Nonne propterea quod ille te occidere vel spoliare voluerit? Sed cum ille voluerit tantum, & reipsa non fecerit; quid ergo tibi mali fecit? Quò jure cum tu occidis? Necesse est ut dicas, te eo ipso esse læsum, & injuriam tibi factam, quod te aggressus sit, & vitæ tuæ insidiatus, teque in periculum, invadendo te armaque contra te stringendo, adduxerit. Sic igitur pro isto malo, pro ista injuria, qua te affecit, ipsum occidis. Quid vero hoc aliud est, quam malum pro malo jam illato reddere, & vindictam proprie dictam de adversario sumere? Saltem negari non potest, pro præfenti illa mala aggressoris voluntate, qua malum erga nos spirat, & sic pro malo cogitato in defensione malum ipsi reddi. Malum autem cogitatum, cum est plena voluntas, pro facto habetur. Hinc Seneca: *Latro est, etiam antequam inquinet manus, exoritur atque aperitur opere nequitia, non incipit.* Et alibi *Fecit quisque, quantum voluit.*

XVIII. *Enimvero ut latro poena afficeretur, capiendus esset &c.* Quam egregie hic vult evitare Auctor, ne dum occidit invasorem, eum poena affecisse dicatur. *Capiendus, inquit, esset, & magistratui, qui jussu habet infligendæ poenæ sistendus.* Ita quidem esset faciendum, sed tu occupas magistratus partes, & quod ille facere debebat, facis. Non potest, ais, capi, neque sisti, & magistratum expectari res non patitur. Quicquid sit, tamen negare non potes, te non expectato magistratu poenam infligere latroni, quam magistratus debebat infligere.

XIX. *Ego nihil aliud facio, quam me defendo.* Sed

ita defendis, ut vindictam sumas de latrone, quæ nihil aliud est, quam poena latius sumpta. *Quod jus mihi à natura datum est.* Jus occidendi nemini à natura datum esse paulo ante evicimus Quæstionis 2. Annotatione 6. Numero 8. Sed etsi datum esset à natura, Christianis non sufficeret, qui regenerati & novæ creaturæ facti sunt. *Et leges omnes concedunt.* Hac concessione etiam multo minus Christiani in conscientia possunt acquiescere: quia leges publicæ sæpe talia concedunt, quæ tamen Christianis non conveniunt. *Nec Lex Christi eripuit.* Imo eripuit, ut jam sæpius probatum.

XX. *Proferenda essent exserta verba.* Annon sunt exserta verba; *Diligite inimicos vestros, ne malum pro malo reddite?* Non inquis: quia non dicitur, ne occidatis invasorem in defensione vitæ. Si hæc ipsa verba præcise proferri tibi postulas, iniquum est postulatum. Nam probari aliquid solidissime ex Scriptura posse, etsi verba ipsa non contineantur, modo res contineatur, in confesso est apud omnes Theologos: ideoque legitime deductæ & necessariæ consequentiæ, vim expressorum verborum apud cordatos habent. Quod cum ita sit, nihil refert, quod verba ista, ne occidatis invasorem vel latronem in defensione vitæ, ad litteram scripta non existent: sufficit, si sensus horum verborum, adeoque res ipsa contineatur in illis memoratis præceptis? *Diligite inimicos vestros, malum pro malo ne reddatis.* Quod sane probatum non est difficile. Nam diligere continet in se istud, non occidere: occidere enim cum dilectione adversa fronte pugnat. Ita & malum non inferre vel referre continet idem in se. Nam qui occidit, malum infert. Porro vox generalis inimici & mali, cui malum reddendum non est, in se tanquam speciem complectitur etiam latronem & vitæ nostræ infidiatorem. Adde quod Christus, ubi diligere jubet inimicos, omnia inimicitia genera expresserit. Nam & odio habentium nos meminit, quorum inimicitia in animo solum consistit: deinde maledicentium, qui verbis tantum inimicitiam suam produnt; tandem vexantium & persequentium nos, quorum inimicitia factis ipsis exercetur. Atque in horum censu etiam invasores & latrones contineri nemo inficiari potest. Quando igitur negari potest, dictum esse, ne latrones & invasores occidantur: cum plus etiam, quam si hæc verba exstarent, dictum sit? Quandoquidem plus est diligere, imo & malum non inferre, quam non occidere. At inquis, non est dictum: Ne occidantur in defensione vitæ. Atqui dictum est, ut eos cum nos persequuntur & infestant, diligamus. Persecutio autem secum importat periculum tum vitæ, tum bonorum nostrorum: quorum alterum si quis dicat hic duntaxat contineri, alterum vero excludi, nullam probabilem rationem afferre poterit, cur generalis vox persecutionis & infestationis restringenda sit.

XXI. *Si igitur in defensione cadat invasor, non à me punitus est.* A quo igitur? Sed ipse sibi causa necis exitit. Ergone ille seipso punivit? Hic enim de eo quæritur, quis puniat, vel vindictamumat de latrone, qui in defensione occidatur? Is certe non est latro ipse: Nam etsi is sibi causa necis existat, tamen aliud est, causam necis suæ, aliud poenam sibi infligere, vel vindictam de se sumere. *Quod si tamen punitus esse dicendus est, à Deo punitus est.* Quomodo? Atqui tu eum occidisti, non Deus: nisi dicas, Deum per te eum punivisse, tuaque opera usum esse in eo puniendo. Sed quomodo scis, Deum id per te facere voluisse? An te alicubi vindictæ suæ ministrum constituit? An probare potes eum tibi id muneris delegasse? Non, inquis: sed defensionem meam ita direxit, ut homo nefarius caderet. Sic sane & latro, si te occidisset, potuisset dicere, Deum te per illum occidere voluisse, quia is ita direxerit ejus conatus & arma, ut tu caderes; ac proinde se recte fecisse.

XXII. *An ille habuerit animum occidendi mei, an*

*spoliandi tantum, non erat meum scire.* Nempe quia id nemini datum est. Et ideo dictum est in Annotatione, sciri id certo non posse. Sed etiamsi sciretur, tamen id non sufficeret ad occidendum hostem, sicut jam ostensum.

XXIII. *Si latro post mortem ad poenam trahi posset, baud dubie traheretur, imo & trahitur.* Id si fiat, non eam fit ob causam, quod aggressor non sit punitus à defensore, sed quod civem Reipublicæ invadendo non solum illum ipsum læserit, sed & publicam securitatem violarit, & in leges publicas peccarit. Quamvis igitur læsus privatim jam sumpserit de eo poenas, tamen quia & in publicum simul peccavit, jure Reipublica vel Magistratus denuo eum punire potest.

XXIV. *Quæ hic differit Vir Præstantissimus, eam vim habent, atque si quis promissioni divinæ confisus omittet omnem laborem acquirendi victus.* Quæ vero hic respondet Auctor, ea satis sunt supra refutata.

XXV. *Atqui non semper fugæ patet locus.* Ergo cogitandum, Deum velle, ut feras quod vitare non potes. *An hi omnes prodendi &c.* Non prodo eos, quando eos defendere non possum. Non possum autem, quando aliter non possum, quam læsa conscientia. *Sed si non sufficiant, quid faciendum?* Id faciendum quod facerem, si ne defensionis quidem locus esset, & arma viresque carnales omnino deessent. Nam quod salva pietate facere non licet, id pro nullo medio habendum est, ut non semel dictum.

XXVI. *Apæge cum tali innocentia, quæ latroni parcere jubet.* Non tam latroni parcat, qui ejus sanguine manus suas non vult pollueri, quam tibi. Non meminerat hic Auctor illius Ambrosiani dicti à se contra Meisnerum laudati: *Christianus etiam si in latronem armatum incidat, ferientem referre non potest, ne dum salutem defendit, pietatem contamine.* Et alterius ejusdem: *Coactus repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere; adversus arma, milites, Gotrosque lacryma mea arma sunt: aliter nec deo, nec possum resistere.* Et cum talis viguerit inter Patres jam post Nicænum Concilium sententia: qui non sit credibile Patres in Nicæno Concilio simpliciter militiam, non certo respectu damnare voluisse & damnasse?

XXVII. *Ille nocens est, qui facit injuriam.* Non tantum: sed etiam qui nocet ullo modo ei, quem diligere debet; quod etiam is facit, qui latroni nocet. *Si quid per vanam speciem ulli Christianæ virtuti contrarium videatur &c.* Non est vana species, quando aliquid directe cum præceptis Christi pugnat.

XXVIII. *Christus & Apostoli defensione usi non sunt, quia ut uterentur non habuerunt opus.* Quare non habuerunt opus, cum in periculo vitæ non semel fuerint? Quod si in periculis vitæ existentes Apostoli, non tamen habuerunt opus defensione cum cæde inimicorum conjuncta; eccur & nos tali defensione opus habeamus?

XXIX. *At certe Paulus ne in Judæorum incideret insidias &c, cum valido militum præsidio deduci se passus est ad Præsidem.* Hoc idem vel talia quin faciat Christianus & hodie, causa nulla est. Quid vero id facit ad rem, de qua agitur, nempe ad defensionem, in qua hostes occidantur? An hic ullus occisus est in ista Pauli defensione? an sanguis ullius fusus? *Quid putas, si in itinere ex insidiis exorti conjurati Paulum fuissent adorti, an milites admonuisset Paulus, ut se Judæis potius dederent &c.* ô miseram ex re, quæ facta non est, argumentationem! Credo jam & Auctorem intelligere facile, quid hic reponi possit. Quid enim? Si dicam, Paulum ideo isto præsidio usum, quod sciret conjuratos non aufuros eum tanto præsidio munitum adori? Et hoc sane est longe probabilissimum. Deinde etsi adorti fuissent, nihil opus fuisse dico Pauli admonitione, ne quinquam caderent. Illis enim, utpote non Christianis, licebat Præsidis sui auctoritatem armis tueri, & sese adorientes cedere. Itaque si conjurati cæsi fuissent, nequaquam Paulo potuisset impu-



tari, qui nec jussit, nec cædis eorum auctor ullo modo fuit.

\* Animadversio N. N.

Non opus est dicere Paulum præsidio militum fuisset usum, *passus est*, ut auctor Slichtingius ait, *deduci se ad Præsidem*. Quod ageret Paulus? num Lyfæ leges præscribere potuit qua ratione ipsum ad Præsidem tuto mitteret? Non petiit ut se ad Præsidem mitteret, multo minus ut id armata manu faceret Act. 23. 16. Itaque ex eo quod Paulus passus est, argumentum nec tamen nequit pro eo quod ab aliquo, & quidem ut recte factum, perficitur.

XXX. Homicidii enim vox tum per antonomasiam de injusta hominis cæde accipitur. At si absque antonomasia sumatur, omnem cædem hominum significat. Deinde injusta cædes & illa est, quam quis facit illegitime, tametsi nocentem ac meritum occidendo: quod fit sæpe etiam in foro fori. *Quæ arma esse, cum adsunt, & iis uti datur, spes etiam successus affulgeat, tanto vero magis si certa sit & explorata, negamus.* Contrarium jam supra abunde demonstratum est: nempe arma esse media pietati Christianæ & paternæ Dei providentiæ contraria. Spes successus in pugna, etsi aliquando affulgeat, nunquam potest esse certa & explorata: quia casus ubique valet, & anceps semper præliorum est exitus, Marsque communis.

XXXI. Omnis similitudo claudicat. Sed hic non claudicat. At nos jam educti sumus à Patre, ut & adversus invasorem viribus & armis uti queamus. Educti quidem sumus à Patre nostro, sed manus nostræ ligatæ & restrictæ sunt præceptis ejus, ut nocere non possimus adversariis nostris. Ergo cum promiserit is nobis defensionem, cur non certo eam sperare debeamus, etsi iis non utamur mediis, quæ nobis sunt prohibita? Frustra igitur querit Auctor, cur cum aliis mediis utamur in Patris nostri cura, defensione & armis nobis utendum non sit? Nempe quia illa nobis prohibita non sunt, imo injuncta, hæc, ut toties ostensum, prohibita.

XXXII. Cæterum Pater ille cælestis non ita molliter & indulgenter in sinu suo fovet filios suos, ut non sæpe patiantur eos ex sinu suo rapi &c. Id fatemur & nos ultro. Ideo sustinere volumus & pati Christianos, quicquid Dei manus & consilium de eis decreverit, nullisque uti mediis à Christo non concessis. Utuntur tamen modis & mediis sui conservandi, quibus salva in Patrem suum pietate uti possunt. Imo utantur per nos licet. Sed arma esse in his modis ac mediis numeranda negamus.

XXXIII. Hoc unum tantum querendum hic restat, an armis uti adversus invasores & latrones medium sit justum & legitimum & à Deo concessum? Ita est. Quam tamen Quæstionem Vir Præstantissimus dixit intempestivam ac præposteram. Intempestiva & præpostera hæc quæstio dicta est, non simpliciter, sed secundum quid, quatenus nimirum eam alia quæstio præcedere debuit. Interim eam necessarium & suo modo opportunam esse non negatur.

XXXIV. Sed cum suppetunt & sufficiunt ordinaria, quid extraordinariis & miraculosis est opus? Atqui jam ante inculcata est distinctio inter media ordinaria, quæ à Deo adhibentur, & inter ea quæ à nobis adhibentur. Et Dei quidem media, quamvis miraculosa nobis videantur, sæpe sunt ordinaria. Nobis autem non aliis ordinariis mediis utendum est, quam quæ sunt vocationi nostræ consentanea. Si quæ nobis non conveniant, etsi ordinaria sint, repudiari debent.

XXXV. Hoc dicit Esaias ad efficaciam Regni Christi respiciens, non ad effectum. In quibus autem debet ista regni Christi efficacia maxime se exercere, si non in ejus discipulis ac professoribus? Quem impedit hominum malitia. Ergone & Christianorum malitia eum impedire debet?

XXXVI. Non tantum Deo confidit, sed etiam publicæ tranquillitati. Atqui hanc ipsam tranquillitatem scit à Deo esse. Qui si idem faciat in locis periculosis &c.

At quid cogit enim, ut in locis habitet periculosis?

XXXVII. Sic enim se res habet in divina circa pios cura & providentia, ut cuique primum custodem apposerit mentem &c. Appoluit quidem Deus homini primum custodem mentem, sed eam vult dirigi secundum legis suæ præscriptum & normam. Ergo quamvis dederit nobis cujusque mentis nostræ exequendæ vires ac facultatem, non tamen quælibet mens nostra aut consilium quodvis exsequendum est, sed quod non sit à norma præceptorum Christi dissentaneum: & si quis mentem aut consilium suum Christi legibus contrarium executus non sit, primum custodem spernere vel rejicere, Deumque tentare injuria dicitur.

XXXVIII. Num idcirco de providentia divina aut promissionum ejus fide dubitabimus? Nihil opus est dubitare: cum Deo tanquam absoluto rerum Domino jus & potestas sit, etiam innocentissimum cruciatibus & afflictionibus subicere, morte denique truculenta tollere. Num de hominis pietate hoc charitas erga fratrem pium non permittit? Satiùs tamen est semper homines accusare, quam Deum. Et quis est in terris, cujus pietas non aliquando patitur deliquium? Damnare fratrem alioqui pium, & à vita æterna excludere charitas utique non permittit; sed si existimetur ita peccasse, ut dignus sit Dei temporalis judicio, non sit tamen rejiciendus à Dei conspectu in æternum, nihil sit charitati contrarium.

XXXIX. Nulli enim inermes esse solent in locis, in quibus armis est opus. At non de inermibus simpliciter sermo est, sed de inermibus ideo, quod sola in Deum fiducia arma negligant. Paterna Dei cura & tutela nullis limitibus circumscribi & determinari potest. Et tamen eam circumscribunt & determinant ii, qui eam sic limitant, ut ubi quis seipsum armis defendere vereatur ob metum offendendæ conscientiæ, eam jure deficiere posse statuunt.

XL. Hoc audax effatum est. An vero hoc audax effatum non est, cum dicitur, proculdubio pios, si inermes essent, perituros. Atqui multo verisimilius est non perituros, cum habeant Dei promissionem sibi per Christum factam, & pretioso Filii Dei sanguine obfignatam, quam eos perituros esse. Quodsi nihilominus pereant, ut occulto Dei consilio adscribendum est, cujus rationes ipse optime novit: nobis autem eas mirari, non rimari, eisque æquo animo acquiescere convenit.

XLI. Ad hoc effatum adiecit Virum Præstantissimum principium illud suum. At Auctor non satis illud principium percepit vel attendit, ut monstratum. Id est, carnalis de paterna cura & tutela persuasio. Non est apud nos carnalis de Dei tutela persuasio: sed ita de cura Dei & tutela paterna sumus persuasi, quod is, etsi nos nullis carnalibus præsidiiis instruxerit, sed tanquam oves esse in medio luporum voluerit, tamen ipse nos custodiat ac fervet, nulla nostræ defensionis & armorum ope accedente.

XLII. Ego vero non puto passerem ullum extra Dei providentiam esse. Et ego, scilicet extra universalem providentiam: at hic de paterna providentia, qua Christianos solos complectitur loquimur.

XLIII. Hoc tam universale effatum certissime falsum est. Non est hoc universale effatum, sed non una limitatione coarctatum. Prima est, ut eum in finem quis armatus incedat, domumque armis instructam habeat, ut invasorem aut latronem occidat. Hoc vero ne Auctor quidem negaverit, opinor, eum qui tale habuerit propositum, magis in suis armis, quam in Deo fiduciam collocare. Secunda addita est limitatio. Nisi evidentissime probeatur, paternam Dei providentiam & tutelam hanc sibi adjunctam habere conditionem, ut Christiani bene armari incedant, & vim à latrone illatam vi repellant. Quæ ergo de ædificatione hic affert Auctor, & de labore circa victum & habitationem, huc minime faciunt: quia in istis aperte providentiæ divinæ seu promissioni ejus de providentia hæc est adjuncta

Juncta conditio, ut ipsi laboremus & ædificemus. At promissioni de providentia in periculis additam esse conditionem de armis à nobis capiendis, iisque ad hostem necandum utendis, magnopere adhuc probandum est.

XLIV. *Fit hoc omnino in locis præsertim intutis, etiam in media Germania cives exercentur ad scopum.* Quid fiat scimus; sed quid Christiani facere debeant quaeritur. Jam hic aperte videtur Auctor statuere, hoc esse officium Christianorum ut se, atque inprimis juventutem suam, sic ad scopum, ad palum exercent. Cur ergo in militiam eos se dare tam operose verat, ubi optime possunt exerceri & arma tractare discere? Immutanda est prorsus juventutis nostræ institutio, quæ hæcenus ad omnem modestiam & probitatem formata est, jamque ad bellicam fortitudinem & ferociam omnem excitanda est, si Auctoris debeat admitti sententia.

XLV. *Sed etiam hoc desit, ipsa necessitas & animus & cives & arma ministrat etiam imbellibus, ipsique adeo fœminis & mulieribus.* An ergo Auctor Christianos omnes vult esse imbelles & fœminis ac mulieribus similes? Quam pudendum sit viris eos esse tam effœminatos? Ergo res ipsa loquitur, si arma tractare Christianis liceat, non esse eis necessitatem expectandam, sed ante necessitatem eis hanc artem probe discendam esse. Equidem vel in allato ab Auctore exemplo oppidi Fraustadiensis, à mulieribus defensi, patet quanta gloria sit bellicosum esse; & quantum dedecus, viros in pugna à fœminis fortitudine superari. Ergo immerito prorsus à bellis & militia juventutem Christianam supra auctor arcendam esse docuit.

XLVI. *Oppidum haud dubie cum omnibus intus inclusis directum & excisum fuisset.* Ita loqui Auctori licet. Nos vero si contra dicamus, & quidem de piis Christianis, eos haud dubie perituros non fuisse: id audax effatum est.

XLVII. *Et tamen defensionem armatam adversus invasores improbabimus?* Unde vero talis exclamatio? an exemplo mulierum Fraustadiensium jam probatum est, eam à Christo veris Christianis non esse prohibitam, nec fiduciæ in Deum contrariam?

## ANNOTATIO II.

I. *Casus tales creberrimos esse in Ukraina à Tartaris & in submontanis regionibus à prædonibus, magno suo malo experientur locorum istorum incolæ.* Credo. Sed nec nos contendimus Christianos ab omnibus casibus esse immunes: interim certum est, multos casus evitari ab eis posse, si pii sint, & innoxiam adhibeant prudentiam. In locis ubi Tartari aut prædones facilem habent accessum, non est Christianis habitandum, præsertim solis, ut nulli sint alii, qui absque Christianis possint immanes illos hostes abterrere. Hoc enim est tentare Deum, in periculoso versari loco, cum possis illic non versari. Aliquando Tartari incursiones faciunt in ea loca, in quæ eos unquam venturos nulla erat suspicio. Ergo tunc aut aliis mediis leniendi sunt, & vita ære redimenda, quod fit sæpiusculè in locis incursioni Tartarorum obnoxiiis, aut si armis repellendi sunt, erunt alii, præter Christianos, qui id præstabunt. Christianorum arma, ut dixit Ambrosius, adversus Tartaros & quosvis prædones, sunt lacrymæ & preces. Quæ si non juvent, ferendum est, quod Deus permiserit: cum sine Patris nostri voluntate nihil nobis possit accidere. Ne passer quidem, qui se nescit defendere, cadit in terram absque eo: quanto minus cadet ullus Christianus absque illius numine atque permisso, cujus ipsi semper constant rationes, etiam si nobis sint ignotæ.

II. *Finge ubivis terrarum similiter esse loca intuta.* Quid opus est fingere, quod fieri non potest? Sunt quidem ubique loca intuta, quia nullus est locus in orbe, ubi non periculum ab hoste exoriri possit? Sed tamen non æque & similiter omnia sunt intuta: ideo

& Auctor ipse subjecit esse suo modo intuta. Et supra respondens ad præcedentem Annotationem, distinxit inter Christianos habitantes in locis pacatis, in quibus per magistratum publicum nulla sint ab invasoribus metuenda pericula, & inter habitantes in locis periculosis, in quibus singulis diebus ac noctibus metus est ab incursionibus crudelissimorum hostium ac prædonum. Ergo non omnia loca ubique possunt esse similiter intuta.

III. *Ubique enim inveniuntur arces munitæ, oppida, civitates muris & fossis & vallis obductæ.* Quid tum? Inde non sequitur omnia loca esse æque intuta. In earum aliquam me consero, præsertim infesto tempore, ut tutus sim. Quid opus est, ut te conferas in aliquam civitatem, ut ibi maneas & tempore periculi tutus sis? Cur non potius ideo te confers in eam civitatem, quia ab hoste atque à periculo remotior est: & si rursus his periculum appropinquet, ut inde promoveas gradum ulterius, ad aliam civitatem periculo minus obnoxiam. Nam uni loco Christianum se alligare & adhærere, consultum non est. Ita nimirum facere debet Christianus in toto orbe, sicut facit, qui in aliqua regione peregrinatur ad tempus: is tempore belli ibidem exortus loco intuto subinde migrat in tutiorem, tandem si omnia loca in regione intuta sint, hac regione relicta, tempestive in aliam se recipit, ubi sit extra periculum. Quam ad rem ut sit aptus Christianus, opus est ut se multis impedimentis in vita non oneret, ut sit paucis contentus, & semper promptus sit omnibus possessionibus suis, uti nos docet Christus Lucæ 14, valedicere.

IV. *Quo fine igitur homines in oppida & civitates conflunt, muris se muniunt, arces edificant.* Nemo quidem nescit eo fine id fieri ab hominibus, ut se contra hostes armis defendant. Sed nunc non quid homines faciant alii, sed quid Christiani facere debeant, attenditur. Vide in quæ absurda deveniendum sit &c. Auctor sibi absurda fingit, ubi nulla sunt. Omnes civitates, oppida, muri, munimenta, hominum denique societates, securitatis causa, pro nihilo erunt. Sint sane ista omnia securitatis causa ab hominibus facta. Sed apud Christianos merito debent esse pro nihilo, qui securitatem non in muris, sed in Deo debent collocare, scientes, quod

Si Deus adfuerit, fiet vel aranea murus.

Sin Deus abfuerit, vel murus aranea fiet.

Deinde muros & munimenta erunt semper qui defendant præter Christianos. Quod si fiat, ut nulli alii sint in mundo homines, quam veri Christiani, nullis etiam muris ac munimentis erit opus.

V. *Nisi Angelos de cælis devocemus, qui nos defendant.* An & hoc adeo absurdum est? Atqui & Christus non aliter defensus fuit non semel, ut credibile est. Et in extremo vitæ discrimine poterat Angelos de cælis devocare, qui eum defenderent. Sed tamen id non fecit, quia Scripturas impleri voluit. Nos autem id facere, & à Deo flagitare Angelorum auxilium & custodiam, nihil impedit. Et improbos prosternant. Quasi Angeli aliter nos defendere non possint, quam prostratione hostium! Quod, si Angelis sanctis facere liceat, non video, cur non possit licere sanctis hominibus. Nec Angelis id licet facere, nisi peculiare habeant à Deo mandatum: hoc & nobis expectandum est, si id nobis licere volumus.

VI. *Hæc tam absurda & omni rationi contraria sentire, loqui, scribere &c.* Non sunt hæc absurda, & sanæ atque in Christi doctrina exercitæ rationi contraria, sed carnali tantum rationi contraria sunt & absurda videntur. Cum ergo nihil in religione Christiana rationi sanæ contrarium recipere volumus, per sanam rationem nonnisi eam intelligimus, quæ leges Christi pro norma habeat, easque non sibi attemperet, sed se illis.

VII. *Dum Vir Præstantissimus in tali casu quemque ad suam relegat conscientiam, omnia sua principia & sententiam suam penitus convellit, Qui sic? Nam si peccatum est armis* (m 2) . *reprimere*

reprimere invasorem, informanda est conscientia. Hoc quidem optimum foret: & nos id fieri volumus. Sed cum non est informata, satius est rem committere uniufcujusque conscientiae, quam jubere, ut quis contra conscientiam quicquam faciat; quod videtur Socinus velle, dum conclusivam pronuntiat sententiam: satius esse aliquid subire periculum scandali apud ceteros, quam vitam perdere. Nusquam enim docuit adhuc Socinus, peccatum non esse armis hostem reprimere, neve in eo conscientias hominum informavit: & tamen rem tanti momenti hoc decidit modo, ut ansam dari scandalo permittat. Valde cautum in ejusmodi pronuntiatis esse oportet hominem magnae apud homines auctoritatis. Quanto satius fuisset quemque ad conscientiam propriam in tali casu relegare, quam talem decisionem facere! *Cum non videam superstitionem in verbo Dei cuiquam laudi dari.* Ita loquitur Auctor, quasi jam evicisset usquam, superstitionem esse, occidi potius malle quam occidere: cum tamen nobis certum sit, hoc esse Domini praeceptum, qui etiam exemplo suo ea in re nobis praeluxit.

VIII. *Nec gestare deberent arma, qui iis nullo in casu uti cogitant.* Atqui eo ipso uruntur, dum gestant: ideo quia gestare moris est. Sic collari utimur, & calcaribus gestando illa, etsi non equitemus: quia sic mos & usus fert. *Non tantum peccare non debemus, sed nos peccaturos nos esse pra nobis ferre.* Aliquando etiam licite pra nobis ferre possumus nos peccaturos, si ista specie possumus abstergere aliquem, ne nobis noceat. Quod quid enim ad repellendum inimicum facere innoxie possumus, id per se illicitum non est, tantum peccare propter hostem repellendum & malum evitandum non licet. Eo ipso dum Auctor distinguit istud, *peccaturos nos esse pra nobis ferre*, à peccare, indicat illud peccatum non esse, ac proinde licitum esse. Quod enim Apostolus 1 Thessal. 5. 20, ab omni specie mali abstinendum esse monet, alium sensum habet: nempe ut vel species omnis sub genere mali contenta prohibeatur, vel significetur abstinendum esse ab omni re, quae etsi mala non sit, nobis tamen non satis recte in conscientia informatis mala esse videatur.

IX. *Socinus praecul dubio scandalum intellexit acceptum, non datum.* Non potuit acceptum intelligere, quia agebatur de scandalo eorum, quorum conscientia nondum erat informata; quorum scandalum non poterat non esse datum scandalum. *Vere enim scandalum sibi accipit, qui ea re offenditur, quod frater se suosque contra crudelissimos latrones defenderit.* Addendum erat, occidendo defenderit. An vero si hoc vere peccatum est, ut nos hactenus demonstrasse credimus, nihilominus acceptum duntaxat erit scandalum, non datum? Sed etiam in rebus, quae per se peccata non sunt, scandalum dari posse docet Apostolus Rom. 14. & 1 Cor. 8, & 10.

X. *Nam dubitare de eventu, illius est, qui dubitet de incendio exorto &c.* Hic habet locum, quod omnis similitudo claudicat. Ad ignem restinguendum nihil aptius est, quam aqua: ad periculum ab hoste imminens extinguendum, quam multa sunt alia, quae hoc longe melius praestare possunt, quam arma. Armis enim saepius arma provocantur: quodque belli incendium amica tractatione sopiri potuisset, adhibitis armis magis inflammatur. Hinc omnia prius experiri, quam ad arma veniatur, sapientes monent. At non sic de extinguendo igne monent, sed ut quam primum aqua affundatur, suadent. Praeterea exorto incendio, certum quidem est domum conflagraturam, aqua non affusa: at hoc manet semper incertum, an cum te latro aggreditur, neque vim opponas, sis vitam perditurus, quia vel spoliis de te sumptis potest esse contentus, vel precibus emolliri, vel te Deus alia ratione, quarum ipse mille habet in promptu, ab illo expedire potest: praesertim cum is & prohibuerit nobis ne malum pro malo reddamus, & promiserit se ipsum nos à malis hominibus defensurum; non prohibuerit autem, ne aqua ignem extinguamus, nec promiserit se nostri loco ignem extincturum.

## ANNOTATIO III.

I. *Vir praestantissimus semper provocat ad miracula.* Distinguenda sunt miracula. Alia sunt, quae fiunt visibiliter, & palam in omnium oculos incurrunt, ita ut ea à Deo fieri nemo non cogatur agnoscere: sunt alia rursus, quae Deus ita facit, ut ea non omnes protinus, videant, vel saltem non à Deo proficisci agnoscant, sed casu fieri videri possint. Et illa quidem prioris generis jam non fieri fatendum est: sed iis quae posterioris sunt generis, nihil est hodie usitatus. Nimirum divina providentia simili ferme modo agit in rebus humanis quo ars naturam gubernans. Nam sicut artifex activa passivis applicat, quae cum singula agant secundum vim naturae sibi insitam, effectum producunt, non quem natura, sed quem artifex intendit: Ita Deus actiones humanas, quarum singulae directae sunt ab agentibus in suos fines, occulta sua potentia applicando activa passivis, & per homines vel alias res creatas in homines agendo, ad talem saepe eventum deducit, ad quem ab auctoribus suis nunquam erant directae, & quo alioqui non fuissent perventurae. Tale miraculum erat, quo Deus effecit, ut Christus Bethlehem nascetur, tali miraculo factum, ut Christus poenas sumeret de Judaica gente per Titum exercitusque Romanos. Talibus miraculis Deus Christusque hodie frequentissime utitur in servandi & protegendis suis oviculis. Non ergo absurdum est ad talia miracula provocare; imo qui talia miracula negant, parum fidei habent & fiduciae in Deum.

II. *Hoc quidem scio, sed Deum id facturum esse &c. nullam ab ipso promissionem habeo.* Itane non habeo promissionem ullam, Deum me protecturum ac defensurum? Annon Angeli nostri vident semper faciem Patris nostri qui in coelis est? annon illi sunt ministri spiritus, qui in ministerium mittuntur eorum, qui haeredituri sunt salutem? At inquis, non promisit se id facturum, si media, quae mihi dedit, ordinaria negligam. Ergo non sunt negligenda media, quae ille dedit atque concessit; sed medium tale omnino negligendum est, quo nobis interdixit. Et tum maxime sperandum est Dei auxilium, cum nullum adest aliud medium humanum nos salvandi, praeter id, quod cum peccato conjunctum est, & nos parati sumus potius vitam perdere, quam eum peccando offendere.

III. *An me tantum spoliare velit prado, constare mihi non potest.* Sed neque etiam constare potest, quod simul velit quoque occidere. *Quid si me spoliatum occidat.* Tum id fiet Deo sic volente: sine ejus permisso capillus de capite tuo non cadet.

IV. *Apud pradam nihil vilius est, quam hominis vita.* Sed apud Deum nihil pretiosius est & carius pii hominis vita. Qui eum tangit, pupillam oculi divini tangit. Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus Psal. 116. 15. *Difficile est latroni modum praescribere.* Deo difficile non est. Plus latro efficere non potest, quam ipsi à Deo praescriptum fuerit. Ne Diabolus quidem, maximus ille latro, nisi ex praescripto quicquam facere potest. Jobum non ante potuit aggredi, quam Deus concederet; nec amplius ipsi potuit nocere, quam illi Deus praefinivit. Quid ergo existimamus latrones terrenos posse in nos ultra modum à Deo definitum pro lubitu saevire? O si veram fidem haberemus, si patrum Dei erga nos amorem rectius consideraremus, nunquam talia metueremus! Et quomodo aliter loqui possemus, si omnia caeco casu volvi crederemus?

V. *Qua vero etiam equitas, quatenus praepostera charitas à me requirit &c.* Non est praepostera charitas, quam Christus nobis praescripsit. Diligere enim iusti non amicos tantum, sed & inimicos qui nos infestant. *Sed cum dilectione nostra indigent, & opus habent.* Bene. Qua vero alia invasor dilectione mea indiget, cum me aggreditur, quam ut vitae ejus, qua eum privare possum,



possim, parcam. Latrones vero & prædones omnium hominum hostes aliter diligere, quam ut iis poenitentiam præsemur, nescio an ulla honestas permittat. Jam ostendi etiam ita diligendos esse, ut vitæ eorum parcat, neque ulla isti dilectioni repugnat honestas. Præterea si poenitentiam eis præcari tenemur, quomodo eos occidere licbit, & ad poenitentiam agendam necessarium tempus eis eripere? Non habebit quoque tempus ad poenitentiam, si pereat febris, aut morbo, aut alio aliquo casu. Sed tunc per nos non stabit, quod non habeat: neque nos ei tempus istud eripiemus. At si eum occideremus, nos in causa maxime essemus, ut ille poenitentiam agere non posset.

VI. Si Deus expectare voluisset ejus poenitentiam, non passus fuisset illum occidi. Quasi Deus non patiatur fieri etiam quæ sunt contra ejus voluntatem. Vide quam ipse jam Auctor ad miracula confugiat, eaque requirat; quod in nobis reprehendit. Et nos quidem multo justius miracula supponimus in servandis hominibus piis & veris Christianis: ille vero in impiis & nefariis latronibus servandis vult Deum miracula facere, ne scilicet occidantur à nobis, cum nos eos omni ratione è medio tollere annitimur. Si licet ita loqui de latrone, uti loquitur Auctor; & cur non similiter licet dicere de pio homine Christiano: Si Deus voluisset eum servari ac vivere diutius, non passus fuisset illum ab hoste occidi? Ergo in periculis semper se Christiani debent permittere divinæ voluntati.

VII. Vidit illum tanto plura scelera patraturum, quanto longius vixisset. Unde vero hoc scis, Deum istud vidisse? An ille tibi id revelavit? Quid si vidit potius eum poenitentiam acturum esse? Cur ergo, inquit, passus est eum occidi? Et cur patitur fieri adulteria, perjuria, furta, sacrilegia, aliaque abominanda facinora? Cur patitur jam pios & sanctissimos homines occidi? & non deberet pati tales occidi qui nondum pii sunt, sed tantum esse possunt? Habet Deus semper suas rationes, cur aliquid permittat fieri, quæ nobis non semper possunt esse compertæ: propterea ex permissione Dei non licet nobis illico colligere, nec recte facere. Ideo illi vitam & scelera simul præcidit. Hoc, si opus fuisset & Deus voluisset, alia id ratione quam per tuum peccatum effecisset, alioque ministro ea in re, quam te, qui ad serviendum Deo puris manibus vocatus es, usus fuisset.

VIII. Nec ego hominem occidi, sed ille seipsum. Iterum recurrit Auctor ad miserum istud effugium suum, quod jam non semel est refutatum. Nec ulla spes est, ut Scythæ aut prædo submontanus his temporibus veram agat poenitentiam. Non nostrum est judicare, de quo spes sit vel non sit, ut agat poenitentiam. Quis latronem in cruce cum Christo pendentem sperasset unquam poenitentiam acturum & crediturum in eum, qui in cruce suspensus omnium objectus erat contumeliis ac ludibriis? Deo de talibus rebus relinquendum est iudicium, qui & occulta novit, & prospicit futura.

#### ANNOTATIO IV.

I. In virtute extremum dari, quod in vitium abeat, nemo unquam dixit. Hoc est verba tantum captare. Nam cum dictum est, controversum esse in Ethicis, an in virtute extremum detur; non alio id sensu dictum, quam, An virtus habeat extremum aliquod, ad quod si progrediatur, in vitium abeat? Et quid vulgo usitatus est, quam ut dicatur, virtutem inter duo extrema consistere, virtutis, vel, quod idem est, in virtute duo dari extrema. Hoc ergo controversum esse affirmat Annotatio. Agnoscit hoc Vir Præstantissimus. Quidnam obsecro? Quod extrema vitiosa sint, in medio consistat virtus? Ubi vero id agnoscit? Miror unde eum id agnovisse colligat Auctor. Crellius in Ethicis secutus fuerat Aristotelem in hac sententia, sed postea eam retractavit. Nec immerito: quia aliquando laudabile est medium superstitiose non attendere, sed exilire à

medio, ut pertingas ad summum virtutis apicem. Sic nemo nimis potest esse sobrius, vel castus, etiam si sibi vim maximam faciat, geniumque suum defraudet: ne de aliis virtutibus nunc quicquam dicam. Videatur Grotius, si placet, in Prolegomenis libri de jure pacis & belli.

II. Sed exemplum ponit, cujus nullus unquam vel fuit vel futurus est usus. Neque etiam ideo exemplum allatum est, ut ejus esset ullus aliquando usus: sed ad hoc tantum positum est, ut quid stultum in amore inimici foret, intelligeretur.

III. Sed hoc fieri posset, ut ego lateris mei objectu hominem protegerem, & pro illo lethalem exciperem ictum. Fieri quidem hoc potest, sed neque ad hoc faciendum video me obstrictum, sicut neque ad illud in Annotatione memoratum obstrictus sum: qui sic vitum ponerem pro illo; quod non nisi pro fratre facere obstrictus sum. Quid, qui se suosque trucidari permetteret, ne vitæ latronis noceret, nonne hoc ipsum faceret, quod hic Vir Præstantissimus indubitata stultitiæ damnat? Nequaquam hoc faceret. Quia hoc non esset vitam pro ipso ponere, sed vitam ponere pro innocentia, seu propter te ipsum, ne te occidendo latronem contamines: quod stultitiæ damnari nulla ratione potest.

IV. Postquam me Vir Præstantissimus ea charitate erga latronem solvit, ut ejus vitam magis amen &c. Ut vitam latronis magis amemus, quam nostram, nunquam sane dixero. Nam hoc si esset, deberemus etiam tunc cum ab alio vita ejus esset in periculo, nostram vitam pro illo discrimini objicere, ad quod puto nos non obligari. Inde tamen non sequitur, à nobis vitam latroni sine peccato eripi posse, etiam tum cum ille vitæ nostræ nostrorumque insidiatur. Tunc enim si ei parcamus, non tam id sit illius causa, quod eum vel vitam illius adeo amemus, quam nostra id sit causa, ne manus nostras Deo consecratas sanguine ejus polluamus. Quamvis enim inimici dilectio etiam tanta nobis injuncta sit, ut nos potius perire debeamus, quam illum perdere, tamen dilectio ista non tam in affectu, quam in effectu debet consistere. Nihil ergo est quod Auctor, dum se charitate ea solutum putat, quæ jubet latronis vitam nostram magis amare, summa patientia & voluntate Dei se obstringi non posse existimat. Antequam igitur ostenderit me peccare, si latronem cædem &c. Hoc satis abunde ostensum est in superioribus.

V. Frustra etiam dicam, Deo placuisse, ut tales vitæ meæ terminos constitueret. Cur vero Auctor id dicit de latrone, si ab eo occidatur, placuisse Deo, ut tales vitæ illius terminos constitueret?

VI. Si omnia facerem, quæ ad meam meorumque defensionem pertinerent, nec tamen proficerem, tum demum hoc recte dicerem, & me ad patientiam omnem componerem. Omnino facienda sunt omnia, quæ ad meam meorumque defensionem pertinent: sed ea duntaxat omitenda, quæ sine peccato fieri non possunt.

VII. Quin & occidenti me veniam à Deo e animo precarer. Misera precatio pro eo, quem libenter, si posses, occideres. Mera hypocrisis est, dicere, quod velis Deum parcere ei, cui ipsemet non parceres, si vires & facultas non deesset. Certe ex animo te orare pro illo nemo unquam credit. Quod aliqui fratrum nostrorum in illa à Cosacis patrata occisione fecerunt. Sed hi animum occidendi Cosacos non habuerunt: aut si habuerunt, precari ex animo non poterunt.

VIII. Fiducia in Deum, fore ut me eripiat, quamvis ego medis mihi ab ipso concessis non utar, non est vera fiducia. Hoc sane nihil verius. Sed occidere inimicum, quem diligere jubemur, esse medium mihi à Deo sub Novo Fœdere concessum, non est pro concessio sumendum.

IX. Obedientiæ certe nullus est locus, ubi nullum est mandatum. Et hoc est verissimum. Sed mandatum esse de diligendis, ac proinde non occidendis inimicis nos prosequentibus & infestantibus, quomodo negari potest? Vel etiam ubi contrarium est mandatum, nimirum

ut meos, ut socios, ut amicos, ut innocentes contra vim injustam & invasions pro virili defendam. Sine dubio id intelligit Auctor, ut etiam occidendo invasores, eos defendam. Ergo velim tale mihi proferri ex Novo Testamento mandatum: nam ego nusquam illud reperio. Imo mandato de dilectione inimicorum talem defensionem interdictam esse video: & pro eo, quod Auctor proponit, mandato aliud reperio mandatum, nempe ut odio prosequamur parentes, conjuges, amicos, liberos, bona nostra, & nostras ipsorum animas. Quod etsi non ad literam intelligendum sit, sensum tamen habet isti defensionem, quam urget Auctor, summe contrarium: nempe nos non debere adeo addictos esse vitæ bonisque nostris & nobis conjunctissimis, ut eorum causa quicquam committamus Deo præceptisque Christi adversum. Cavillationem in voce simplicis fiduciæ libens prætereo.

X. *Quam multa Apostoli non præceperunt, nec gestarunt, nec fecerunt, quæ nobis faciendi & gestandi præcipit necessitas.* Sic respondere solent, qui ad rem, de qua agitur, non attendunt. Non de eo nunc quæstio est, an quicquid non præceperunt, vel non fecerunt, vel non gestarunt Apostoli, nobis facere aut gestare liceat? Quemadmodum Auctor videtur rem intellexisse: sed de eo, An obstrictos nos esse debeamus credere ad id, cujus nullum præceptum neque exemplum in vita Christi aut Apostolorum proferri potest? Quid ergo huc facit, quod Apostoli non gestarint aurum, neque argentum, neque æs in zonis suis, neque peram, neque duas tunicas, neque calceos, neque virgam. Quodque equis & curribus vestri non sint, neque ut vehamur præceperint? An ergo nos obstricti sumus, ut ista omnia gessimus; & equis curribusque vehamur? Sufficit ista nobis prohibita non esse, neque tacite neque expresse; sed obstrictos nos ad ista facienda esse nullo modo dici potest. Præterea quod Matthæi 10. Apostolis dictum est, ne gestarent aurum, & argentum, & calceos, & virgam &c. id ad certum tantum tempus durare debuit, & duravit. Sed postea contrarium ipsis datum est præceptum Luc. 22. 36.

XI. *Quamquam defensionem nostrorum & innocentium charitatis præcepto satis superque nobis mandaverunt.* Mandaverunt quidem; sed istud mandatum altero mandato limitatum est de dilectione inimicorum, unde defensio nostrorum & innocentium ita mandata esse intelligitur, ut non sit cum pernicie inimici conjuncta. Videat Auctor, quàm ipse defensionem amicorum cum cæde inimicorum conjunctam non aliter possit demonstrare, quam ex veteri mandato dilectionis amicorum, & cur nos non similiter ex novo de inimicis diligendis mandato queamus elicere: inimicos cædendos non esse.

XII. *Christi & Apostolorum vocatio peculiaris erat, speciale habens circa multa privilegium.* Imo eadem nostra quæ Christi & Apostolorum fuit vocatio, nisi quod illi doctores fuerunt, nos eorum discipuli sumus; illi præbant in via salutis, quæ una tantum est, nos sequi eos teneamur. Ipse Auctor in priori scripto suo de discrimine Pastorum & Auditorum recte differuit in hunc modum: *In Christi disciplina nulla in vitæ ratione inter utrosque differentia est, præterquam quod alteri præire, alteri præeuntes sequi debeant, & quod in præeuntibus quodvis delictum sit conspectus, quam in iis qui sequuntur.* Denique si quid peculiare fuit in Christo Apostolisque, quod à nobis non est imitandum, id in eo certe non fuit, quod ad pietatem spectat, & in quo nos sui imitatores esse jusserunt.

XIII. *Apostolis multa non licuerunt, quæ nobis licita, imo necessaria sunt.* An & in eo consistit aliquod privilegium, quod alicui aliquid non liceat? *Etsi arma non gestarunt, nec iis usi sunt.* Imo gestarunt; quia duo gladii erant in Christi comitatu: & usus etiam est gladio Petrus; dum Malcho præcidit auriculam in defensione Christi; sed à Domino idcirco reprehensus est, & jussu gladium recondere in vaginam. Quia quis-

quis gladio usus fuerit, gladio periturus sit. Unde falsum esse cernitur, quod subjicitur ab Auctore; *Quia nec, ut uterentur, opus habuerunt.* Sed & postea quomodo dici potest, eos non habuisse opus, ut uterentur armis, cum fuerint quoque in periculis, in itinere à latronibus: ut de se Paulus exferre testatur 2 Cor. 11. 36. Non tamen jam tum legimus eos armis ad se defendendum usos; nec credibile est, post illud Christi interdictum, eos id fecisse.

XIV. *At gestarunt Spiritum illum Dei, quo semper se suosque tutos à latronibus & illorum similibus præstare potuerunt.* Gestarunt quidem Apostoli Spiritum Dei, sed nusquam legimus illos eo usos fuisse ad tuendum se contra hostes & adversarios suos, ita præsertim, ut eos defendendi sui causa occiderent. Si quando spiritus ille effecit, ut servarentur, subductione ex oculis adversariorum (uti de Christo testatur Historia Sacra) id factum est, tunc cum nondum, ut caperentur, hora à Deo destinata venerat. Unde nihil inter nos & illos diversitatis, quæ ad rem faciat, colligitur. Nam etsi instructi isto non simus spiritu, quo illi (quam de Apostolis etiam, an semper spiritus iste miraculorum patrator in eis habitaverit, dubitari potest) tamen ut nos etiam subducamus ex oculis adversariorum, nobis integrum est, & subducemus certo semper, quamdiu hora à Deo determinata non venerit.

XV. *Illorum vita tota miraculosa erat, ut & sub Veteri Testamento Prophetarum, qui sine armis armorum copias in potestatem suam redigere poterant.* O si haberemus tale quid de Apostolis, quod armorum copias sive armis sive sine armis in potestatem suam redegerint! Sed captos eos & in potestatem armorum reductos non semel legimus: illos in suam potestatem redegit aliquando armatos non legimus, & an id facere potuerint, quando voluerint, dubium est.

XVI. *Illi ex Evangelio vixerunt.* Et hodie ut ex Evangelio vivant, qui Evangelium annunciant, privilegium habent. *Nobis ex agricultura & opificio &c. vivendum est.* Annon & Apostoli etiam Christo præsentem ex piscatione, & Paulus ex opificio manuumque suarum labore crebro victitavit? 2 Thess. 3. 8 & alibi.

XVII. *Hæc omnia ut recte fiunt, ita nihil defensionis præjudicant.* Imo præjudicant defensionem cruentæ, cum dicitur, non esse mei officii pro meis incerto eventu pugnare. *In qua usurpanda etiam adhibenda est prudentia.* Quomodo vero? *Ne videns vires longe impares irritem magis improbos, quam repellam.* Sed hoc difficile est judicare, quando vires sint impares. Nam sæpenumero fit, ut parva manu profligetur magnus exercitus: & iterum ut magnis multisque militum copiis nihil efficiatur. Deinde necessitas sæpe non patitur numerare hostes, aut vires eorum æstimare: & fortitudinis bellicæ est, non interrogare quot sint, sed ubi sint.

XVIII. *Ubi erit locus isti, quam dicit, patientiæ, non deerit Christianus prudens & pius officio suo.* Atqui semper ei locus est tum cum sumus in periculis. *Nec Deus me deferet, si ei placuerit, ut me servet.* Citius deferet Deus eum, qui mediis ad se defendendum utitur illegitimis, quam qui se totum ei commendat ac committit, etiam in gravissimis periculis non utens ullis nisi innoxiiis ad se servandum modis.

XIX. *Eodem spiritu præditus Auctor fuit, cum contra Meisnerum scriberet.* Rectius faceret Auctor si simpliciter & ingenue fateretur, se alterius esse nunc atque olim fuit sententiæ, quam ut in re manifestissima tergiversaretur, & conciliare laboraret scripta à se contra Meisnerum, cum sententia quam modo fovet, illis prorsus contraria. Quis enim nescit Auctorem tunc Socini propugnasse sententiam, & quis nescit, quæ Socini fuerit mens de interficiendis in defensione invasoribus?

XX. *Refutatio argumentorum Meisneri tota eo nititur, quod Deus eam patientiam potuerit imperare, ut nos à latronibus sine ulla defensione pateremur occidi &c.* Demus primo,

primo, rem ira se habere, ut ait Auctor: at certe jam nunc aliter sentit. Nam ne potuisse quidem id Deum imperare statuit, cum id, ut ait toties, sit contra famam rationem, adeoque stultitiæ plenum, & (in quo potissimum hoc loco citato Meisnerum refutavit) id sit contra legem naturæ, qua unicuique animanti insitus est sese tuendi & conservandi appetitus. Sed præterea non tantum potuisse Deum istud imperare, tunc Auctor sentit, sed etiam reipsa imperasse. Cur enim alioqui, ut id fieret, cum Socino urisisset? Id quod hæc, inter alia multa, ejus verba satis indicant: *Unde consequitur illos (scilicet Christianos) propter vitæ conservationem eousque progredi non debere, ut alterius vitam appetant, cum Deus si vitam eorum servare voluerit, alios intra hanc tam duram & truculentam rationem, modos facile sit reperturus. Itaque in periculis constituti, Deo vitam suam commendare debent, & circumspicere, si qua immoxia ratione elabi, & vim intentatam avertere queant: si nequeant, Dei auxilium opemque expectent, & ipsius providentiæ divinæ penitus sese permittant.* Hæc est ipsissima nostra sententia, quam Auctor olim defendit, non alia certe de causâ, quam quod persuasus fuerit, non tantum potuisse Deum imperare talem patientiam, sed etiam actu ipso imperasse. Nunc autem totus est huic sententiæ contrarius. An ergo immerito dictum; Auctorem alio spiritu præditum fuisse quondam, cum contra Meisnerum scriberet? Quod etsi hic inficietur nunc verbis, nescio quam ob causam, tamen reipsa id hoc loco prodit & confirmat. Nam ex professio refutat jam sua contra Meisnerum dicta: sed non pari profecto felicitate, qua ipse Meisnerum refutaverat. Cæterum & potuisse Deum sub Novo Fœdere imperare, & reipsa imperasse patientiam tantam, ut ab inferenda inavisoribus ac inimicis nec magis, quam à subeunda abhorreamus; operæ pretium fuerit hic exactius confirmare. Atque prius illud non tam ex absoluri domini ac potestatis divinæ amplitudine colligitur, quam ex magnitudine promissi nobis à Deo sempiterni in cœlis præmii. Jure immenso atque illimitatæ potestatis suæ potuisset quidem Deus tantam patientiam, etiam in mundi primordiis & sub Lege exigere: sed quia summum hominum bonum non nisi in hac vita tunc erat positum, nimis durum & pene iniquum fuisset tantam perfectionem ab iis requirere, qui ejus nullum imperare habebant præmium. Nunc vero cum ultra hanc vitam præmium tam amplum, nempe cœlestem & immortalem felicitatem nobis proposuerit Deus per Christum, quæ potest esse tam ardua virtus, quæ tanta laboris difficultas, quam non jure nobis imponere potuerit? Videlicet quia præmii amplitudo tendit in infinitum, etiam officia nostra Deus in infinitum, ut sic dicam, extendere poterat. Itaque recte agnoscit Auctor, Deum potuisse etiam nobis interdicare conjugio, bonorum possessionibus, divitiis, carnibus, vino, vestitu liberaliori, servis &c. Nimirum his omnibus abstinere, etsi naturæ nostræ maxime grave sit & inimicum, leve tamen aut saltem non intolerabile facere potest summa promissionum nobis à Deo factarum excellentia. Quemadmodum vero ex amplitudine promissæ à Deo sub Novo Fœdere mercedis, merito inferitur, potuisse Deum illimitatam à nobis patientiam postulare: ita quod reipsa eam à nobis postulet atque exigat in Novo Fœdere, liquidissime ex præceptorum Christi, nullis limitationibus restrictorum universalitate patet. Nam præcepta ista, *Diligite inimicos vestros, Orate pro persequentibus vos, Ne resistatis malo, Nolite vinci à malo, sed vincite malum bono &c.* tam late patent, ut & vi sua patientiam omnium injuriarum, etiam mortis à latronibus atque hostibus nobis inferendæ complectantur, & nullas in tota Novi Fœderis Scriptura limitationes, vel à Christi aut Apostolorum exemplo, vel ab ullo alio præcepto aut concessione Christi habeant: contra quam sit in iis rebus, quas Auctor ipse enumeravit, ostendens potuisse quidem eas à Deo prohiberi, si is jure

suo uti, & rigide agere nobiscum voluisset, sed tamen eas reipsa non esse prohibitas. Nam quod prohibitas non sint, manifestum satis ex eo est, quod non tantum nullum neque speciale, neque generale interdictum de iis exstet in Novo Fœdere, sed etiam quod sit aperta existent in Sacra Scriptura indicia, à quibus patet, illa à Deo Christianis concessa esse. Conjugium sane concessum esse, non modo exinde cernitur, quod Christianis conjugales leges sint ex professio præscriptæ; sed etiam, quod diserte dictum sit, honorabile esse connubium inter omnes & thorum immaculatum. Bonorum possessiones licitas esse, necessario ex divitiarum concessione sequitur: quæ tum ex præceptis, quæ Christianis divitiis data sunt, colligitur, tum ex voto Apostoli, quo Corinthiis divitias à Deo ad omne opus bonum exercendum precatur 2 Cor. 9. 8, 10, 11. De carnibus & vino sufficit, harum rerum usum nullo interdicto vetari, cum præsertim de cibo & potu generalem dederit Christus regulam, quod nihil intrans in os coinquinat hominem: quo faciunt & illæ Apostolicæ regulæ: *Quicquid in macello venditur, & quicquid appositum vobis fuerit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Regnum Dei non est cibus & potus.* Scio & persuasus sum in Christo Jesu, nihil commune esse per se, nisi ei qui existimat aliquid commune esse, ei commune est. Adde de carne locum Apostoli 1 Cor. 8. ult. ubi dum carnibus se in totum abstinere paratum testatur, si earum usus fratri scandalo futurus sit, satis indicat, vesci carnibus, si scandalum absit, nullum per se peccatum esse. Vino & Christus cum Apostolis usus est, & Paulus Timotheo uti suadet. Liberalior vestitus si luxum redeat, si pretiosus sit, expresse interdictus est ab Apostolo 1 Tim. 2. 9. & quia hac in re peccari facillime potest in excessu, in defectu vero non potest graviter peccari, modestiæ Christianæ est in contrariam luxuriæ partem quam maxime niti. Servos ac ministros habere Christianis permissum esse præter exemplum Christi, Pauli, Philemonis, etiam præcepta illa edocent, quæ Dominis Christianis tradita sunt, quibus eorum erga servos officia describuntur. Hujusmodi ac similia indicia limitatæ alicubi in Novo Fœdere patientiæ nobis à Christo præceptæ, si monstrare posset Auctor, sententia ejus facile vinceret.

X X I. *Si de mea unius vita ageretur, levius fuerit illius dispendium: sed cum agitur de multorum simul vita &c.* Non spectandum hic levius aut gravius dispendium, sed quid sit præceptis Christi contentaneum. Ergo cum meam vitam mihi defendere occasione adversarii non licet, utique mihi perinde nec aliorum, tametsi multorum, tametsi charissimorum & mihi conjunctissimorum, vitam hoc pacto defendere licet.

X X II. *At quid honestius est, quam suos defendere, cum possis?* Defendere suos cum nece instantium ita honestum est, ut id feræ ac bruta animantia maxime faciant, quæ nullam norunt honestatem. Et inter homines ad id faciendum ii tanto aptiores sunt, qui sunt ferociore, & sic feris ac belluis similiores. *Qui aliter faciunt, nonne desertores ac proditores appellantur?* A quibusnam sic appellantur? Certe non ab Apostolis, aut ullis divinis scriptoribus: sed ab hominibus hujus sæculi, patientiæ Christianæ decus & pulchritudinem ignorantibus. Apud eosdem inhonestum quoque est, aliam impingenti vicem non reddere, & quidem cum foenore, talesque timidi, imbelles, imo stulti appellantur atque habentur. In Lacedæmoniorum quoque historiis refertur, Ephoros quendam dignitate & loco summo movisse, quod pateretur contumeliam sibi fieri, neque par pari referret. Ipse Aristoteles vindictam inter virtutes reulit in Ethicis, & honorum non appetentem idem damnat, imo inambitosum pejorem ambitioso dicit. Unde cernere est, quam longe dispar sit istorum hominum mundanorum, licet eruditorum, judicium de rebus honestis aut inhonestis, à genio doctrinæ Christi, quæ talem nobis imperavit



patientiam ac modestiam, qualem mundus irridet ac pro stulta & vitiosa habet.

XXIII. *Est & isti patientiæ locus, ut nobis nec debeat vim injustam ulla vi repellere: sed nego semper illi locum esse.* Cur vero quod Christus generaliter & sine ulla restrictione præcepit, non debet semper habere locum? *Omnia pendent ex suis circumstantiis.* Omnino: sed sicut nullæ circumstantiæ efficere possunt, ut ebrietas non sit vitium, ita nec eadem efficient, ut occidere eum, quem Christus præcepit diligere, in vitio non sit.

XXIV. *Habet alicubi Auctor diserte contra Meisnerum, si charitates inter se pugnent, eam quæ justior sit, alteri præferendam esse.* Habet quidem, sed ad id ita pereleganter sane ibidem tunc respondit: „Et defen-  
„dere quidem innoxios charitas à nobis postulat, ve-  
„rum num ea defensio etiam ad eadem nocentis pro-  
„gredi debeat, ambigitur. At nisi id fiat, inquis,  
„deferuntur amici & innocentes. Imo vero non dese-  
„runtur, si quicquid extra eadem hostium possumus,  
„etiam propriam vitam periculis objectantes, pro eo-  
„rum salute facimus. Num si quis ut innocentem &  
„amicum conservaret, turpe quippiam facere recusa-  
„ret, desertor amici & innocentis dicendus esset?  
„Itaque non ante desertionem amicorum & innocen-  
„tum objicere potes iis, qui à cæde inimicorum pu-  
„ras manus servant, quam eorum eadem cum Chri-  
„sti præceptis haud pugnare eviceris. Nam si Chri-  
„stianum non est, eadem cæde occupare, minime  
„contra charitatem amico & innocenti debitam Chri-  
„stianus peccabit, qui hoc facere noluerit. Christia-  
„num vero id esse idcirco non videtur, quod cum cha-  
„ritate inimici, quem diligere iussi sumus, conciliari  
„non possit. Et quemadmodum non sic diligendi  
„sunt hostes, ut charitatem, quam amicis & innocen-  
„tibus debemus, violemus: sic vicissim non ita aman-  
„di sunt amici & innocentes, ut charitatis hostibus de-  
„bitæ obliviscamur. Et hoc est ita vere medium. si ita  
„& amicos & innocentes defendamus, & hostes ar-  
„ceamus, ut utrorumque charitati consulamus. Alte-  
„rum autem alterius causa deferere, est à medio ad  
„alterum extremum deflectere. Quid pulchrius,  
„quid solutius hisce dici poterat?

XXV. *Christus & Apostoli non fecissent, quod fecit Abrahamus hostes persequens &c. Non quod id peccatum esset.* Cur igitur? *sed quod hoc ad Christi & Apostolorum vocationem non pertineret: sic neque rem Oeconomicam, neque mercatorem, neque alia his similia complura exercuissent eandem ob causam.* Atqui & rem Oeconomicam interdum exercuerant Apostoli, (habebant enim aliqui domos suas) & opificio erant occupati, ut Paulus, & piscatione, ut Petrus cum reliquis: etsi ad vocationem eorum ista non pertinerent. Non sufficit ergo ista ratio: Christus & Apostoli non pugnassent cum hostibus, neve eos armis persecuti fuissent, sicut fecit Abrahamus; quia id ad eorum vocationem non pertinebat. Nam, ut monstratum, etiam talia faciebant illi aliquando, quæ non pertinebant ad eorum vocationem. Sed hæc est vera ratio: quia id vocationi eorum omnino repugnabat, qui non debebant sanguine hominum suas maculare manus, vel ullius animum perdere, ac proinde id pro peccato habebant.

#### ANNOTATIO V.

I. *Ubi Vir Præstantissimus ostenderit mei officii esse, ut me meosque prodam & trucidari permittam à latrone, ne suæ vitæ noceam, quamvis me meosque facile defendere possem, tum rem habebit confectam.* Quid amplius sibi ostendi postulat Auctor? cum ipsi non semel ostensum sit evidens præceptum, ut diligamus eos qui nos persequuntur; ne eis malum inferamus ideo, quia nobis illi malum inferunt. Quo præcepto satis interdictum est, ne vitæ eorum noceamus. Est autem hoc præceptum plane novum, quale nullum in Veteri Fœdere

extabat, nova quoque mercedis æternæ promissione à Christo sancitum. Itaque si tam hodie licitum nobis esset in defensione nostri nostrorumque, nocere vitæ inimici nos invadentis, quam olim Judæis licitum erat in simili casu, nihil sublimius Christus hoc præcepto tradidisset, quam tradidit Lex Moïsi. Quod cum absurdum sit, statuendum est, eum ipsum inimicum, quem Lex Mosaica permittebat occidere, mandari nobis hoc præcepto non interficiendi esse etiam in defensione nostri: atque hoc mandatum etiam cum iactura vitæ nostræ nostrorumque, si ita Deus permittat, observandum esse; quemadmodum & alia omnia Christi mandata. Et tamen Auctor dicere audet: *Ego vero hoc non officii esse puto, sed non mediocris vitii.* Itane vitium est facere mandata Christi, iisque servandis vitam impendere?

II. *Patentia quæ virtus est, proinde & præceptum est, quamvis summa sit, suum tamen rectum & convenientem habet modum.* Ita: sed non alius rectior & convenientior modus à nobis excogitandus est, quam quem nobis Scriptura Sacra præscribit. *Alias patientia materia tantum est virtutis & vitii.* Nos loquimur de Christiana patientia: quæ non potest esse virtutis simul & vitii materia.

III. *Supra etiam diximus, multa concedi & permitti à Deo, quamvis adversus pios &c.* Multa concedi & permitti à Deo etiam adversus pios, nullum est dubium. Sed quod ea lege permittantur, ut se pii armis, & quidem cum internecione hostium tueantur, hoc est quod negatur à nobis.

IV. *Non debent pii tantum sibi præsumere, ut sui causæ naturæ & rerum cursum inverti velint.* Non est opus, ut Deus naturæ & rerum cursum nunc invertat priorum causa: habet ille alia media, eaque ordinaria, quibus tueri possit facile suos, etsi naturæ cursum non invertat.

V. *Non æquant se Christo & Apostolis aliisque Prophetis &c.* Omnino non æquant. Sciunt enim eos & sanctitate præcelluisse & donorum divinorum copia. Interim eos imitari in sanctitate & patientia officii sui esse ducunt: & cum Deus eandem curam Angelorumque custodiam hodie piis promiserit, qua gavisi sunt Apostoli & Prophetæ, non arbitrantur absurdum sperare, quod Deus promissa sua non minus illis, quam Apostolis & Prophetis servaturus sit.

VI. *Vere piis nihil est modestius, nihil humilius &c.* Non est modestia & humilitas de auxilio Dei promisso dubitare, & se aperto Christi mandato opponere. *Nihil simplicius simul & prudentius, ad dignoscendam speciem summæ patientiæ &c.* Hæc simplicitas & prudentia si ex Sacris Literis fumatur, vera simplicitas est & prudentia. Sed quia vulgo à carne & mundo fumitur, ideo qui sibi videntur prudentes & sapientes, nihil minus sunt quam tales.

VII. *Armam non habere in promptu, nec iis instructum incedere in media pace &c.* Recte hic Auctor laudat Turcas & Tartaros & Persas, omnesque ferme Orientales populos, quod inermes sint pacis tempore: sed Christianorum est semper etiam in locis infestis (quanquam ea illis quam maxime sunt fugienda) inermes esse. Debent enim esse ἀνέργους, sine cornibus: debent esse sicut oves ad mactationem paratæ, & velut agni coram tondente mutæ, neque aperientes os suum.

VIII. *Sed inermem esse, ubi armis est opus, in locis infestis, latrociniis obnoxiiis, hominis est vel ignavi, vel invalidi ac mutili, vel imprudentis.* Nonne datur quantum aliquid? Obiit est hic puto Auctor Apostolorum, de quibus supra dixit, quod arma non gestarint. Hi opinor nec ignavi, nec mutili aut invalidi, nec imprudentes fuerunt. Non tantum autem in locis pacatis, sed nec in periculosis usi sunt armis, quantum scimus, præsertim post acceptum Spiritum Sanctum. Sed & dese ipse Auctor testatur, quod in eo statu sit, ut armatus non incedat, nec puto hæcenus etiam in infestis locis incescit; & tamen se nollet horum à se recensitorum numero accenseri.

**I X.** *Nec pro Christo jugulum præbere tempus est, cum temerarius aliquis sine publica auctoritate eo nomine invadit.* Semper tempus est, jugulum pro Christo præbere, quando me invadit aliquis Deo permittente, eo nomine quod Christi sim. Nec potest esse nisi temerarius, qui me innocentem eo solum nomine invadit, five Magistratus sit, five non. Sed Auctor video paratus est pugnare potius & sanguinem talium effundere, qui eum ob Christi nomen invadant, si non sint publica auctoritate muniti, quam ut ipse suum præbeat pro Christo sanguinem: tametsi hujus exemplum habeat passim in martyribus, illius nullum. Quam sæpe primi Christiani non à Magistratu, sed à privatis hominibus malevolis & malefieriatis, à turba & sæpe populi, quæ nulla fuit auctoritate publica instructa, persecutionem passi sunt. Sic Stephanus lapidatus est: & Paulus Act. 14. Idem à malitiosis Judæis verberatus, donec à Tribuno cum militibus superveniente è furioforum manibus eriperetur Act. 21. nec tamen ullam contra eos coram Magistratu actionem instituit, ullamque vindictam spiravit. Sed nec illi, qui conjuraverant adversus Paulum Act. 23, ulla erant auctoritate legitimi Magistratus muniti: & tamen Apostolus cum eis pugnare, vel vi Spiritus Sancti, quæ præditus erat, eos prosternere ac interimere non sustinuit; sed innoxia ratione maluit se ex eorum iniuriis expedire.

#### ANNOTATIO VI.

**I.** *Armis instructum non esse, cum armis opus est, & cum iis instructus esse potueris, credo majus ac periculosius esse vitium, quam pecunia carere &c.* Cur ergo ipse Auctor non magis dat operam, ut armis instructus incedat, quam ut pecunia careat? An ipse non potest in periculum tale incidere, ubi armis opus sit? Deinde ne pecunia careamus, tum Christi nos docet exemplum, tum Apostolica præcepta, quibus laborare jubemur, ut non tantum habeamus quo vivamus, sed etiam quod elargiri egentibus queamus. At de armis nihil simile habemus.

**II.** *Non vero sequitur, Deo etiam sine armis & sine pecunia fidendum non esse, sed si quid nobis calamitatis defectus armorum vel pecuniæ adferat, id nostræ ignavia vel imprudentiæ, ne stultitiæ dicam, imputandum esse.* Ergo etiam cum ignavi & imprudentes ac stulti sumus, Deo fidere debemus? Juvatne etiam stultos, ignavos & imprudentes fiducia in Deum? Non. Qui ergo non sequitur, Deo sine armis & pecunia fidendum non esse?

**III.** *Nolle fugere, quomodo in vitio non sit, si imprudentiæ est?* Vitium intelligimus, quod æternam damnationem mereatur. Atqui imprudentia, & quidem talis, à qua maliia omnis abest, non meretur æternam damnationem. Ergo vitium tale non est.

**IV.** *Et nolle fugere, fiducia in Deum, tentatio Dei est.* Atqui Auctor hoc hiæce temporibus maxime urgit, ne fratres ex Polonia fugerent, sed etiam cum præsentissimo periculo manerent, fiducia in Deum, quod eos conservaturus sit, vel ex eorum afflictionibus gloriam insignem nomini suo conciliaturus. Ergone Auctor fratribus Auctor est, ut Deum tentent. Non puro. Falsum igitur necesse est hoc pronunciatum simpliciter prolatum.

**V.** *An Vir Præstantissimus hoc in dubium vocat, Christi præceptum de non resistendo locum habere, cum non resistere virtus est?* Hoc in dubium vocatur, quod ab Auctore affirmatur, in levioribus tantum injuriis non resistere virtutem esse, in gravioribus vitium. Negamus enim unquam dari non resistere quod vitium sit. Respondet Auctor: *Sit hoc nunc ita ut dicis.* Si hoc conceditur, tum falsum est, aliquando vitium esse non resistere: & sic incongrue dicitur, præceptum de non resistendo locum nonnisi tunc habere, cum non resistere virtus est; quasi non resistere unquam vitium esse possit. *Mihi de sensu verborum Christi agentis, sufficit demonstrare Christi præceptum de non resistendo, ultra in*

*jurias ab ipso Christo recensitas & earum similes tendendum non esse.* At hoc demonstrari non potest eo quo Auctor vult modo, si, quod verum est, & Auctor nunc concedit, non datur unquam non resistere, quod vitium sit.

#### ANNOTATIO VII.

**I.** *Si vitium latius pateret virtute, qua illud Christus arceat, profecto male illud arceret.* Sed hoc nemo negat, vitium tam late patere, quam virtus, qua illud Christus arceat. Nam sicut virtus est nunquam vi armata resistere, ita vitium est aliquando sic resistere. Illa virtus in omnibus casibus locum habet: & hoc vitium in omnibus. *Non ergo malo resistere ultra fines à Christo contraria virtute præscriptos, vitium esse potest.* At Christus nullos fines præscripsit virtuti, qua vitium arceat: sed simpliciter ne resistamus malo, scilicet vi opposita, imperavit, nec casus ullos exceptit, ubi resistencia esset licita.

**II.** *Quod si autem verum est, graviores injuriarum casus contra pios non dari, quid tam solícite pugnat Vir Præstantissimus &c.* Cum dicitur non dari graviores injuriarum casus contra pios, id intelligendum est ita, prout non semel explicatum, quod non dentur ea conditione, ut se ipsimet armis & hostium interfectione defendant. Nam hoc pacto sane illos obicere periculis & casibus, est contra paternum amorem & sapientiam Dei, contra aperta ipsius promissa, postquam eos ne se armis defendere possint, tum præceptorum suorum vinculis ligavit, tum carnali potentia destitutos esse, & tanquam oves inter lupos versari, atque in se uno ac solo confidere voluit. Ideo quo minus resistentiæ piis permixtum est, quod major circa eos est cura Dei, eo certius est, non facile iis graviores casus posse contingere. Quod si tamen contingant nonnunquam, tum pii sciunt se tentari, non an fortiter se defensuri sint, sed an patienter, quicquid Deus de illis statuerit, sint laturo: idcirco non ad pugnam, sed ad patientiam se componunt. Itaque quæ hic contra Auctor prolixè disputat, scopum non tangunt, & cum jam aliquoties ad ea sit in superioribus responsum, nunc nova responsione non indigent.

**IV.** *Non hanc ob causam, de qua agimus, Christus graviores non adducit injuriarum exempla, sed quod de illis non ageret.* Etsi in prioribus Annotationibus negatum non sit Auctori, quod Christus leviorum tantum casuum exempla attulerit: sed tunc datum hoc tantum est, non concessum. Nam si accuratius rem consideremus, verba Christi talia sunt, ut non leves duntaxat injurias, sed & graves in se complectantur: siquidem & oculi & dentes excuti, quin & vita eripi potest per *πάστιμ*, de quo Christus loquitur, quod significat percussione duriori aliquo instrumento factam, puta baculo aut ferro, præsertim si ictus sæpius repetatur; quos reperi-tos ictus ferre nos jubet Christus eo ipso, dum obvertendam esse alteram maxillam percutienti docet. Sed nonne quoque voluit, ut patiamur omnibus bonis nos spoliari, quando tunc cum omnes discipulorum opes ac facultates ferme intra tunicam & pallium consistebant, præscripsit eis hanc patientiam, ut se & tunica & pallio spoliari paterentur? Tandem quæ major potest esse servitus, quam angariatio illa, quam Christus nominat? De qua Beza in Annotationibus suis ait, *proponi hic à Christo servitii genus pene intolerabile, quod etiam peculiari vocabulo fuerit declaratum.* Neque enim refert, quod Christus unius vel alterius tantum milliaris meminit. Id enim facit propterea, quia non erat moris, ut ad plura miliaria una vice quisquam angariaretur. Interim tamen quod me hodie pati vult Christus, id non minus vult feram cras, & post sequentibus diebus, si contigerit. Non est ergo quod hic solas tantum leves injurias cogitemus; cum verba Christi ita sint comparata, ut etiam gravissimas injurias significare possint.

**IV.** *Quid ergo, inquis, præmii mihi erit, si me defendam?* Non jam hoc quaeritur; sed hoc potius: Quid singularis præmii mihi erit, si strenue pugnando & me

meosque defendendo vitam perdam? Ad hoc nobis respondeat Auctor. Si enim virtus est, sic se amicosque & innocentes defendere, opus est, ut virtus ista aliquam mercedem habeat à Deo constitutam. At nos nullam novimus, nec invenimus in Novo Testamento. Nec sufficit, quod dicit, patientiam me præmii loco habiturum. Nam patientia non præmium est, sed virtus, quæ ipsa maximo præmio digna est. Deinde quæ laus est istius patientiæ, quæ exercetur tunc cum non potes non pati, cum tibi nullæ sunt ad resistendum vires? Perinde quasi patientem dicas, ligatum manibus & pedibus, quod percutientem non repercutiat. Tunc patientia ratione ipsa dictante maxime laudabilis est, cum possis quidem resistere, & carnis te impetus carnalesque rationes ad resistendum impellunt, sed Dei metu & reverentia abstinens, & ultro conscientia causa subis gravissimum quoque infortunium.

V. *Virtus quam Christus inculcat, est percutienti maxillam alteram obvertere &c.* Recte. Ergo vitium huic virtuti oppositum & à Christo vetitum est, percutienti maxillam &c. resistere. Etiam hoc recte. Sed hoc non recte quod sequitur: *Et sic in his, & consequenter horum similibus, id est, levioribus injuriis, liberaliter patientem non esse.* Glossa ista de levioribus injuriis, absque causa, absque fundamento & necessitate adjecta est. *Levia, quales communiter injuriæ sunt* (quasi non & graves communiter accidunt, præsertim Christianis, qui apud omnes exosi sunt) *pro levibus ducere debent Christiani.* At tanto major est virtus, gravia pro levibus ducere, nec tanti facere, ut eorum causa ulla certamina geras aut tumultus excites. Et quam obsecro jejuna atque inepta fuisset ista oppositio, quam Christus instituit inter Legem Mosaicam & suam, si leves tantum hic injurias intellexisset. Nempe verborum istorum, *Audivistis dictum fuisse antiquis, Oculum pro oculo &c.* sensus esset: sub Veteri Foedere permissum fuit vindictam sumere per Magistratum de eo, qui oculum vel dentem alteri excussisset, vel plagam infixisset, multo magis qui animam ac vitam ademisset. At ego perfectioris sanctitatis Magister injungo, ut si cui alapa tantum impingatur, vel aliqua levior injuria fiat, sese non vindicet: in illis vero gravioribus injuriis, quæ in Lege expressæ sunt, non impedio, quin vos ipsos vindicetis. Quod perinde est, atque si dixisset: *Audivistis illic licitum fuisse graviore injurias vindicare.* Ego vero volo, ut leviores tantum non vindicetis. Quæ oppidò frigida oppositio foret.

#### ANNOTATIO IX.

I. *Fortunæ media sunt vitæ, quas qui defendit, vitam defendit.* Fortunæ sunt media vitæ, sed reparabilia: vita est irreparabilis. Veste quidem egeo, sed non hac ipsa veste quam habeo: nam etsi hanc perdam, possum tamen vivere, quia aliam possum acquirere. Ira sine domo, sine pane, sine alimento vivere non possum, sed non præcise sine hac vel illa domo, sine hoc pane vel alimento. Itaque qui fortunas has vel illas defendit, non statim vitam defendit, quia potest etiam sine his vivere. Interim hominem occidere & vitam irreparabilem ipsi eripere, propter conservandas res reparabiles, quantæ crudelitatis est & temeritatis?

II. *Et anima latronis impoenitentis, nec unquam ad veram poenitentiam perventuri, nullus est apud Deum pretii &c.* Unde scit Auctor, quod latro nunquam sit ad veram poenitentiam perventurus, ut tam simpliciter id affirmare possit? Deinde nonne ipse supra fassus est, Christum etiam pro iis mortuum, quos in pugna occidimus? Ergo hinc apparet, non adeo vilem esse coram Deo animam latronis; cum pro ea animam Filii sui unigeniti non minus quam pro aliis omnibus hominibus expenderit. Præterea supra asseruit, Christianum Magistratum fures nunquam capitis supplicio affecturum. Quamobrem vero? nonne ob hanc rationem, quod nulla inter vitam hominis, quamvis furis ac impii, & inter fortunas nostras, quæ furto auferri possunt,

fit proportio? Verum si hæc valere debeant, quæ hoc respondet loco Auctor, jam ista ratio de furibus patibulo non alligandis nihil valeret.

#### ANNOTATIO X.

I. *Est ergo verum, ut omni petenti demus &c.* Hoc præceptum de dando & mutuando intra boni & æqui terminos intelligendum esse nemo negat. Sed hujus præcepti terminos habemus in ipsa Sacra Scriptura expressos. Ut piis omnes facultates ab invaloribus eripiantur non posse contingere, dictum non simpliciter, sed cum tali additamento, nisi ob causas singularissimas; cujus rei vel Jobi ab Auctore allegati exemplum documento est.

II. *Tanto vero sapius id contingeret, si scirent id sibi semper adversum pios impune fore.* Potius dicendum erat, si Deus id permetteret. Nam cur non alapæ piis sapius infringuntur, cur non tunica eis auferuntur sapius, vel ad milliare unum atque alterum adiguntur, etsi sciant profani homines impune id fore? Nempe Deus est supremus rerum moderator, sine cujus nutu atque permissu adversi ne minimum quidem nobis potest accidere. Quid vilius est pilo? & tamen nullus de capite nostro sine Patre nostro cælesti decidere potest. Cur ergo dicamus, si scirent mali impune & fore, quando piis nocent, eos sapius nocituros? quasi hoc in ipsorum esset situm voluntate aut potestate, nocere piis, quando volunt. O si hoc verum esset, jam dudum actum esset de piis omnibus!

III. *Qualia sunt, Non judicate, ne judicemini &c.* Omnino præceptum de non judicando & non condemnando, intra eum modum intelligendum est, ut excipiantur ea judicia, quæ Scriptura Sacra ipsa excepit, & nominatim permissa esse indicavit: qualia sunt judicia Ecclesiæ, quæ est peculiariter pro judice Christianis data & instituta. Sed judicia capitalia & condemnationes ad mortem, ut hinc excipiantur, quæ ratio ex Scriptura evincit?

IV. *Nam nec Pater noster semper dimittit, & semper misereatur.* Magna est differentia. Nos, nisi semper dimittamus, non possumus dicere Orationem Dominicam, & orare, *Dimitte nobis debita nostra* (etiam gravia) *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Deo ut sic oret, aut omnino oret, nihil opus est. Multa Deus facit, quæ nobis tamen integrum non est facere. Illi & innocentem fas est occidere, mortali bus nefas. Videlicet ille est absolutus rerum Dominus, cui leges nemo præscripsit, nobis secundum præscriptas ab illo leges ambulandum est. Insuper quod etiam dimittere debeamus gravissimas culpas, Christus exemplo suo docuit, qui dimisit culpam interfectoribus suis, & Patrem pro eis oravit: præterea adulteram in tanto crimine deprehensam, liberam dimisit ac dimitti fecit.

V. *Imo vero Christus hoc suo præcepto judicandi reliquit potestatem.* Hoc nimis subtile est, ut non percipiam, quid hic sibi Auctor velit! Ergone etiam cum Deus dixit, *Non furaberis, Non mæchaberis*, reliquit furandi & mæchandi potestatem? Cur enim diceret, *Non judicate, nisi esset potestas judicandi?* Esse potestatem judicandi in mundo quis nescit talem, qualem omnes homines habent potestatem peccandi vel non peccandi, male aut bene faciendi? *Potestatem ergo ponit Christus, non tollit.* Potestatem quidem ponit talem, qua vel male vel bene facere possumus: sed jus vel licentiam faciendi suis præceptis non supponit; verum dat in faciendis, & tollit in omittendis.

VI. *Vellem ut Vir Præstantissimus agnoscat, se tueri sententiam absurdam, quæ eum adegit, ut divina circa pios providentia terminos auderet præfigere.* Vellem & Auctor agnoscat, se mentem nostram non recte percepisse; alioqui à tali censura abstinuisset. Puto autem satis explicatam nunc esse mentem, si alicubi antea fuerat obscurior.

VII. *Etiam si enim piis concedatur jus cædendi invaloris, nunquam tamen eum cadent.* Quare? Quia ut cedant, ob divinam providentiam (ut putat Vir Præstantissimus) nunquam erit opus. Sed hæc providentia non nisi ad tales pertinere intelligitur, qui non habent ullo casu animum occidendi. At si pii putent sibi concessum esse jus cædendi invaloris, quidni & animum occidendi habeant?

VIII. *Ut magis etiam quam ille non armatus incedam.* Atqui secundum sua principia debet armatus incedere, quia si quid ipsi (quod Deus prohibeat) accideret mali & adversi, sua culpa id pateretur. *Et non minus quam ille sanguinem humanum nunquam fusurum me sperem.* At non is tantum fundit sanguinem, qui id manu sua facit, sed etiam qui alius fundendi sanguinis auctor est, vel saltem non prohibet, cum prohibere possit, & ex officio debeat.

Atque hæc respondere placuit, ut Auctori ansam daremus altius de hac materia cogitandi, tum ut videat, non temere nos in nostra adhuc perseverare sententia. Paxit Deus pacis, ne in mandatis ejus tum intelligendis, tum faciendis ullatenus sive ad dextram, sive ad sinistram aberremus. Amen.





# INDEX RERUM

## Memorabilium & Phrasium S. Scripturæ in operibus L. Wolsogenii occurrentium.

*Numerus II. numeris prepositus secundam partem operis indicat III. Tractatus numeri caractere impressas.*

### A.

- A**biud quomodo Zorobabelis Filius 36  
Abrahami nativitas & vita describitur 20  
Abrahami sinus quis Luc. 16. 22. 643 a.  
Adoratio qualis à Magis Christo fuerit præstata 114. quæ & quatenus hominibus, Angelis, Deo & Christo competat 189, 190. eam quo pacto jure Christus Diabolo negare potuerit verbis Deut. 6. 13. Matth. 2. 2. 191  
Adventus Christi quis, & quotuplex Matth. 10. 23. pro missione Spiritus Sancti in Apostolos. ibid. p. 273 b. 274 a.  
Adulterium in Lege & Euangelio quid sit 220  
Ab æterno dicitur præmium piis esse paratum, nulli vero poena ignis inextincti 400  
Agnum paschalem, quando Christus comederit 522 & seq.  
Alma quid significet Es. 7. 14, nempe intactam virginem probatur 53, 54  
Ambulare pro operari 630 a.  
Angeli an, quando & quomodo adorari possint & debeant 189, 190. quomodo Marcus cap. 16. 5, Angelum in monumento sedisse, item Joh. 20. 12. Matthæus vero extra illud affirmet 442 b. conf.  
Brenium in Matth. 24. 4. & Amicam disp. ejus p. 87. Angelus quomodo Christum corroboraverit 677 a.  
Anima pro vita 132. Matth. 20. 28. 349  
Animarum transmigrationem Judæos credidisse & Pythagoræos 302 a. b.  
Annas & Cajaphas quomodo simul Pontifices Maximi appellantur à Luca 571 a.  
Ἀνὴρ δὲ super pro denuo 746 a.  
Apertio mentis quomodo à Christo Apostolis sit præstata 694 a.  
Apostolis duodecim, quomodo mens à Christo sit aperta 694. quomodo non habuerint pecuniam II. 18. b.  
Ἀρετὴ πᾶσι quid sit 292 a.  
De armis, & bellis Christianorum II. 288. b.  
Articulus ὁ non semper certam aliquam rem significat 200  
Asino vehi olim honorabile, sed Christi temporibus vile & cur 351  
Athanasium, cui Symbolum istud absurdissimum adscribitur, plane contrarium docuisse ac id quod Symbolum istud continet II. 307 b.  
Avaritia quid sit 619 b.  
Audire pro intelligere II. 139 b.  
Augustus Cæsar quo anno orbem describi curaverit 565 & seq.  
Aurum & argentum quomodo non habuerint Apostoli II. 18 b.

### B.

- B**abylonica captivitas quando initium sumserit 33  
Baptismus immersione fieri solebat Matth. 3. 6. p. 151. circa illum varii errores & superstitiones 160. pro afflictionibus Matth. 20. 22. p. 346. in quem finem institutus sit 74 b.  
Baptismus Johannis quamdiu durare debuerit 152. & ad quos pertinuerit ibid. & seq. an idem sit cum baptismo Apostolorum post ascensionem Christi 171 & seq.  
Baptismi formulam aliquam an Christus præscripserit 448 b.  
Baptismus qualis intelligatur Matth. 28. 19. 448. & seq. pro largiter dari II. 2. a.  
Baptizare discipulos in nomen Patris, Filii, & S. S. quomodo intelligendum Matth. 28. 19.  
Beelzebub, vel Beelzebuli nomen unde originem habuerit 274 b.  
Bellum gerere an Christiano licitum 241 & seq.  
De bellis & armis Christianorum II. 288 b. III. 65 & seq.  
Blasphemia in Christum & in Spiritum Sanctum quousque remissibilis fuerit, in Spiritum Sanctum, quid Matth. 12. 32. p. 289. b. an remissibilis sit 291  
Bona temporalia pauperibus esse distribuenda & quatenus 3. an & quomodo possidere liceat 339, 340

### C.

- C**adaverum in lectulis efferendi mos apud Judæos honoratior 595 a.  
Cælum apertum, neminem præter Christum & Johannem vidisse Matth. 3. 16. probatur novem argumentis 164, 165. in cælo gradus fore beatitudinis ostenditur 212  
Caiphas Pontifex & Annas quomodo, simul à Luca appellantur Pontifices Maximi 571  
Captivitas Babylonica quando cœperit 33  
Caro ossa quomodo evincant Christum non fuisse spectrum 69. a. caro Christi quomodo mundetur 808, 809 b.  
Cartesii Meditationum Metaphysicarum solida refutatio III. 79. seqq.  
Centuplum pro multis 342 b.  
Cerinthi quænam opinio de Christo 702 a.  
Charitatis in Euangelio præscriptæ præ illa quam Moïses lex exigit præstantia 3. de perfecta charitate Christiana II. 285 b.  
Christus cur Davidis Filius inter tot progenitores appelletur 19. quomodo ex femine Davidis fuerit 37, 39, 40. an ex Maria carnem assumeret p. 42. quo anno mundi natus fuerit incertum & disquisitio super ista quæstione p. 99, 100. . . . quinque annis antiquior statuitur quam vulgaris est computatio 100. . . . cur in Ægypto &

# Index Rerum Memorabilium.

non in patria sua servatus à Deo fuerit, ut in tenera ætate illuc devehi debuerit 124. quamdiu in Ægypto commoratus fuerit 125. cur cito ex aqua adscenderit, à Johanne baptizatus 163. an solus coelos apertos viderit, an vero cum Johanne 164. quod non sit summus Deus probatur 177 & seq. 393, 531 & seq. se à Diabolo tentari initio nescivit 185, 189. concio ejus Matth. 5, 6 & Luc. cap. 6. an eadem sit 198 & seq. an doctrinam suam legi, an vero falsis Phariseorum interpretationibus opponat Matth. 5. 6. 213, 214, 215. adventus qualis intelligatur Matth. 10. 23, vide adventus. quo sensu Christus nos redemerit 349 & seq. non est Deus summus, quod probatur 346 b. cur Christus 5 die ante Pascha Jerusalem ingressus sit 351. cur sicui maledixerit? 354. officio post resurrectionem suam apparuisse discipulis, probatur 446 b. easdem parabolas & conciones diversis temporibus habuit, & scopo suo diversimode accommodavit 467 a. an eodem, an vero diverso tempore à Judæis Pascha comederit 512 & seq. corpus suum de coelo non accepisse, probatur 535 b. an duas naturas habuerit 546 b. & seq. quo anno fuerit natus 562 & seq. & quo anno passus 685 & seq. quando apud Deum fuerit 707 & seq. 750. de ejus vera divinitate 708 & seq. an seipsum ex mortuis resuscitaverit 742 & seq. non esse Deum altissimum 777, 780. II. 301 & seq. ejus potestas quatenus limitata & quatenus illimitata sit 781 & seq. verum hominem fuisse II. 300 a. non esse Deum summum III. 3 b. & seq. de eo quænam sint cognitu necessaria 3 b. & seq. cur baptismum à Johanne acceperit Matth. 3. 15. p. 162  
**Clavis** dari solebat apud Hebræos, illi cui facultas legem interpretandi dabatur 658 a.  
**Claves regni** coelorum, quid Matth. 16. 19. 316 b.  
**Cœna Dominica** quomodo celebranda & in quem finem à Christo sit instituta 414 & seq. non ut in ea aliquo beneficio fruamur, sed Dei beneficia celebremus, ibid. de institutione cœnæ 514 & seq. 671. an sub una specie exhibere eam licitum sit 691 b.  
**Cognitio Dei** in quibus rebus consistat III. 2. & quænam ad eam sint necessaria 3. & ad *cognitio- nem* Christi ibid. b.  
*Tanquam columba* quid significet Matth. 3. 16. 165. ejus figura cur Deus in mittendo Spiritu S. visus fuerit 166  
**Cometæ** an & quomodo aliquid significant 112, 113  
**Communio bonorum** qualis inter primos Christianos viguerit II. 17 b. 29 a. 30 b.  
**Concio Christi** Matth. 5. 6. & Luc. 6. 17. an eadem sit 198 seq. ad quos pertineat 200  
**Confirmationem Novi Fœderis** longe excellentiorem esse ea qua V. Fœdus fuit sancitum probatur 6 & seq.  
**Confiteri pro laudare, gratias agere** Matth. 11. 25. 281 b. 559 a.  
**Corban** quid sit 373  
**Corpus Christi** in cœna D. non proprie edi, nec sanguinem proprie bibi 409 & seq. vox *corpus omni-æ* proprie cadaver significat 414  
**De corporis Christi** ubiquitate, vide ubiquitas.  
**Credere in aliquem vel in aliquid** pro simpliciter credere 455 b.  
**Crux** pro qualibet afflictione 277 a. crucis supplicium quale 277 a.  
**Cultus Dei** an absque respectu remunerationis à nobis exigatur 366 b.

## D.

**Dæmonia** ejiciens in nomine Christi, licet non è numero sectatorum ejus esset Marc. 9. 38, 39.  
**David** cur apud Matthæum ante Abrahamum appelletur 20. ejus vita 24. curillum solum regem Matthæus appellavit, ibid. quomodo à Marco ad Abjatharen, sed 1 Sam. 21. 1, 2 ad Achimelechum venisse dicatur 459 & seq.  
**Decreta Dei** quædam esse conditionata 596 b.  
**Defensio** an & quatenus Christianis licita? II. 279 b. 284 a. III. 65 & seq.  
**Descriptio terræ**, ab Augusto institutæ, quo anno facta 565 & seq.  
**Desertum** quale fuerit in quo Johannes prædicavit 142 & seq. Christi, quale Matth. 4. 1.  
**Contra supremam Christi Deitatem** nullibi quam in Euangel. Johannis plura extare Testimonia 713 & seq.  
**Deus** an essentia sua ubique præsens sit 166. quatenus & quomodo in coelis, & ubique sit 247. De Deo Patre primæva Christianorum doctrina II. 297 & seq. ipsum unam tantum esse personam ibid. & solus Deus altissimus 298 b. De Dei natura & essentia III. 17 & seq. Deum esse an Cartesius recte probaverit III. 82 & seq.  
**Diabolus** Christum tentans, qua forma eum accesserit Matth. 4. 3. 184. quamdiu & quomodo ibid. quid prima tentatione intenderit 185. quomodo Christum in sanctam civitatem assumerit 18 b. quomodo Christo omnia mundi regna ostenderit 188. boni angeli speciem tunc assumpsit 189. ejus peccatum quodnam fuerit II. 228 b.  
**Dianæ templum** quale fuerit II. 123 b.  
*Διαβολος* quid I  
**Dies præsens & crastinus** Matth. 6. 34. quid significet 252  
**Dilectio Dei** ex toto corde &c. & dilectio proximi, ut sui ipsius; multo major sub Novo quam sub Veteri Fœdere exigitur 366, 367. qua in re consista, ibid. & an præstari à nobis queat qualis exigitur ibid.  
**Discipuli Christi**, qui dicantur Matth. 5. 1. 200  
**Divites** quo sensu miseri dicantur 591 b.  
**Divinitatis vera descriptio** 70 b. & seq.  
**Divitias magnas** acquirere aut retinere, an & quatenus doctrina Christi permittat 338 & seq.  
**Doctrina primæva Apostolica** de Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto II. 297 & seq.  
**Dominari** quid sit Matth. 20. 25. II. 209 b.  
**Dominorum Christianorum** potestas in servos quousque se extendat II. 266 b.

## E.

**E** Bionitarum de Christo sententia refellitur 17, 18  
**Ecclesia** pro coetu hominum 315. an possit errare & deficere 315, 316  
*Ἐκκλησία* quid significet Joh. 1. 14. 726 a.  
**Electi** qui Matth. 20. 16. 344. duo credentium genera significat vox electorum ibid.  
**Electi**, pro iis qui excellunt inter vocatos Matth. 20. 16. p. 344  
**Enallage** muneri pluralis pro singulari 131  
**Epicureorum & Epicuri doctrina** II. 109 a.  
**Esavi** quare nulla mentio inter majores Christi 22  
**Essenorum, Phariseorum & Sadduceorum** vita, mores, origo & instituta recensentur 173 & seq.  
**Esse cum aliquo**, quid Matth. 26. 69. xxviii. 20. Joh. cap. 8. 29. 450 b.  
 Euang.

# Index rerum Memorabilium.

Euangelicam historiam quinam perſcripſerint 520 a.  
Euangelii præ lege Moſis præſtantia, in quibus re-  
bus conſiſtat 3  
Eunuchus unde ita vocetur II. 57 b.  
Ex pro à 42 Matth. 1. 18.  
Ezechias Rex, quo tempore regnum Judæ ſuſceperit 30. & quando natus fuerit, ibid. ejus vita 31

## F.

**F**ides ſalvifica quid 809. in fide petere quid II. 182 b.  
Fides Petri, an cum Chriſtum negaret defecerit 674 b.  
De perfectâ fiducia in Deum & Chriſtum in genere, & quid illa ſub ſe comprehendat II. 256 b.  
Filius Davidis cur Chriſtus in genealogia à Matthæo appelletur 19, 20  
Filius pro uno ex poſteris 19 Matth. 1. 1 & ſeq.  
Filium hominis cur ſe Chriſtus appellaverit 260 b.  
Filii Dei nomen Meſſiæ proprium eſſe inter Judæos fuit notiſſimum 454 a. appellationis iſtius quæ primaria fuerit cauſa 454 a.  
Filii pro diſcipulis Matth. 11. 16. p. 280 b. hominis pro quovis homine Matth. 12. 8. 285 a, b.  
Fimbria in veſtimento Chriſti quid fuerit 267 a.  
Flagella pro morbis Marc. 3. 10. 463 b.  
Flagello quo Chriſtus uſus eſt in ejiciendo è templo mercatores, an homines percuſſerit 639 a.  
Foedus quid 1. Veteris & Novi quodnam ſit diſcrimen 1 & ſeq. in ſex rebus conſiſtit, ibid. 1. diſcrimen p. 1. 2. 11. diſcr. p. 3. 111. p. 4. iv. p. 6. v. & vi. p. 9  
Qui foris ſunt pro incredulis 466  
Fratres pro cognatis Job. 42. 11. pro quovis alio Gen. 26. 31. Exod. 26. 3. Ezech. 1. 9. iij. 13. Joël. 2. 8. 216. videlicet Iſraëlita, vel Chriſtiano.

## G.

**G**alilæi quos Pilatus occidit, ſanguinem eorum cum ſacrificiis miſcens quinam 625 b.  
Gamalielis conſilium quod laudatur à Bullingero, defenditurque à Caſtellione contra Calvinum II. 36. a. quiſnam iſte Gamaliel ibid.  
Gehenna ignis, unde dicta Matth. 5. 22. 217. qualem poenam designet ibid. & 275 a, b.  
Genealogia Chriſti Matth. 1. deſcripta, an rejicienda ſit 17, 18. cur eam in tres partes diviſerit Matthæus 20  
Genealogiæ Chriſti à Matthæo & Luca traditæ reconciliatio 575 & ſeq.  
De æterna generatione Chriſti ex eſſentia Patris III. 25 b. pro vitæ deſcriptione 18 Matth. 1. 1.  
Gladios cur Apoſtoli ſecum habuerint 676  
Græci ſignificant in Sacris Literis omnes populos præter Judæos 310

## H.

**H**abere, pro donis recte uti 398  
Helvidii ſententia, de Maria quod poſt Chriſtum plures liberos pepererit, reſellitur 65. ſeq.  
Herodes Aſcalonita cur ad vocem Magorum quæſtionem turbatus fuerit 115... ejus infanticidium cur Joſephus non recenſeat 127. & Brenii Annot. in Matth. 2. 16, quo anno mortuus ſit 563. & ſeqq.  
Hitoriola rerum à captivitate Babylonica ad Hiero-

ſolymorum exidum geſtarum. 68. ſeqq. rerum in nativitate Chriſti in Matthæo & Luca recenſitarum 559, 560  
Hora tertia, qua Marc. 15. 25, Chriſtum crucifixum eſſe ſcribit, quomodo cum aliis Euangelis conciliari poſſit, affirmantibus hora 6. eum eſſe condemnatum 436  
De Humilitate in qua vera magnitudo & excellentia populi Chriſti in terris conſiſtit II. 259. b.

## I.

**J**acobi Patriarchæ vita deſcribitur 21, 22, item Apoſtoli. II. 179 a. ejusque mors ibid. b.  
Jani Templum Romæ quando fuerit clauſum 568, 569  
Jejunium Chriſti quale fuerit, cur & quomodo ab eo ſuſceptum 184  
Jeremias quando prophetaverit 31  
Jeruſalem quando & à quo condita. 115. unde nomen acceperit ibid.  
Nomen *Jeſus* omnia nomina Eſai. 9. 6. expreſſe, in ſe continet 529  
Ignavus, vide piger, & Prov. 12. 24. 27. XIX. 24. XXIII. 22.  
Ignis Dei, pro fulmine grandi Job 1. 16.  
Ignis non ſuſſlatus, quid Job 20. 26. pro gladio Pſal. 78. 63. pro exitio æterno Eſai. 50. 11. pro malo quovis Ezech. 15. 7. xx. 47 161  
Ignis quem quid denotet 624 b.  
Imago Dei, ad quam homo dicitur eſſe conditus quid dicatur III. 1. a.  
Immanuel quid 55, 56  
Impios ad poenam reſurrecturos II. 151. a.  
In præpoſitio, pro propter Matth. 2. 46. pro inter 650 b. 651 a. pro ſecundum 754 b. pro contra II. 27 b.  
Sententiæ de *incarnatione* Dei abſurditas oſtenditur 533 a.  
De *incarnatione* filii Dei III. 29 a.  
Incipere pro facere II. 1 a.  
Infanticidium Herodis cur non commemoretur à Joſepho 127. id quare Deus permiferit 128  
Infernus quid, ex Judæorum & authoris ſententia 643 b. II. 12. a.  
Inſpiratio Sp. Sancti immediata an requiratur ad fidem 805 a.  
Invocatio Chriſti probatur II. 52 a.  
Joannes Baptiſta quid voce poenitentiae ſignificare voluerit 144. quid doctrina ejus continuerit, quid non 145. an nihil præter locuſtas & mel ſilveſtre comederit 150. an Eremita fuerit & talem ordinem inſtituerit ibid. an in ſuo munere ſucceſſorem habuerit 153. non baptizavit Spiritu Sancto 158. quouſque & quomodo Chriſtum ante ejus baptiſmum cognoverit 162. ejus vita, nativitas & munus deſcribitur 168 & ſeq. cur non deſierit baptizare cum Chriſtus baptizare inciperet 755 b.  
Joannes Evangeliſta, quid in ſcribendo ſibi propoſitum habuerit 14. ejus nativitas, vita & mors 697. initium ipſius Euangelii non eſſe intellectu difficile 698 a. ſcopus ipſius in ſcribendo Euangelio ibid. b. & 714. is non eſt probare Chriſtum eſſe ſummum Deum 699 b. & ſeq. occaſio quæ habuit Euangelium ſic ut fecit ordiri 701 a. quæ eſt, quod multi Joh. Baptiſtam pro Meſſia haberent ibid. non vero opinio Ebionis vel Cérinthi ibid. Johannem ſibi propoſuiſſe Hiſtoriam novæ creationis deſcribere 704, 716. Quid voce *in principio* denotaverit 705. non extare plura (i 2) teſti-



# Index rerum Memorabilium.

testimonia in ullo scripto Novi Testamenti contra Christi supremam divinitatem quam in Evangelio Johannis 713. & seq. Johannem in describendo Christi facta, temporis ordinem non servasse probatur 819 a.  
 Jordanis fluvius unde nomen acceperit, & ejus origo 151  
 Josephi Jacobi filii descriptio vitæ 22  
 Joseph, Mariæ sponsus, quomodo dicatur Matth. 1. v. 19. justus . . . p. 43. quomodo & quare Mariam occulte dimittere vellet 44. cur ei per somnium & non vigilanti conceptio Mariæ ex Sp. S. sit revelata 47. ejus vita & mores 60, 61. . . quando in Ægyptum fugerit 106, 107.  
 Ira pro dolore Job. 6. 2. xvii. 6. pro poena 154. ira quæ Matth. 5. 22. prohibeatur, & quatenus irasci non liceat 216  
 Isaaci vita descripta 21  
 Ismaël cur in Christi genealogia amissus 221  
 Judicium pro damnatione Matth. 23. 14. 373  
 Justificari ex operibus legis quid II. 197 b.  
 Justitia quæ Josepho adscribitur, in qua re consistat p. 43. non necessario requirit poenam 45  
 Justitia pro beneficentia 245 a.

## L.

**L**apidatio erat poena blasphemorum II. 51 b. quomodo fiebat 52 a.  
 Ex *Lapidibus* quomodo Abrahami filios Deus possit excitare 156  
 Lazari mendici parabola Luc. 16. 19. 21 &c. quatenus veram Historiam potuerit continere 642 a, b.  
 Legis Mosaicæ cum Christiana comparatio II. 243 b  
 Leprosus pro eo qui talis fuit 404  
 Legem quomodo Christus non venerit abrogatum, sed impletum Matth. 5. 17. 230 & seq.  
 Liber vitæ, quid 609 b.  
*Librorum* V. & N. Testamenti auctoritas quanta sit 10, 11, 12. unde nobis de ea constare possit, ibid.  
 Libertini quinam fuerint II. 39 b.  
 Locustæ quibus Joannes vescabatur quid? 149, 150  
 De Lucæ Evangelistæ vita & obitu 519. Lucas cur alios Christi progenitores quam Matthæus recenset 580  
 Lydiæ, purpuram vendentis, cor quomodo Deus aperuerit II. 102. b.

## M.

**M**agi Christum adorantes, quot fuerint numero 102. quale genus hominum fuerit 100, 101. annon artes diabolicas exercuerint 101. . . an reges 101, 102. unde venerint 103, 104. & quando 104, 105. . . Stella quæ ipsis apparuit qualis 107. . . quali honore Christum affecerint 114. . . cur à Deo ad Christum adorandum, vocati 115. . . cur nemo cum illis Bethlehemum iverit 120. . . an salvifica in Christum fide fuerint præditi 122. . . an in ipsorum donis mysterium aliquod lateat 122 & in quem finem Deus illa converterit 123  
 Magistratus munus gerere Christianis à Christo non permissum esse, probatur 347 & seq. idque humilitati fiduciæque Christianæ, multisque aliis præceptis Christi repugnare II. 259 b. . . Magistratus munus gerentes an possint in eo statu salvari II. 268 b. & an pro membris Ecclesiæ suscipi 269 a. III. 65 & seq.  
 Manasses Rex quando natus & vita ejus Esai. 31  
 Mandata Dei in observare possimus & teneamur 337 a. 339 b.

Manichæorum opinio de Christo refutatur 18  
 Manuum lotio antecibum quomodo & quam stricte à Judæis observata sit 307 b. 308 a.  
 Marcus Evangelista, quis fuerit 453 a. cur genealogiam Christi omiserit 454  
 Maria Virgo, Mater Christi an ex domo Davidis fuerit, & si fuisset, an Christus ideo ex femine Davidis posset dici 37, 38, 39. 533 b. cur tamdiu tacuerit de sua ex Sp. S. conceptione 45, 46. an voto virginitati se adstrinxerit 57, 530 a. ejus mores & vita 60, 61. an mortua resurrexerit & in cælum sublata sit II. 4 a.  
 Matthæus quid in Evangelio suo descripserit 14. Ejus vita describitur 14 & seq. qua lingua Euang. suum conscripserit 15. & seq. Ejus Euang. argumentum, & partes 16. An idem fuerit qui etiam Levi appellatur 264. a. cur alios Salathielis majores, & Sorobabelis posteros recenset quam Lucas 580  
 Mel quo Johannes vescabatur quale 150  
 Metaphysicarum meditationum Cartesii refutatio III. 79 & seqq.  
 Cur Johannes de *Militia* deferenda nihil præceperit Luc. 3. 14. 573  
 De regno Christi *Millenario* interris vide pag. 390 & seqq.  
 Miracula Mosis Christi miraculis longe sunt inferiora 7. non tantum ratione magnitudinis, sed etiam utilitatis ibid. pleraque quæ Mose adscribuntur, non Mose, sed ipse Deus fecit ibid. Ea non semper patrare potuit ibid. multo minus vim illa patrandi aliis communicare ibid. etiam ab impiis aliquando edi possunt, & cur 256. 384, 385  
 Inter Mosen & Christum quodnam fuerit discrimen, I. ratione nativitatis & educationis 1. 2. II. ratione revelationis ibid. III. ratione officii IV. ratione pietatis pag. 2  
 Morbos nostros quo sensu Christus portaverit 260  
 De causis *Mortis* Christi III. 8 b. & seqq.  
 Mortui quomodo efferri solebant apud Judæos, nimirum in lectulis 595  
 Mulier pedes Christi ungens, an eadem fuerit cum ea est caput ejus impii 401 & seqq.  
 Mulierum Sanctarum cur Christi genealogia non fiat mentio 23  
 Cur Matthæus in genealogia Christi meminerit Matth. 1. 3. 23  
 Multi quinam Matth. 26. 21. 417 pro omnibus ibid.  
 Mutilos id est membro aliquo carentes, Christus sanavit 311 b.  
 Mysticum sensum non solum in Prophetarum prædictionibus contineri, sed & literalem 125, 126

## N.

**N**ardus pistica qualis fuerit & quale unguentum ex ea factum 492  
 De Natali die Christi 569 a.  
 Nativitatem Christi quinque annis antiquiorem esse quam vulgaris computatio fert probatur 562 & seqq.  
 Natura Dei, vide *Deus*. De duabus *naturis* in Christo III. 30 b. de distinctione inter istas naturas 33 a. & inseparabilitate earundem ibid. b. item de earundem communicatione 34 a.  
 Nazaræus cur dictus sit Christus 133, & quomodo eum sic appellatum iri Prophetæ prædixerint 137, 138 seqq.  
 Nemo pro paucis 757 b.  
 No

# Index rerum Memorabilium.

Nomina apud Hebræos in alia ejusdem significatio-  
nis mutuare familiare fuit 376 b.  
Numerus pluralis pro singulari 264 a. 284 b.  
Matth. 12. 1.

## O.

**O** Dio prosequens fratrem homicida esse dicitur  
1 Joh. 3. 15.  
Odisse pro minus amare 633 b.  
Oleum lætitiæ pro donis Spiritus Sancti 19  
Hebr. 1. 9.  
Omnes pro omnibus in certo genere de quo agitur  
Matth. 23. 3. p. 370 b. 717  
Opera nostra bona an præmium vitæ æternæ pro-  
mereri possint 646, 647, 648  
Orandi præceptum in Lege non extat 4  
Oratio quid contineat, & quo fine à Christo sit tra-  
dita 247 a.

## P.

**P** Aradifus quid apud Judæos significet 683  
Paranymphus & Paranympha quid apud Judæos  
756 b.  
Partes Novi Testamenti quænam 12  
De festo *Paschatis*, omnibusque ejus circumstan-  
tiis 499 & seqq. quo tempore Christus illud ce-  
lebraverit 512 & seqq. quot Paschata inter ba-  
ptismum & mortem Christi intercesserint 516 &  
seqq.  
Patientia qualem Christus exigit, in Mosis Lege  
non est præscripta 3. de patientia quæ in regno  
Christi præscribitur II. 270 a.  
Pauli Apostoli vita & facta describuntur II. 177 &  
seqq. Epistolas suas quo ordine scripserit 178  
Pauperes quo sensu beati dicantur 590 b.  
A Peccatis quomodo nos Christus liberaverit 49 seq.  
qualia peccata Judæi coram Johanne fuerint con-  
fessi 153. & an Johannes istam confessionem  
exegerit ibid. Peccata quomodo Christus in terra  
remittendi potestatem habuerit 263 d. pecca-  
tum in Spiritum Sanctum quid 619 a.  
Pecuniam sænori dare quatenus Christianis licitum  
sit 592 b.  
Persona tertia pro impersonali 621 a.  
Petrus Apostolus an fuerit caput Ecclesiæ & prin-  
ceps Apostolorum 315. qua ratione Ecclesia su-  
per ipsum fuerit ædificata 316  
Pharisæi & Sadducæi cur ad Joannis Baptismum ac-  
cesserint 154. de Pharisæorum, Sadducæorum  
& Essenorum sectis 173 & seq. Pharisæis & scri-  
bis quatenus Christus obediri præceperit 370  
Philippus cujus uxorem Herodes rapuit quis fuerit  
303 a.  
Phylacteria Pharisæorum Matth. 23. 5. qualia fue-  
rint 371  
Pinnaculum Templi quid Matth. 4. 5. 186  
Pluralis pro singulari 435, 436, 804 b.  
Poculum pro statu in quo Deus vult unumquemque  
esse Matth. 20. 22. p. 346  
Poena impiorum post mortem qualis 272 a. 275  
a. b.

Poenitentiam agere posse homines propriis viribus  
probat 169, 170  
Polygamia probatur licita amplius non esse 335 a.  
Pontifices summi quomodo plures fuerint 401  
Portæ inferorum quæ dicantur Matth. 16. 18. 316 a. b.  
Possè pro nolle 471 a.  
Possidere *κτίζειν* pro acquirere 667 a.  
Potentes, quos Maria à Deo de thronis esse dejectos  
affirmat, quinam fuerint 538 a.

De vero sensu Præceptorum Christi, eumque ex  
ipsum exemplo certissime sumi posse II. 254 a  
De Præscientia Dei circa futura contingentia 195,  
196. eam tollere contingentiam rerum II. 2 b.  
Pretium scorti & canis quid 428  
Primogenituræ jus triplex Christo competere  
Matth. 1. 25. p. 57  
Per Principes Sacerdotum quinam intelligantur  
116  
Principium quid Johanni Joh. 1. 1. 705 & seq.  
Promissa Veteris Fæderis qualia fuerint 5  
Pseudo-Caristi Matth. 24. 5, 24. memorati, recen-  
sentur 379  
Puer pro servo II. 20 a.  
Purgatori ignis futilitas ostenditur 219, 220

## R.

**R** Achel quomodo plorasse dicatur super filios Jer.  
31. 15. Matth. 2. 17, 18. pag. 130 ... Rachel  
pro ejus posteris ibid.  
Rahab quod vere meretrix fuerit 75 seq.  
Rationis usus in religionis negotio non rejiciendus,  
sed studiose adhibendus est 534 a. quæ contra  
rationem pugnant rejicienda sunt ibid.  
Redimere, pro liberam remittere Exod. 21. 8. pro  
liberare 349 b.  
Regeneratio quid 746  
Regnum Christi millenarium probatur 390. & seq.  
De Regni Christi natura & qualitate, & primo  
istud esse spirituale II. 241 a. de rege hujus re-  
gni ibid. b. nempe de modo regiminis & in-  
strumentis 242. & seq. b. deque ejusdem maje-  
state 244. b. de populo & subditis ejus 345 a.  
de præmiis ac pœnis in isto regno constitutis  
250. b. ea non esse corporalia & temporaria, sed  
spiritualia & æterna 251 a.  
Regnum cœlorum pro regnum Messię quod & Dei  
dicitur Matth. 3. 2. 4. 17. 5. 3. 13. 24. *Regni cœ-*  
*lorum* voces non à Christo primum in signifi-  
catione vitæ æternæ fuisse acceptas 233, 234  
Regum Judæ & Israël vita & Catalogus 26. & seq.  
cur tres omiserit Matthæus 29. & cur non alios  
quam istos 3. ibid. & 30  
Religio Judaica uni tantum populo fuit alligata,  
Christiana vero ad omnes pertinet 10. ejus  
compendium III. 1. & seq.  
Remunerationem in vita æterna, author in omni-  
bus æqualem existimat 342, 343, 344. an abs-  
que spe remunerationis, vel citra ejus respectum  
Deum colere debeamus 366 b.  
Repudii libellus abrogatur à Christo Matth. 5. 31,  
32. XIX. 4, 5, 6, &c. 221, 222 quando & qui-  
bus de causis olim dare licitum fuerit ibid.  
Resistere malo non esse licitum probatur 227. seq.  
239. seq. & quatenus II. 272. b. 279. b.  
Resurrectionis Christi veritas confirmatur 445  
Resurrectio mortuorum quomodo ex verbis Exod.  
3. 6. à Christo evincatur 363, 364. an Judæis  
sub Antiquo Fœdere promissa sit 364

## S.

**S** Abbatum observare an teneantur Christiani, &  
quomodo 462. Deuteroproooten quodnam 588  
& seq.  
De Sadducæorum, Pharisæorum & Essenorum  
sectis 173. & seq. 362. Sadducæorum notabile  
argumentum contra mortuorum resurrectionem  
360 b.  
Inter Salomonem & Davidem quomodo tres tantum  
viri recenseantur spatio 366. annorum 58, 59  
(i 3) Salo.

# Index rerum Memorabilium.

Salomon an ante obitum resipuerit p. 25, 59. ejus  
vita 25  
Samaritani ex quibus populis constiterint, eorum  
origo & impacabile odium inter ipsos & Judæos  
760 b. & seq.  
Sanctitate vitæ Christus Mosen longe superavisse  
ostenditur p. 7  
Sanguine proprio quomodo Deus Ecclesiam acquisi-  
verit II. 130 b.  
Sanguis pro pœna homicidii Matth. 23. 35. xxvii.  
25. Plal. 9. 13. 1 Reg. 2. 32. p. 376 II. 34 a.  
Sapientia carnalis, quæ Paulo 1 Cor. 1, *sapientia*  
*sermonis, mundi, & principum hujus mundi* nun-  
cupatur, quænam sit 282 a.  
Satan quo pacto falsa de Christi suprema divinitate  
in mundum disseminaverit 702 b. & seq.  
Satisfactio Christi, qualis vulgo statuitur, refutatur  
349 & seq.  
Scandalum pro iis qui alios scandalizant 300 Matth.  
16. 23. xiii. 41. Scandalizari non cadit in pios  
812. a. scandalo occasionem præbere quando non  
maius ibid.  
Sceptrum quando à Juda fuerit sublatum 136. seq.  
Scopus Evangelistarum quis 13  
Scribarum inter Judæos origo, functio & officium 140  
seq. quatenus illis Christus obediri veit Matth.  
23. 3. 370  
Scribi in libro vitæ quid 609 b.  
Scripturæ Sacræ intelligendæ Methodus describitur  
II. 239. & seq. eam solam esse normam fidei  
311 b.  
*Sed* pro tantum Matth. 20. 23. p. 346. pro nisi  
467 a.  
Sermo pro Evangelio 458 a.  
Si pro quando Matth. 22. 44. Joh. 13. 32. p. 369  
Sibillarum carmina, an de Christo aliquid conti-  
neant 112... quid de istis carminibus sentiat  
author ibid.  
Turris in *Siloam*, obruens 18. quæ 626 b.  
Simon Magus Act. 8. 9, 10, 11, quid docuerit &  
fecerit II. 55 b.  
*Simon* à Simone Magico nomen sortita est II. 55 b.  
Simulatio quatenus licita 690  
*Singularis* pro plurali 352  
Sinus Aorahæ quid Luc. 16. 22, 23. 643 a.  
*Sōm* corpus, proprie cadaver significat 414  
Somniorum Prophetiarum quinque species expli-  
cantur 46  
Per *Sortem* Judæi in rebus dubiis, precibus ad Deum  
directis, voluntatem Dei exquirere solebant  
II. 6 b.  
Spiritus pro animo 458 b. 606 a.  
Spiritus Sancti promissio in Lege Mosis non reperit-  
tur 5. an sit Deus summus 179. & seq. Chri-  
stum in desertum abduxit 182 quomodo id fe-  
cerit ibid. si persona est, procul dubio Christi  
Patrem esse, non Deum, probatur 542. & seq.  
an Sp S. à conceptione Christi in eo perman-  
serit 543. & seq. non esse Deum summum II.  
303. a. III. 37 b.  
Stella Magis visa Matth. 2. 1, 2, an fuerit Cometa  
& quid fuerit 107, 108... Ubinam primum ap-  
paruerit 108, 109. & quando 109. & seq. quo-  
modo Magi ex ea cognoverint Judæorum Regem  
esse natum 111, 112, 113. Cur per eam Deus  
Christi nativitatem significare voluerit 112. seq.  
quomodo Magis viam & domum in qua Christus  
erat comonstraverit 121... an eos semper du-  
xerit 10. b. 121. de stella quæ anno 1604. ap-  
paruit 138. seq. quid ea ex mente Kepleri & au-  
thoris portenderit 139, 140  
Stoici quid senserint II. 109 b.

Substantivum pro pronomine 574 a.  
Ex antiquissimo Christianorum *Symbolo* probatur  
nec Christum, nec Spiritum Sanctum esse Deum  
altissimum II. 304. a. Symbolum quod Atha-  
nasi esse dicitur, ipsius non esse probatur & refu-  
tatur II. 307 b. seq.  
Synagoga magna quale iudicium apud Judæos fuerit  
238, 239, 273 a.  
*Synedrii* origo, autoritas, officia &c. 235. & seq.

## T.

**T** Empli destructionis Prophetiam quomodo Judæi  
suis manibus impleverint 378. quomodo 46  
annis ædificatum esse Judæi asserant 741 b.  
Tenebræ pro impietate 753 b. tenebræ exterio-  
res, quid significant Matth. 8. 12.  
Tenebreicere, pro illucescere Job. 11. 17. quid  
Jer 13. 16.  
Tentare Deum, quid sit Matth. 4. 7. 187, 188  
Tentatio Christi, a Diabolo instituta Matt. 4. 3 &c.  
qualis fuerit & in quem finem 182. & seq. vali-  
dissimum argumentum esse Christum non esse  
Deum altissimum ostenditur 197, 198. in ten-  
tationem inducere. quid sit Matth. 6. 13. 248  
Tentationes pro afflictionibus 673. a. II. 181. a.  
quem in finem à Deo & Christo, & in quem Dia-  
bolo adhibeantur 792 a.  
Testamentum ibid. ejus partes 11. quid 1. quo-  
modo ejus testimonia citentur 62, 63, 64, 65  
Testimonium pro argumento, quo quis convinci  
possit Matth. 8. 4. 258  
Testimonia V. Fœderis quomodo ab Evangelistis ci-  
tentur 62, 63, 64, 65  
*Tetracha* quid sit vide Matth. 14. 1.  
Traditiones Judæorum Matth. 15. 2, 3. quales &  
quænam 307  
*Trinitatis* dogma an ex baptismo in nomine Patris,  
Filii & Spiritus Sancti possit evinci 449. recte  
rationi repugnare 54. intelligentiæ Sacram  
Literarum valde obesse II. 296. & seq. ejus abiur-  
ditas demonstratur 306 & seq. Solo S. Litera-  
rum de eo silentio refutari 306. b. an sit myste-  
rium 309 b.

## V.

**D** E Ubiquitate corporis Christi III. 35 b.  
Verbum sive Filius Dei, quare ita dicatur Joh.  
1. 1. 706. & ea de re commentum Veterum  
Patrum ibid.  
Vestis Johannis Baptistæ qualis fuerit 149. vestis  
nuptialis quæ 22. 11. 35  
Videre pro particeps fieri 746 b.  
Vita pro vita æterna 717 b.  
Vita æterna in Mosis Lege non est promissa 5. &  
quare ibid. ab ejus tamen ipe Veteres non pe-  
nius fuerunt exclusi 6. eam quomodo Christus  
in lucem produxisse dicatur 2 Tim. 1. 10, cum  
tamen alii ante ipsum illam crederent 234  
Unguentum Nardi Pisticæ quale fuerit 492  
De hypostatica & personali *Unione* duarum natura-  
rum in Christo III. 31 a.  
Vocari pro esse Matth. 5. 9. 204  
Vocati pro iis qui vocationi obediunt 359. pro  
simpliciter vocatis ibid.  
Voluntatem Dei interdum hominis voluntas impe-  
dit 376, 377. voluntas tribuitur vento Joh. 3. 8.  
Ut, pro & vel sic Matth. 1. 22. 61, 62  
Uxorem dimittere quatenus alicui fuerit licitum  
221. &





# Index rerum Memorabilium &c.

221. & seq. & an etiamnum sit licitum, & ob  
quas causas 222, 223, 224. an uxori ob ullam  
causam liceat à viro divortium facere 224

Z.

Z Acharias Pater Joannis Baptistæ, an fuerit Ponti-  
fex maximus 522. a. ejus preces, quales fue-

rint, & quid à Deo petierit 525. a. surdus &  
mutus factus est ob incredulitatem 527 a.  
Zelus vox varia significat & quanam 740 a.  
Zorobabel Salathiëlis filius quando à Matthæo vo-  
cetur, cum tamen Pedajæ filium ipsum Scriptura  
appellet 1 Par. 3. 17. P. 34, 35

## Index Locorum Sacræ Scripturæ, n hoc opere explicatorum.

Genesis		
Cap.	vers.	pag.
I.	26.	III. 1 a.
XXVI.	31.	216.
XLIX.	10.	136.
Exodus		
IV.	2, 13, 14.	2.
XXII.	28.	II 43 b.
Numeri		
XXIV.	17.	III.
Deuteronomium		
XXIV.	I.	221.
1 Regum		
VIII.	27.	247 b.
2 Regum		
I.	2 & seq.	274 b.
VIII.	25.	28.
2 Chronic.		
XXII.	3.	28.
Psalmi		
LXXII.	10.	101.
LXXII.	I.	187.
LXXII.	10.	159.
LX.	I.	369.
CXXXIX.	7, 8.	247 b.
Esaïas		
VI.	9.	269. a, b.
VII.	14.	51 & seq.
IX.	1, 2.	192, 193.
XI.	1.	133.
	6.	276 b.
XLII.	1.	286 b.
LIII.	4.	260 a.
LX.	3.	101.
Jeremias		
XXXI.	15.	129.
Daniel		
IX.	24 &c.	71 & seq.
Hoseas		
VI.	6.	264 b. 265 a.
XL.	1.	125.

Micha		
Cap.	vers.	pag.
V.	2.	117, 118, 9.
Zacharias		
I.	12.	73.
XI.	13.	428 a.
Matthæus		
I.	22.	61, 62.
V.	38, 39.	II. 270 a.
	43 d.	II. 285 b.
XIX.	2.	II. 260 b.
XX.	25.	II. 259 b.
Lucas		
XXII.	25 d.	II. 263 a.
Johannes		
XVII.	3.	III. 41 & seq.
Acta Apostolorum		
XXIII.	18.	244 a.
Ad Romanos		
XVI.	17.	300 a.
1 ad Corinth.		
I.	30.	48.
XI.	19.	327 a.
XIII.	1.	206.
XVI.	22.	II. 287 b.
Ad Galatas		
I.	8.	II. 287 b.
	16.	314.
1 ad Timoth.		
II.	1, 2, 3	II. 294 a.
Ad Hebræos		
I.	9.	19.
XII.	24.	219.
1 Petr.		
II.	13.	295 b.
2 Petri		
I.	20, 21.	51.

ERRATA,

# ERRATA.

Pag.	linea	error	correctio.
124. a.	17 à fine	matris	avix
b.	8	illustratur	illustraturus
	40	lono	loco
129. b.	28	facta 2 Reg. 25. 21.	facta 2 Reg. 18. 9, 10, 11.
			altera judzorum per Regem Babyloniz.
	7, 8 à fine	bimeram bimeram	bimeramem bimeramem
130. b.	31	nonnulli existunt	existunt
153. a.	8 à fine	verba	verbo
158. b.	35	explicatus	explicatus
159. a.	24 à fine	Idumam	Idumam
163. a.	12 à fine	commiscent	commiscent
166. a.	16 à fine	Naamanis	de Naamanis
	15 à fine	virtutem potuerit	virtutem
184. a.	27	solem	solent
190. b.	19 à fine	senfuri	senfui
193. a.	5 à fine	literatio	liberatio
240. b.	18	minus	munus
269. b.	21	incertis	in certis

Pag.	linea	error	correctio.
282. b.	15	ἐγείρετο	ἐγέρτο
285. a.	29	misereticordio patior	misereticordia potior
292. a.	5	potestatis	potestis
312. b.	27	ullum	nullum
330. b.	26	rire	rite
378. a.	13	Judæ	Judæi
399. b.	5 à fine	impii non	impii
427. a.	13	denovisse	devovisse
428. a.	24	augebatur	angebatur
464. a.	18	fecessisse	secessisse
497. b.	32	inefragabilibus	irrefragabilibus
600. a.	5 à fine	in statim	ni statim
618. a.	10 à fine	ἐκαστα ἀλλήλων τῶν	ἐκαστα ἀλλήλων τῶν
621. a.	19	multabunt	mutabunt
636. b.	35	optificium	opificium
724. a.	18	lucem	per lucem.

Reliqua benevolus Lector per se facile corrigit.